Lateinische
Stilübungen

zum

öffentlichen und Privatgebrauche

herausgegeben

von

M. Christoph Friderich Roth
Professor am königl. Gymnasium in Stuttgart.

Zweyter Theil

welcher die lateinische Uibersetzung der Materialien nebst einem Beysatze und Anhange von Elegen zu metrischen Uibungen in sich faßt.

Stuttgart
bey Johann Friderich Steinkopf
1807.

I

Ingenii vires ut sensim adolescant, studio opus est atque exercitatione. Excellentissimo quisque ingenio, si in socordiam prolapsus ingenii vim passus esset torpescere, nunquam nec usui nec admirationi fuisset hominibus. Adolescens sacrarum literarum studio addictus, si, quod habet propositum, feliciter velit consequi, nihil ei sit antiquius, quam ut ceterarum quasi genetrices linguas et quae ad praeparandum cognitu sunt necessaria, perdiscat. Qua cura potiore omissa qui in rebus versatur supervacuis, quae nihil desiderant cogitationis, nec nisi titillant vim imaginandi; qui non dat operam, ut in res maxime necessarias et utiles studio recte instituto et continuo incumbat, is, quamvis excellat ingenio, non admodum eruditus erit doctrina. Nec vero unquam admoto lumine discussa foret caligo ecclesiae, si linguas nemo suscepisset ex pulvere excitandas easque ad literarum sacrarum interpretationem transferendas. Omnis quidem doctrinae Theologo dignae unum quasi fundamentum est linguarum scientia. Literarum autem graecarum, ebraearum latinarumque fastidium si magis crescat et per omnium animos denique serpat, futurum sit, ut sine dubio in priscam barbariem relabatur orbis christianus.

Si vis ingenii paulatim emergere vires,
 Assidua cura te vigilare decet.
Te, *Tulli* et *Caesar*, tum non fuit utile gigni
 Si tantos animos torpor haberet iners.
Qui sacris studiis tempusque operamque dicavit,
 Optatam ad metam, dic mihi, quando venit?
Huic sit cura prior, linguas addiscere matres,
 Et pulsare artis limina prima suae.
Ludicra ne teneant illum, quae lumina mentis
 Non poscunt, aut quae somnia vana creant.
Et quaerat primum, quae vera ac una supellex,
 Continuo nisu ferveat illud opus.
Hoc qui spernit opus, non ille ad grandia tendet,
 Quamvis ingenii vena benigna fluat.
Nunc quoque res Christi jaceant caligine mersae,
 Si non *Reuchlinos* nostra tulisset humus.

2

Non est, quod te horter, ut librum Scripturae Sacrae, quo non alius praestantior est humano generi datus, potissimum lectites. Ab eo, me secutus auctorem, etiam cum abs te discessero, divelli te non sines. Quae autem de eo crebrius collocuti sumus, eorum oblivisci te nolim. Quod enim te monui, id ita monui, ut ab omni populo meo putarem audiri. Accipe haec biblia, uni ex majoribus nostris valde lectitando trita. Ego autem per meum parentis amorem juro, me non sensisse animum nec meliorem nec tranquilliorem, quam post cognitam ex libro divino Dei voluntatem et peractam. Id utinam primum agas singulis diebus! Ille vero est hominum nequissimus, qui ab eo more te abstrahere ausit, aut in illum etiam cavillari. Reminiscere ea tempora, quae moerentem me vidisti transigere. Tibi autem ne quid accidat doloris, si precer, quid proficiam? Scilicet optimum quemque consequitur. Nos, etsi divinae majestatis vice fungimur, in genere mortalium sumus. Quae ad Deum colendum pertinent, ea fac prosequaris intimo adfectu et sincero animo verearis; quippe tuum exemplum aut mala infert in populum tuum, aut salutem ac fortunam confert.

3

Hogarthum, natione Anglum, arte mores hominum ad movendum animum efficaciter pingendi, nemo Europaeus vicit. Ille cum mores, ineptias et vitia popularium suorum, prorsus vere, acriterque et ad monendum apte picturis esset complexus, iisque multis continua serie cohaerentibus, quasi liber effectus est, quem legens infimus quisque mores posset corrigere, aut tacto oculorum sensu doceri. Ille enim adolescentis imaginem per omnes vices et calamitates, in quas dissoluti mores demergunt, à prima aetate usque ad ejusdem supplicium verissime expressit pingendo. Ejus est etiam figura aeri incisa, in qua varios cruciatus, quibus Angli torquent jumenta, repraesentavit. Quondam jumentario in jumenta acerbissime saevienti flagello, homo bonus forte praeteriens et miserabilium jumentorum dolore motus acclamavit: o te hominem nequam! Ego te credo nunquam inspexisse figuram ab *Hogartho* incisam.

4

Correggius, summus ille pingendi artifex, qui neque usus praeceptore, neque antiquae artis monumenta in Italia intuitus suopte ingenio, sua solerti industria fere omnia consecutus est, quondam igniculos ingenii in se exardescentes ita sensit, ut et adolescentibus et viris, mentis suae vim indagare volentibus, saluberrimo esse exemplo possit. Auditâ insigni famâ egregii *Raphaëlis* valde cupiebat ingenii ejus exemplar videre. Cujus desiderii postremo factus compos, quanta potuit maxima diligentia, intuitus picturam, etsi confessus est, non effusius laudatum esse artificem, tamen vidit, se quaedam ejus pari curâ, quaedam majori etiam fuisse facturum, eaque exultans conscientia exclamavit: At ego quoque pingendi artem calleo!

Ingenio quamvis maxime excellentes hortandi sunt, ut studeant verecundiae. Summae utique audaciae est, viris claris se conferre, aut eos etiam vincere sibi videri. Adolescentibus maxime nihil perniciosius est, quam temere suis viribus confidere; illi interdum fidentes, ac temerariam quoque sequentes rationem judicant, et ultra initia paullulum progressi prope abesse à summo fastigio opinantur.

Ne pigeat juvenem mores didicisse modestos,
 Ingenii quamvis vena benigna fluat.
Magnis velle viris aequo contendere cursu
 Aut claros cursu vincere velle viros.
Hoc certe est, teneris nimium confidere pennis
 Sublimemque viam cum Phaëtonte sequi.
Ne, pueri, temere vestris confidite nervis!
 Ulteriusque datum credite semper iter.

5

Michael *Angelus*, Florentinus, arte pingendi et architectura, sed potissimum statuaria insignis habebatur. Ille effecta manibus veterum Graeciae et Romae artificum opera tam diligenter cognita habuit, eaque tam incredibili similitudine effingere didicit, ut quondam statuam a se factam in vinea circa Romam defodiendam curaret, sperans, illam pro antiquo opere habitum iri.

Et illa effossa omnibus peritis adeo scite elaborata videbatur, ut istud judicarent. At ille alterum brachium illius statuae consulto ademtum retinuerat. Illud ostendens demonstravit, sua manu effectum, simul confessus admodum verecunde, veterum istam bonam simplicitatem et stilum bene audacem imitando effingi non posse. Aedes *Petri* Romae, qua non splendidiorem habet orbis christiani, ad illius descriptionem facta est. Hic cum ab anno vigesimo floruisset, ad nonagesimum perduxit aetatem.

Quid non vicerunt artis monumenta vetustae,
Formas quae saxo est fingere docta rudi!
Inspice Romanae et Graecae miracula dextrae
Hac cui mirantum quaeritur arte favor.
Quam bona simplicitas formis arridet ab illis,
Paruit audaci quam bene forma stilo!
I, preme nunc artis vestigia lucida tantae
Exemplo magni si potes ire typi.
Heu tibi, posteritas, satis est, attingere velle;
Attinges nullo signa vetusta die.

6

Mens nostra quam variis agitatur motibus, cum in elapsorum seculorum scenam duce historia rediens praesentia, quae praeterierunt, videt; cum ubique homines, quod, quibus impulsi causis, quid cupientes, quo studio inflammati fecerunt, quasi post scenam potest spectare; cum hinc nobiles, inde ignobiles, hinc sapientes, illinc stultos, hinc probos, illinc improbos, quid quisque senserit, quid egerit, quasi praesentes intuetur; cum ubique hominem, alium optimum, pessimum alium, alium felicem, miserum alium, ejusdem omnes naturae quamquam dissimillimae, videt; totum vero genus sui amans suaeque salutis cupidum, sed alium alia arte; eandem omnibus esse rationem, sed alios bene, alios perverse utentes; alios verum sequentes, actos plures erroribus; omnia loca bonorum plena hominum, eademque improbis referta; quin etiam virtutis speciem imitantes sceleratos; neminem Dei nescium, sed eam scientiam diris modis depravatam; haec cum videt mens nostra, quam salutariter quamque vehementer eo movetur spectaculo!

7

Hinc legibus, disciplina, bonis moribus constitutis crescunt imperia, et stabiliuntur industria ac fortitudine; illinc scelerum vi depressis legibus ac disciplina, cum libido dominandi, perturbationes rerum conflat bellaque cruenta, tum luxuriam, ignaviam desidiamque gignit abundantia, quibus rebus eversa cadit salus populi. Hinc artium et literarum incremento ingenium gentis moresque poliuntur. Illinc artium liberalium literarumque expers populus mores habet asperos et inhumanos, ac mente nihil agitat nisi fortitudinem et avidum vincendi studium. Alii industriae ac virtutis ferunt praemia, aliorum improbitati honos tribuitur. Hinc res funestum, illinc prosperum habent exitum, nulli hominis rationi divinatum. Quae omnia tam varia intuens animus noster semper aliquid agit, quod unicum ejus quasi pabulum est. Hic ille conjicit, comparat, judicat, admiratur, odit, amat, bonis fortunam gratulatur, invidet malis, innocentium incommodis aeque dolet, suffragatur poenis improborum, tot gentium mores cernit, ingenia earum et vitia, leges et sacrorum ceremonias, fortes earum viros, tributosque iis honores, viros sapientia praestantes, resque ab iis institutas: haec omnia intuens, ubique cernit Deum infinitae sapientiae potentiaeque, qui mortalium fortunam tecto flectit regimine eorumque animos ad ea, quae vult fieri, sic gubernando vult advertere.

8

Anno 1604. *Ernestus Fridericus*, Marchio, Pforzhemii cives ad formulam *Calvini* amplectendam compulsurus, collectum agmen militum auctumque armatis rusticis, ipse à Durlaco Pforzhemium duxit. Attonita stupore et incensa indignatione civitas adlato nuncio, adventare aestuantem truci ira Principem; cives munire portas objectis vehiculis et quicquid materiae posset rapi, ad id obstinatis animis, ut pro suae formulae custodia ultima experirentur.

Sed Deo aliter visum. Media inter Durlacum et Pforzhemium via, intercluso spiritu Marchionem mors occupavit. Corpus mortui transportatum Pforzhemium, varie judicantibus civibus de omnium moliminum humanorum fra-

gilitate, et saepe, desperatis rebus, Dei summo arbitrio causam justam vindicari.

Est, quod huic relatae rei adjiciam. Ille casus etsi valde memorabilis est, neque negari potest, Deum in ultimo discrimine saepius se interposuisse, quod exemplis historiae sacrae et profanae satis multis demonstratur, tamen minime nobis licet, illam subitam mortem pro poena à Deo decreta habere.

9

Imperitante *Constantino* Christianorum cura suae religionis aliquantulum remiserat. Igitur illis valde expediebat, quod per totam diem Dei cultui sacram omni opere prohibebantur, quo plus temporis, quam solerent, in eo ponerent, ut de Deo, suique animi statu et aeternitate sedulo cogitarent. Quam ob rem ille, de quo modo diximus, imperator edixit, ut die Dominica consueta negotia omnium ordinum, publica munia, artificum opificumque opera intermitterentur. Solis agrestibus concessit, ut illa quoque die uterentur, si ex multis diebus continuis illa sola tempestas incideret, opportuna, curandis agris et vineis. Legi praefatur: Si Deus ipse opportunitatem offert, datas ab ipso fruges certius colligendi, non fas est, illam praetermittere.

10

Corpus *Lutheri*, qui 1546. Islebiae, in qua urbe natus est, decessit, Vittebergae, in Principis et Academiae aede conditum est. Praeter impositam sepulchro tabulam ex orichalco incisosque paucos versiculos, qui referunt nomen et munus, quoque anno in lucem sit editus, quo hac vita defunctus, et praeter effigiem prope fixam in pariete, nihil ibi occurrit, quod monumento sit. At nemo Christianorum, qui bona novit sua, accedit ad ejus sepulchrum, quin illum generi hominum magnae salutis auctorem fuisse meminerit. Et egregii viri optime et, ut maxime decet, ita laudantur ac coluntur, ut eorum exemplum, quantum in te sit, aemuleris et, quae commoda ab iis sunt parta, iis cum grata memoria fruaris.

11.

Columbus, qui Americam primus vidit, parem vitae exitum habuit, ac illi viri clari, quibus male gratiam retulit sua aetas. Memoriam viri etiam nunc premit quaedam injuria. Aequum erat, partem orbis primum visam adpellari Columbiam. Sed Hispani non recusarunt, quo minus alius, qui demum septem annis post illum vestigia ejus legerat, Americus Vesputius, homo Florentinus equestris ordinis, immeritam gloriam sibi arrogaret, primum à se visae Indiae occidentalis.

Quod *Columbo*, idem plerisque hominibus claris evenit, qui aut bona re inventa, aut magna re suscepta, de hominibus meruêre. Omnino hominum idoneorum virtus, raro viventium, sed magis mortuorum probatur. Quae hominum injuria etsi gravis est, tamen ea non deterretur optimus quisque, quin de hominibus mereat. Neque enim quae recta sunt, facit lucri aut gloriae causa. Illo facile caret, hujus usuram certissimam praestat posteritas.

Tristis erat, fateor, clari fortuna *Columbi*;
 Par tamen est magnis sors subeunda viris.
Arte salutari bene qui meruêre reperta,
 Aut rem constantes sustinuêre gravem.
Raro laudatur praesens in corpore virtus,
 Sed cineres sequitur gloria sera pios.
Virtutis meritae sit quanta injuria, cernis;
 Ne tamen hinc fiat languida cura, vide.
Scilicet ingenuae mentes virtutis amore
 Utile terrigenis adgrediuntur opus.
Lucri non illas invitat amabilis esca;
 Nam facile lucro pectora magna carent.
Non illas ducit mortalis gloria vitae;
 Nam laudem certam secula sera dabunt.

12

Lacedaemone erat honestissimum domicilium senectutis; nusquam tantum tribuebatur aetati, nusquam senectus erat honoratior. Id sapienter institutum erat, auctore Lycurgo, quem ait Iustinus voluisse maximum honorem non esse divitum et potentium, sed pro gradu aetatis senum. Quilibet grandis natu potestatem habebat, si quid delinquentem vidisset adolescentulum, id ei expro-

brandi. Quantum nostri seculi mores discrepant ab ista virtute Spartanorum inculti doctrina ingenii! Senex homo si auderet adolescentem culpae arguere, quid ei metuendum censemus ab effrenata licentia adolescentium? quid aliud quam cavillationem ferret mercedem? Ego admirabundus nuper legi, proprium esse Anglorum, contemtui habere senectutem, idque cum alios, tum maxime emeritos milites pati. Quo labi postremum necesse est mores talis populi? Ego vos hortor, tales vos senibus praebeatis adolescentes, quales olim vobis senibus se praebere adolescentes velitis.

13

Videsne, Poëtae quid mali adferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros; molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam pöetae, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur à Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos et optimum reip. statum exquireret. At vero nos, docti scilicet à Graecia, haec et à pueritia legimus et discimus: hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus. Sed quid Poëtis irascimur? Virtutis magistri philosophi inventi sunt, qui summum malum dolorem dicerent.

14

Reges ipsi quam miseri sint, quantoque opere sollicitudini, timori atque insidiis propositi, satis ostendit Dionysius, cum imminente capiti gladio Damoclem fortunae suae felicitatem voluit experiri. Nec mirum cum iis bellorum calamitates, agrorum vastationes, populorum caedes, urbium exitia immineant. Quae cum eveniunt, qui victoria potitur, aliquid et ad gloriam et ad imperium semper acquirit: sed tanta praeterea rerum amissio tantusque sumtus consequitur, ut magni constet victoria, ac plerumque praestiterit, nunquam arma sumsisse. Sin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo statu miserius ne cogitari quidem potest; siquidem captivitati, inopiae, luctui, contemtui conjunctus est. Sed fac regem esse à bellorum impetu remotum, suā

pacate possidentem: num idcirco tutior ac securior? Quin immo, ut otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam ac sollicitudinem exhibebit. Nam de augendis vectigalibus aut de producendis finibus aut de jungendis cum potentioribus amicitiis cogitabit: quae qui animo agitat, nec à molestia liber est, nec alios securos ac quietos esse sinit.

15

Quam nos incolimus orbis partem, ea ceterarum minima, quae Europa dicitur, ceteris paullatim excelluit. Vergit illa quidem ad Septentrionem, multis laborat regionibus frigidis asperisque, serius utraque et Asia et Africa satis cognita est, et incolarum numero aucta, ab iisdemque plurimas et fruges et artes et inventa accepit. Eadem ex populationibus satis magna cepit detrimenta, nec nisi tardissime major pars prisca morum asperitate se expedivit. Veruntamen illa jam, maximeque trecentis fere annis abhinc, tam bonis institutis temperata est, ut, si nulla homines fruantur felicitate, aut certe non consequantur majorem, ipsorum culpae sit tribuendum. Haec orbis pars omnis hoc tempore, quantum satis est, innotuit, et quicquid in ea est, fere ubique exploratum fuit, et ad communem utilitatem translatum. Qui in ea degunt homines, arctiora inter se foedera societate ac comitate junxerunt, iidemque mercaturam faciendo ea, quibus abundarent, quaeque ad vitae cultum pertinent, alii cum aliis communicarunt.

16

Ut dubium non est, quin affectio animi ad valetudinem tam conservandam quam restituendam magnum momentum faciat; ita medici sapienter cum aliis remediis morbi propositis, simul de exhilarando aegrotantium animo laborant, ut certius, quod velint, consequantur.

Alfonsus, rex Arragoniae, Siciliae et Neapolis, cum esset literarum et doctrinae amantissimus, multos Graeci et Itali nominis proposito stipendio arcessivit, et ipse praecepta sapientiae ex praestantissimis priscae aetatis scriptoribus collegit. Huic cum aliquando aegrotanti allatus esset liber Curtii de rebus gestis Alexandri, voluptas, quam legens percepit, ad valetudinem ejus restituendam

valuit. Apagete medici, exclamavit; ego Curtium probo, unum salutis auctorem.

Quidam homo sapiens de hac memorabili curatione judicavit, suavius adfectum animo illa relata cognoscere oportuisse *Alfonsum*, qui fortitudinem Alexandri maxime aemulatus, non, ut ille, iracundia et ebrietate victus fuerit.

17

Non times, ait *Alcibiadi Socrates*, ne, sicut Oedipum orantem, ut sui liberi armis disceptarent de jure regni, ita te Dii exaudiant, si elatus audaci animo, jactitansque favorem multitudinis, qui ut culicum examen per radios solis circumfusum te circumvolitat, et tuae sapientiae conscius, nihil habes minus, quod à Diis petas, quam imperium Graeciae, et, si hoc minus amplum est, gentium barbararum, et, si tam vastus sit animus, orbis terrarum? An exploratum habes, te, quod commodum sit, tibi petere, etiamsi maxime videatur? Vides te stupere ob illud, quod addubito. Sed reminiscere, quod evenit Archelao, regi Macedonum. Post quatuor homines sublatos regno potitus, jam assecutus sibi videbatur, quod ultimum fuisset optandum. Septem annos potitum, Craterus, quo familiarissime utebatur, quemque plurimum diligebat, regni cupidine trucidavit. Et ille Craterus tridui aut quatridui intervallo insidiis aliorum oppressus est. Tu, si imperium orbis animae jactura redimeres, quid esses consecutus?

18

Ut se habet cupido dominandi, sic omnia alia, quae expetuntur. Quam multis, qui honores ambiunt, iidem exitio fuerunt? Qui optat, ut liberis susceptis floreat, num antea videt, an homines frugi sint futuri, ipsique et reipublicae usui? Etiam doctrina et scientia perniciosae sint, si, qui illis sit instructus, non ponat in rebus bonis.

Jam si omnes illos homines circumspicis, qui civitatis sunt Atheniensium, in qua quilibet remp. gubernare, quilibet alios docere, quilibet meliora suadere vult; si cogitas illa infinita desideria rerum, quae impuro ore et lapsis in errorem animis à Diis petuntur; horum preces si exaudirentur, quantum miseriarum in vitam hominum illaturi essent precando?

Quam multi rarum fortes jaculantur honorem,
 Post regem primo posse sedere loco!
Sed flos ille brevis; subita jacuere ruina,
 Et tituli raptum jam decus alter habet.
Ludat ut in gremio puer aut jucunda puella,
 Saepe aliquis poscit pignora cara tori.
Num tamen in patriae spem certam crescere natos,
 Gaudeat atque domus, non videt ille miser.
Quid loquor? interdum doctrina artesque nocebant
 In culpam dominus si male vertit eas.

19

Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Quid pulchrius hac consuetudine, excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus aut admonitus censorque secretus cognoscet de moribus suis? Utor hac potestate et quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, et conticuit uxor, moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possum dicere: vide, ne istud amplius facias; nunc tibi ignosco.

20

Etsi magnifica est species florum, quos hominum labor et ars in hortis gignit, tamen, si intra florum hortensium admirationem consistamus, non nisi quaedam admirabilia in genere plantarum noscamus. Quodvis pratum cum aeque spectandas praebeat res a Deo mire effectas, aeque dignum est, cui immorentur oculi animique. Etiam numerus herbarum, quae in pratis occurrunt, ingentem movet admirationem. Nec illud praetereundum, quod et nullo hominum cultu elicitae nascuntur et nullo adhibito labore propagantur. Deus enim tum, cum effecit tellurem, id providit, ut herbarum copia necessaria nunquam deficeret. Denique viridis coloris est, quem diutis-

sime ferant oculi. Sed hujus etiam coloris ea est varietas, ut ne una quidem stirps ad alteram accedat similitudine. Nos autem quoties pratum praeterimus, haec volvamus animo: quanta ratione tu omnium rerum effector, harum plantarum partes construxisti! Quanta benignitate et hominum et pecudum necessitatibus prospexisti! Quae meo corpori vires addunt herbae, quae saluberrimum mihi alimentum suppetit lactis copia, quas adfatim sumo carnes pecudum, omnia haec commoda tu impertisti his terris pabulorum in pratis proventu!

Res, fateor, miranda oculis flos pulcher in horto,
Quem grato ars hominum mira labore creat.
Si tamen hic solis oculus consistat in hortis,
Plurima te lateant mira creata Deo.
Ut mirere Deum, virides circumspice valles,
Obsita divinis omnia prata bonis.
Herbarum varias non est comprendere formas,
Hinc patet in laudes area lata Dei.
Adde, quod ex terra nullo venit herba satore,
Et foetus procreat quaelibet ipsa suos.
Scilicet has vires terrae Deus indidit olim,
Ut quivis herba vestiat annus humum.
Praeterea viridi pubescunt prata colore,
Nempe quod hunc possunt lumina ferre diu.

21

Cum rerum magnarum, tum maxime gravium bellorum eventum cupidiores solemus exspectare, eaeque res quo diutius extrahuntur, quoque magis anceps est exitus, eo magis suspenduntur exspectantium animi. Quae dum fiunt, alia atque alia opinantes inter spem metumque haeremus prout diversa studia alterutri parti favent. Saepe autem spem atque conjecturam, et sapientissimi cujusque divinationem eventus fallit. Subito enim facta rerum commutatione, quae prosperrime videbantur eventura, repentino casu fracta corruunt, contra qui imminebant terrores, in spem jucundissimam vertunt. Quam ad mutationem etsi magnum adtulerint momentum, tum fiducia fortunae, tum in adversis rebus summa contentio; tamen meminisse semper oportet, esse rationem occultam et divinam, quae res hominum suo consilio suoque arbitrio moderetur et regat. Deus rebus humanis providens om-

nium rerum et modum et exitum praefinit, ipse rerum nodos quam maxime complicatos facillime expedit. Ab eoque debemus temporum, in quae aetas nostra incidit, magnopere dubiorum exitum ejusmodi expectare, qui pro certis Dei promissis et salutaris et exoptatus omnibus fiduciam in eo collocantibus sit futurus.

In dubio rerum cursu bellique ruina
 Quid lux adportet crastina, scire libet.
Tumque moras odit suspensus pectoris ardor,
 Cum nodos cernit nectere bella novos.
Scinditur incertum studia in contraria pectus,
 Et varians animos spesve metusve subit.
Scenaque spectantum studiis distantibus ardet,
 Nam sperat partes vincere quisque suas.
Improbus ah quoties spem decipit exitus omnem,
 Consultique prius quod cecinere viri!
Per placidas it navis aquas; ruit ecce procella
 Naufragiique tumens incutit unda metum.
At modo sperabat tutum contingere portum
 Et pia servanti solvere vota Deo.
Sol modo fulgebat toto nitidissimus orbe,
 Nunc tristem condit luridus ille diem.
Hinc validi nisus, illinc fiducia rerum
 Rebus in his, fateor, non leve pondus habent.
Sed tamen occulto flectit moderamine casus
 Humanis major viribus ipse Deus.
Ipse domat casus et certo limite frenat,
 Nodos difficiles nexibus ipse secat.
Huic confide Deo; rebus dabit his quoque finem,
 Qui trepidis animis dulce levamen erit.

22

Etsi pro diversitate terrarum, religionis aliarumque rerum, singuli Germani Germanis dissimiles sunt moribus et corporum habitu, tamen in gente universa plurima eminent omnibus propria. Ut coeli, sub quo agunt, temperies, ita Germanorum communis indoles media est inter asperam inhumanitatem et humanitatem molliorem. Germani ciborum quidem capaciores sunt, quam quos à meridie et occidente attingunt: sed iidem, ut Angli, corporum robore inprimis florent in populis Europae, et omnium, qui hanc partem orbis incolunt, maxime vivaces

esse dicuntur. Ingenium genti grave quietique consilii. Vetus gloria Germanorum fides et simplicitas, animusque famae vehementer adpetens; qua gloria etiam nunc digni sunt mores, quanquam adventitio more illiti. Injuriam ulciscuntur aperte, sine dolo et seditione et caede clandestina; ab aliis victi malitia fortitudine omnes vincunt. Laboris sunt patientes, incepta constanter peragunt.

23

Vim ingenii et rerum penitus cognoscendarum studium testantur, quae prodita sunt memoriae de inventis et omni genere literarum. Inprimis excellunt infinita cognoscendi cupidine, quicquid ad cognitionem pertinet, scire laborantes, maxime externa. Cum per scientiam linguarum Europae prope omnium, quibus discendis operam dant, omnium Europaeorum maxime cognitas habeant gentes exteras, nulla gens Europae et facilius admittit, quae apud alios proba inveniuntur, et aequior de illis judicat. Iidem cum sint vulgo minus arrogantes, quam alii populi solent, et saepe nimis curiosi rerum peregrinarum, domestica non raro negligunt et inique aestimant; nimii exterarum rerum admiratores, suarum aestimatores iniqui, quaevis imitantur, immemores, suam gentem tam ingenio, numero et gloria universorum, quam nobilitate civium suorum illustrium clariorem esse, quam ut pudeat nominis Germanici.

24

Nos Germanici nominis homines, ait *Lutherus*, nulla virtus majori gloria celebravit, et, ut ego arbitror, excelsiore loco posuit, eoque positos sustentavit, quam illud, quod ea fide, simplicitate et gravitate homines existimati sumus, qui dicere consueverint, quod res est. Illius antiquae virtutis igniculus in nobis Germanis superest, scilicet, quod sane suppudet ac poenitet mendacium numero haberi, neque illud ridemus, ut Graeci, aut in jocum vertimus. Postremo adjicit probus *Lutherus*, sublata fide remp. tolli necesse est. Propitius sit Deus nobis Germanis!

25

Qui dies ille, quo exspectatus desideratusque urbem tuam ingressus es! Jam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque! Nam priores invehi et importari solebant, non dico, quadrijugo curru et albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu sola corporis proceritate, elatior aliis et excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Inde alii se satis vixisse, te viso, alii nunc magis esse vivendum, praedicabant. Foeminas etiam tunc foecunditatis suae maxima voluptas subiit, quum cernerent, cui principi cives, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta et laborantia, oppletasque undique vias, angustumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium paremque clamorem.

26

Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere, qui remp. tractarent. Ii primo coepere pessimum quemque et omnibus invisum indemnatum necare. Ea populus laetari et merito dicere fieri. Post ubi paullatim licentia crevit, juxta bonos et malos libidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae graves poenas dedit. Victor Sulla cum Damasippum et alios hujusmodi, qui malo reip. creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat? Homines scelestos, factiosos, qui seditionibus remp. exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paulo post ipsi trahebantur; neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit.

27

Etsi valde avemus futura prospicere et magnarum rerum exitum antea scire; tamen ne dubitemus vere dictum esse illud *Ciceronis*, qui judicat ne utilem quidem esse nobis futurarum rerum scientiam. An *Pompejum* censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si scisset, se in solitudine Aëgyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu? Quid vero *Caesarem* putamus? Si divinasset, fore, ut in eo Senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in Curia *Pompeja*, ante ipsius *Pompeji* simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, à nobilissimis viris, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet: quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia.

Idem de *Ludovico* XVI. licet dicere. Si scisset, suae majestatis splendorem squalore carceris mutatum iri, seque et secundum ipsum, suam conjugem foedo supplicio necatum iri, quo animo censemus futurum fuisse, summo splendore regalis ornatus circumfusum?

28

Quid est magis justum, quam vi repelli à populo hostem, qui contra fas aequumque bellum infert? An fas est, populum se dare potestati alterius? Nonne fas sit, eum quaevis parare tela, quibus injuste bellum inferentes prohibeat et repellat? Proxime nos attingit patria. Multum illi in nos juris est. Debet quisque pro ingenio et viribus, pro ordinis et officii ratione, pro facultatibus, ad tuendam salutem communem nihil non suscipere, atque ad defendendam reip. cujus pars ipse est, incolumitatem nihil non audere, quod res et tempus postulant. Qui ad tuendam civitatem, cujus praesidio munitam agit vitam, quod in ipso est virium, id omne conferre recusaverit, is neque idoneus est neque dignus, qui illam habeat communem. Dici non potest, quot beneficia debeamus patriae accepta. Civitatis communitas et reip. status, securitatem, tutelam et incolumitatem, salutem, rerum copiam, vitae jucunditatem nobis praestat. Haec resp. hae magnae utilitates dignae sunt, quas impensa quamvis maxima tueamur.

29

Religio christiana, praecipue maximi momenti rationibus nos obstringit impellitque, ut suam quisque patriam, suos populares etiam vitae periculo defendere non dubitet. Quod persuasum est omnibus, reip. statum, cujus utilitas latissime pateat, voluntati Dei esse consentaneum, ab eoque jussum; aestimata commoda, quae salvo hoc instituto divino percipiuntur; ea, quam religio christiana optimis de causis postulat, caritas hominum eorumque maxime, qui civitatis jure nobis sunt conjuncti; sive ea, quam religio christiana poscit, vera patriae caritas et studium, omnes vires ad civium salutem conferendi, paratusque animus, ad obtemperandum Christi religioni magnopere jubenti vitam pro sociis profundere; maxime ingenuus omnis verae laudis amor rationibus à religione sumtis excitatus magisque accensus magisque inflammatus (quod autem decus est magnificentius, quam mortem occumbentium pro patria!); summa fiducia Dei, qualem esse docet christiana religio, ejus tutela cum animi adsensu credita, inconcussa spes immortalitatis, splendidorumque praemiorum, quae morientibus pro patria sunt proposita: haec vero, quae homo christianus solus credit, sentit, sperat, non possunt non efficere miram fortitudinem, animi magnitudinem, firmitatem, constantiam et voluntatem, quaevis pericula, quosvis labores aequo animo subeundi, cum de omnium salute defendenda agitur et capitis quoque adeundi periculum.

30

Nemo est, qui non dulcedine quadam sit captus ejus terrae, in qua natus et educatus est, eumque populum, cujus est pòpularis, praecipue diligat. Hic amor rationibus à religione sumtis inflammatus nonne animum incendat studio, nihil praetermittendi, quod ad servandam patriam pertineat? Quis autem sacris suis, principi, possessionibus, uxori, liberis, propinquis timens inertiae languorique se dedet eosque tueri recusabit? Quis nolet tueri, principem optimum, qui suum corpus periculis pro patria offert, non ista tot praeclara instituta, non sacrorum statum incolumem tamque salutarem, non ludos publicos liberis pro ratione erudiendis, non sapientem

justamque juris dicendi diligentiam, non denique aequam reip. administrandae formam, non mire fertilem fortunatamque terram? Istane bona omnia nos non magni facere, non tueri, etiam si ad arma sit concurrendum? At Nostrates omni tempore boni cives fuere armisque fortiter utentes per aliquot secula suam patriam ejusque formam reip. cui nec similis est alia nec praeclarior, acerrima virtute defenderunt. Nobis quoque aderit Deus ille, qui nostris adfuit majoribus, et vires ad pugnam addet, vitaeque incolumitatem jucunditatemque tantorumque sedis nostrae bonorum usum liberum securumque virtute nostra consequemur.

31

Omnibus prodigiorum coelestium terroribus circumventus, qui intrepido animo sustinet secum cogitare et dicere: etiamsi orbis corruat et mari hauriantur montes, equidem nihil timeo; etiamsi Deus me jubeat hanc animam reddere, tamen in eo spem habeo positam! O illum elato animo hominem! Quis istorum sapientium, qui non aliis, nisi philosophiae rationibus utuntur, talem fiduciam docuit aut suo exemplo confirmavit? Quis istorum amissis bonis omnibus magno animo exclamavit: Deus rerum arbiter, dedit, idem ademit! Deum grato animo celebro. Quis istorum inter illa, quae obstant virtuti, inter illa momenta fortunae secundae adversaeque potentiaeque et contemtus, quae ad animum nostrum valent, eumque meliora secuturum facile labefactant ea, quam Deus inspirat, fortitudine sensit et dixit: Mihi certum est, neque mortem neque vitam neque vim neque ullam rem me abstracturam à pietate in Deum!

Imo ad hanc animi magnitudinem non philosophia nos erigit, sed religio sola; eam vero quin amemus, nos recusare, non ex ea quotidie illa fiducia implere animum, quae sola et florentibus et adflictis veram mentis aequitatem ac tranquillitatem conciliat?

32

Paucis absolvam. Non manuum sed rationis vi agendum est inter probos juxta ac improbos. Imperium et jura mutari non sine multorum sanguine, quod omnium gentium annales testantur, et Germaniam prius ter pervasta-

tum iri, quam in novam formulam redigatur ejus res publica. Quanquam res publica et jurisconsulti mihi interdum videntur egere ingenio et virtute *Lutheri*; sed vereor, ne *Münzeri* similem nanciscantur; ideo sperare non possum nec volo, nacturos similem *Lutheri*.

Non faciendum videtur, ut alia constituatur reip. forma; illud potius agendum, ut corrigat et sarciat, qui potest, dum vivimus, arguat licentiam, et fomenta admoveat ulceribus. Aliud est mutare, aliud corrigere.

Noli agitare libidinem plebis, ne lasciviat; eique decem ulnarum spatium adimere magis aequum est, quam palmae latitudinem vel etiam transversum unguem concedere, cum est opus; nam plebs modum nec servat nec novit, et singuli in pectore clausos habent plures quam quinque dominos impotentes.

Non validis pugnis populo jus dicere fas est;
Ingenio decet hunc consilioque regi.
Sanguine stat multo prisci mutatio juris,
Rerum gestarum quod monumenta docent.
Sic nova cui libeat Germanis condere jura,
Is ter vastatum viderit ante solum.
Antiquos mores subvertere quilibet ausit;
Leniri utilius vulnera prisca puto.

Nam parva est virtus, priscos evertere mores;
Unde novos possis condere, quaere prius.
Interea vitiis vindex acerrimus insta
Ne moles tandem crimine victa ruat.
Lascivam plebem mox exultare videbis
Illam si freno liberiore regas.
Contrahe, non laxa plebi sua frena furenti,
Unus enim Sullas pectore quinque gerit.

33

Germani optimarum quarumque artium mutua aemulatione erecti, inciderunt in bellum septenne, quo vix memorabilius post hominum memoriam gestum est. Hoc bellum *Maria Theresia*, Augusta et Regina regni Ungarici et Bohemiae, adjuta armis plurimarum Germanici Imperii civitatum, Russiae, Galliae et Sueciae gessit adversus *Fridericum* II. regem Borussiae, paucos Imperii principes periculi socios habentem. In eo universi ingentes Ger-

maniae exercitus, exterorum militum magna copia ex plurimis Europae provinciis auxiliante, concurrerunt. Sed Germanica res eo tempore adeo florebat, ut armati longe plures quam quinquies centena millia internecivum tot annis gerentes bellum, neque fame expugnarent Germaniam, neque manifesta admodum clade attererent. Nec unquam clariora belli decora pepererunt Germani, quam eadem tempestate, suo quidem continuo detrimento; sed profecto isto abhinc tempore Germanos rei militaris magistros praestantissimos judicabant exterae gentes. Maxime autem postea Gallis, qui antea Germanos ignorato gentis ingenio, despexerant, quandam sui admirationem injecerunt. Finem ejus belli fecit pax in castello *Huberti* facta, ex eoque id maximé consecutum est, ut reip. suae et vires et dignitatem et praestantiam magis jam experti essent Germani.

34

Ludovicus decimus quartus Belgio foederato propemodum armis oppresso, quod dignitatem et commoda Germaniae valde laedebat, eam principum Germaniae discordiam alebat, ut principis Electoris Brandenburgensis auctoritate vix permoti prope oppressos liberos populos tuendos susciperent. At bellum à Germaniae Imperatore et Principibus indictum Franciae adeo non conspirantibus animis neque constanter perseverantibus gerebatur, ut postremo facta Noviomagi pace Germanis ignominiosa finitum sit. Deinceps *Ludovicus* sine verecundia insultabat Germaniae, domesticas discordias et adfectas vires non ignorans; qui in ipsa pace levissimam praetendens causam agros urbesque, in his Argentoratum, liberam civitatem, ademerit.

Paucis annis post Germaniae provinciae Rheno adjacentes iterum invasit rex Francorum 1688. habere quod de Germaniae Imperatore queratur dictitans. Totus *Palatinatus* ad Rhenum crematis eo jubente omnibus vicis pagisque vastus relictus, cujus saevitiae excusationem hanc attulit rex, sibi necesse esse, hostium milites commeatu privare.

35

Admiratione adficimur Romanorum propter rerum gestarum magnitudinem, maximèque propter devictam

ab illis cogniti tum quidem orbis partem pulcherrimam. Sed illis potissimum laudi est, non tam bellandi amor et invicta armis fortitudo, quam quaedam animi elatio, magnae quidem admixta superbiae, sed eadem liberalitate, fortissima audacia, arduarumque rerum molimine insignis, concors patriae caritas, commune libertatis studium, moles operum ad communem utilitatem injuria temporum fere invictae; largus bonorum patriaeque amantissimorum hominum proventus; ratio legum, quibus parebant; denique imperii clementia et justitia in devictis provinciis constituta, quibus eorum imperium passim instar beneficii fuit. Haec omnia venerabile quoddam decus conciliabant Romanis et ipsorum reip. eam firmitatem, quam dissolvere, nisi ipsi, nulla vis posset.

36

Sanè miserum est, quod laetae visu species, quae in arborum flore cernuntur, paucorum dierum intervallo è conspectu erunt sublatae. At quam brevi idem casus opprimet liberos illos florentes, qui nunc sua forma sibi valde placent? Hanc seriam meditationem ego et tu ex hortis in nostram solitudinem reportemus et in eam maximé curam incumbamus, ut, ubi omnis flos corporis marcuerit, uberrimis bonae mentis fructibus suppleamus illam amissionem.

Quae arbor, postquam laetum florem ostenderat, aestate omnibus nuda fructibus, objectu umbrae florum incremento officit, eam, qui hortorum cultu delectantur, negligenter aut etiam contemtim adspiciunt. Pariter miserabilis adspectu est homo, qui, cum adolescens pulcherrime floruisset corpore et fortuna, nunc, cum fructuum vitae percipiendorum tempus venit, nihil omnino fructuum reddens aliis obstat, quo minus suum quisque fructum reddat.

37

Guilielmus Schiccardus, natus Herimontii decimo ante Calendas Apriles 1592. defunctus nono ante Cal. Novembres 1653, insigne decus Academiae Tubingensis ab anno 1626. linguas orientales et, *Maestlino* mortuo, extremis quatuor vitae annis Astronomiam quoque magna cum laude ibi docuit. Is quidem erat, quem recte dixeris

etsi literarum cultui praematuro fato ereptum, tamen per breve spatium vitae Academicae de compluribus doctrinae partibus inprimis fuisse meritum. Eximiam, quà praeditus erat, ingenii vim ad comparandam multiplicem doctrinam resque utiles excogitandas contulit. Nihil omnino occurrebat, quod non celeriter mente adsequeretur. Idem ut promtissime ingenio res solebat percipere, ita maxima facilitate, quae habebat percepta, aliis sine ambagibus et perspicuè tradebat. Ejus autem cum alia admiranda sunt, tum maximè impigra industria; qui praeterquam quod multas horas docendo consumeret, et literas ad quam plurimos daret, in libris non solum legendis sed etiam conscribendis tempus operamque posuerit. At plures quidem libros, super Astronomia, Historia, cognitione linguarum edidit, ex quibus editae ab eo Institutiones ebraeae linguae tanti nominis memoriam in ludis patriae ad nostram usque aetatem protulére. Aliquot scribere ingressus reliquit imperfectos. Etsi linguarum potissimum et Matheseos scientia erat eruditus, tamen si arti Mechanicae iisque quae in fingendo versantur, parem operam navasset, parem in illis laudem videtur adepturus fuisse. Cum fortuna non ampla esset conspiciendus, tamen homini non deerant admiratores amatoresque, qui, quantus vir ille fuerit, et vivo illo et mortuo praedicarent.

38

Quod officium *Dioni Plato*, id saepe vix animadvertente patre, praestat mater filio. Ratio vivendi sapientis matris et ingenia hominum noscentis praeceptis instillata animo ad mentem propagata haeret. Quis est, quin ea duce, quam diligit, vel aspera via libenter pergat? De eadem re dicit *Iselin* vir celeberrimus: Si omnium virorum innocentia et probitate praestantium vitas haberemus cognitas, non dubium nobis videtur, quin inter decem futuri essent novem, qui matribus illa bona deberent. Nec satis liquet omnibus, quanti ad omnem hominis vitam sit momenti adolescentia pure ac éleganter acta; eumque fructum qui perceperint, omnes hunc per neminem alium, quam per suas matres fuisse consecutos; denique quicquid boni commodique insit rebus humanis, id proficisci à feminarum sapientia et probitate.

39

Duo viri, ornamenta Germanici nominis, ineuntem Seculi XVI. aetatem suà doctrinà erudierunt. Horum alter, *Joannes Reuchlinus*, natus Pforzhemii, postea Jurisconsultus in Wirtembergia, imbuendis vera doctrina Germanorum ingeniis, impigra sua cura, auctoritate, in libris scribendis diligentia, mirè inserviit. Hic potissimum sermonis graeci ebraeique amore incendit Germanos; prima etiam Grammatica ebraeae linguae elementa exposuit, qua ex re gravem invidiam Clerici ordinis expertus est, quod et doctrina illos longe vinceret et quod ipsorum erat, id faciendum susciperet. Alter *Erasmus*, natione Belga, Roterodami natus, sed majorem vitae partem Basileae privatam totamque in literis agens, *Reuchlini* non solum laudi successit, sed eam latius clarescens superavit. Ille post tam multa secula primus docuit, quot quantisque virtutibus ornatum esse oporteat eum, qui pro vera Christi sententia nec sine libero judicio, cumque idonea eruditione et communi utilitate tradere scita religionis velit. Idem intelligentiae per veterum Graecorum Romanorumque libros acuendae poliendaeque auctor fuit. Accedebat ingenium salibus abundans et ars summa festivè ridendi, nec vero magis homines, quam innumera vitia, errores ac ineptias, quibus solebat indulgere eruditorum, quos dicebant, vulgus.

In noctes inculta tuas, Germania, densas
 Miserunt radios lumina clara duo.
Reuchlinus curà, rebus, calamoque perennem
 Germano laudem doctus ab orbe tulit.
Primas ille faces doctrinae accendere verae
 Et Musas voluit per loca nostra coli.
Ille rudes docuit Germanos discere linguas
 Seu Judaea tuam, Graecia sive tuam.
Luminis illius vestigia pressit *Erasmus*
 Seu illum potuit vincere laude virum.
Hic juvenem docuit, quid sacris debeat aris,
 Qua poscant cura, qua pietate viros.
Ingenium ut possent prisco limare lepore,
 Cum Grajis Latios jussit adire libros.
Ipse sales cultos foecundo pectore promsit,
 Ridendo verum dicere doctus erat.

Non tamen hic homines calamo stringebat amaro,
Sed vitii sensit tela parata furor.
Sed doctae turbae lusus perstrinxit ineptos
Et secli risit nomina vana sui.

40

Germani, quales fuisse *Tacitus* refert, universi, quae sunt recta et honesta, sanctissime colebant. Nemo apud eos ridebat vitia; neque alios corrumpere aut corrumpi seculum vocabatur sive mos vulgi communis. Boni mores, quibus adsueverant à pueritia, plus apud eos valebant tum ad animum tum ad vitam, quam alibi bonae leges. His enim plerique homines non parent, nisi metu poenae, peccantibus in eas statutae; is autem, qui recta ultro sequitur, vel sine lege et poenà suo officio fungitur.
Quod Germani ex hac vita transiri in alteram et animos non cum corporibus interire credebant, fortius inibant praelia, ipsamque in mortem ruebant, quandam felicitatem, quanquam in sola corporis voluptate positam, sperantes.

41

Ex iis praeceptis, quae *Gellertus*, immortali vir laude florens, adolescentis operam literis daturi animo subjicit, hoc, quod in aetatem nostram praecipue convenit, excerpendum vobis putavi. „ Hanc cogitationem, optime adolescens, nullum vitae nostrae tempus vacare metu Dei debere, nunquam animo tuo sinas excidere, si cum prospero successu et aequo animo in literas incumbere nec modo eruditionis famam sed sapientiae quoque laudem velis adipisci. Cura ut perpetuo, quae sunt recta, studio sincero colas; quod si feceris, magis abs te colentur artes et homines. Nihil impedit, quo minus ingenium ornes doctrina vel neglecto metu Dei rectique studio; sed sic habeto, eo homine erudito, qui doctrinam non ornet pietate in Deum et probitate, nihil esse nec miserius nec vilius. “

42

Exeunte anno sexagesimo sexto post Christum natum *Nero* Imperator *Vespasianum* ducem, qui in Achaja erat,

in Judaeam misit, qui motam à Judaeis seditionem compesceret. Igitur hic cum ingenti exercitu Galilaeam ingressus expugnata Jotapa, ibique capto Josepho, illo rerum Judaearum scriptore, seditiosos homines urgere instituit.

Interea omnibus Judaeis praesente statu offensis, Hierosolymam confluentibus, tota urbs adeo impleta fuit sicariis, ut nemo mortalis sibi quicquam tutum videret.

Postremo ingens multitudo hominum maximam partem injustorum impiorumque in tres magnas factiones divisa, earumque alia in aliam dolo et vi ac quavis crudelitate invicem saeviebat. Hierosolymam *Vespasianus* multo prius undique obsidione clausurus fuit, si non moram fecisset Neronis Imperatoris interitus. Cum Neroni *Galba* et *Otto* brevi intervallo successissent, longius extracta est obsidio. Hac opportunitate usi, qui Hierosolymae erant Christiani, urbe auctore Jesu relicta, in oppidum Pellam trans Jordanem magna ex parte fugà se receperunt.

43

Interea *Vespasianus* ipse factus Imperator, traditis *Tito* filio copiis, Romam profectus est. *Titus* natura benevolentissimus, pacis conditionem bis proposuit obsessis. Quam oblatam veniam superbo et obstinato animo repudiantibus, vi capere urbem adgressus est. Cujus primo muro celeriter expugnato, in urbe arcte obsessa et ingenti hominum numero referta incredibile dictu est, quam gravis exorta fuerit fames. Hac necessitate adacti Judaei cibis vescebantur, à quibus natura abhorret. Ex utroque orta pestilentia. Factionum alia aliam ferro absumere, alii desperata salute semet ipsi interimere. Miseria adeo cumulari et omnem civitatem complere, ut simile exemplum non occurrat in tota historia.

Postremo *Titus* templum egregiè munitum expugnavit ceteris partibus urbis incensis, muros solo aequavit, magnam partem Judaeorum occidit, et, qui ferro consumti non erant, in servitutem abduxit.

Ita sub finem anni septuagesimi, quod ferè, quingentis quinquaginta annis ante à Daniele praedictum, Christus iterum dixerat futurum, sic evenit atrocissimo exemplo, ut nec parva momenta fallerent.

44

Anno post Christum natum sexagesimo tertio, qui Romae erant Christiani, auctore *Nerone* Principe, suppliciis vix fando auditis excruciati sunt. Hic saevi ingenii homo cum partem Romae incendendam curasset, exacerbatae ea re multitudinis iram à se in alios conversurus in vulgus edidit, incendii auctores esse Christianos. Jamque in Christianos antea invisos extrema crudelitate saevitum. Addita cruciatibus ludibria; alii ferarum tergis contecti canibus objecti; alii in crucem sublati; aliorum corpora pice circumfusa et incensa: excogitata acerbissimorum cruciatuum genera, ut exquisitissimis poenis adficerentur. Haec ipse *Tacitus* refert. Deinde secutae multae ejus modi calamitates eorum, qui Christo nomen dabant. Vulgo dicunt decies iteratam in Christianos extremam saevitiam.

45

Diversis causis impulsi perditum ibant remp. christianam. Lex erat, quae vetaret, nocturnos coëtus fieri sacrarum ceremoniarum causa. Itaque cum Christiani crebro ad sacra coirent vesperi, crimen videbantur admittere. Pagani ubique Deorum simulacra habebant, Christiani nulla. Igitur fama erat, homines esse, qui negarent esse Deum. Pagani cum quaedam de sacra coena accepissent, quale illud esset, ignari, coeperunt maledicere, dictitantes, parvulos jugulari à Christianis eosque vesci carne hominum. Denique si nullius culpae poterant argui, tamen erant, qui arbitrarentur, contemni ab illis Deos, et, qui Deorum simulacris sacrificare vehementer recusarent, magistratibus non esse obedientes; itaque hominum genus perniciosum reipublicae. Accedebat, ut fana sensim deserta essent, eaque ex re incensi ira in Christianos paganorum sacerdotes, et multitudinem et magistratus adversus illos concitarent.

46

Qui ante Christum fuére philosophi et eruditi, probe sciebant, nequaquam Deos esse, quae pro Diis coleret multitudo. Sed formula religionis à Deo ipso tradita de-

stituti, cum de eo disputarent, quid aut qualis esset Deus, ineptissima quaeque censebant. Alii mundum immensae molis animal esse, idque pro anima regi à Deo putabant; alii Deum opinabantur esse ignem latè fusum; alii animum esse beatum, qui nullam haberet humanarum rerum procurationem, alii dubitabant, an omnino Deus sit?

Non magis comperta habebant illa, quae solent quaeri, quomodo ortum sit genus humanum? Futurumne sit, ut corpus nostrum reviviscat? num animus sit immortalis? num improbos etiam post mortem maneant supplicia? Haec summa ignoratio maximarum rerum de Deo et animo, effecit, ut plerique pravae cupidini animorum naturà corruptorum temere obsequerentur, omnemque pudicitiam exuerent, ut foenerari, contra jus et aequum facere, dolo et fraude agere, et quicquid quaestuosum videretur, exercere non dubitarent; quo factum, ut quicquid recte praecipiebant philosophi, nihil proficeret in animis vulgi, et ultimo ac prope insanabili morum contagio laborare coeperit hominum progenies.

47

Hinc cum plebs mente capta superstitionibus esset dedita, inde pars hominum erudita aut parum aut nihil tribueret Diis, nec videret, quomodo ex his malis emergeret, animumque errore liberaret: peropportunè lux terrarum venit, quae omnium hominum mentes illustraret, eo quidem tempore, quo Deus sincerae religioni morumque sanctitati celeriter propagandae viam quam maximè facilem munierat. Nam primum ea tempestate magna hominum pars satis erat idonea, quae, quam ineptè simulacris Deorum supplicetur, haud dubiè intelligeret. Eadem nempe de causa, quia plurimorum mentes, cum verum investigassent, huic facile patebant. Denique non pauci eorum, qui rectius sentiebant, rectius se edoceri videntur voluisse. Ita factum, ut legati Christi longe faciliorem ad majorem partem populorum Diis fictis supplicantium quam Judaeorum animos haberent aditum. Deinde ad doctrinam de salute per Christum partà celeriter amplectendam Deus pridem hominum animos alia via perducendos curaverat. Quippe sacras literas graeco sermone reddi jusserat *Ptolomaeus Philadelphus*, rex Aegyptiorum.

48

Hoc sermone redditae literae sacrae intra trecentos annos per magnam orbis partem mirifice vulgatae sunt et à multis passim lectitatae. Nam ubique fere gentium erant, qui graecà linguà erudirent, eamque melior pars hominum sciebat. Eà denique multi Judaei aequè ac lingua patria utebantur. Haec autem gens non solum omnes ferè gentes mercandi causa adiit, sed multi passim fuère, qui Judaeorum Sacra essent amplexi. Ita factum, ut translatae in graecum sermonem literae et passim facile pararentur et ex iis omnes gentes de Deo, de Christo et de placato per illum hominibus Deo possent edoceri. His rebus accessit tertio alia, quam Deus in dirigendo rerum humanarum cursu, sapientissima ratione praevidit. Ea tempestate populus Rom. immensas terras adjecerat imperio, subjectis *Augusto* plerisque Europae, Asiae Africaeque populis. Id incredibile est, quantum adtulerit propagandae rei christianae. Ita communi vinculo junctis inter se populis, si quid scire multum interesset, id celerius quam olim ex una provincia in ceteras poterat perferri, tum ex regione alia in aliam tutius licebat proficisci. Denique Paulus, legatus Christi id inde consecutus est commodi, ut ipse, qui civis esset romanus, adversus Judaeorum insidias praesidium posset petere.

49

Quae nostra aetate in orbe fiunt, quasque rerum conversiones complurium terrarum incolae passi sunt, quamvis maxime praeter consuetudinem mirumque in modum videantur accidisse; tamen non pauca similium casuum exempla priscorum temporum annales nobis referunt. Hi quidem non solum reges potestate expulsos à populis, sed regna quoque ipsa sublata; regum imperia summae antea majestatis petulanter proculcata; obsequia in contemtum optimatum, et impotentem libertatis aequatique omnium juris cupidinem versa commemorant. Eorundem exemplis docemur, illos ipsos populos, suspiciosos libertatis suae custodes, qui crudeles dominos et haberent et dicerent reges, tamen acerbissima ducum multitudinis imperia subiisse, hominumque factiones regentium arrogantiae petulantiaeque misero fuisse ludibrio. Igitur,

quod est apud Salomonem in libro, qui inscribitur Ecclesiastes, nihil sub sole fit novi in rebus humanis. Iisdem omni aevo studiis, iisdem cupiditatibus agitantur mortales, nisi quod alia atque alia via, ut quaeque exardescendi occasio est, prorumpunt. Sed humanae res quanquam mobili orbe circumactae ad novas vices videntur redire, tamen Deus, quà pollet ratione, ita rebus hominum praeest, ut eo, quo velit, perducat omnia; eò quidem, ut postremo majestati Dei nihil non subesse debeat. Felicitatem per se consequi nec arbitrantes penes Deum esse sua omnia, irrito conatu nituntur mortales. Ille unus, quicquid animantium fecit, à servitute rerum vanarum ad libertatem felicitatemque perducere ut potest, ita perducet!

Nunc etiam regis Salomonis sunt rata dicta:
 Nil videt à celsa sol vetus arce novi.
Quod nunc quisque stupet, stupuit quoque, prisca vetustas,
 Acta refert eadem, non nova, sera dies.
Nam quisquis veterum cupidè legis acta dierum,
 Res hominum cernes ire tenore pari.
An nescis reges solio cecidisse superbo,
 Reddita romano libera jura foro?
Quae modo sceptra metu populum flexére ferocem,
 Mox ea sub pedibus res jacuére levis.
Quos modo magna viros fecit persona verendos,
 Hos mox pro vili plebs habet ipsa joco.
Jamque omnis rupit furibunda pudoris habenas,
 Aequum cum dominis ausa tenere gradum.
At miserè populus regalis nominis osor
 Cervices misit sub juga dira suas.
Pro sceptro sensit dominorum ferrea frena,
 Et quicquid servis saeva libido parat.

50.

Quidam Russorum militum praefectus N. qui descriptam decem annis abhinc Italiam prodidit, modum eos valde excedere judicat, qui nullam in Europa esse terram neque adspectu laetiorem neque fructu uberiorem perhibeant. Majorem ejus partem ait deformem esse montium nuditate et sterilitate, foedis impeditam paludibus, arvis horridam incultis longoque situ asperis, uno permeari flumine satis spatioso; pro sylvis omnia ferè loca humi-

libus vestita arbustis; multas esse arbores fructibus laetas, sed raras ita patulas, ut earum sub umbras possis concedere. Minus, quam vulgo credatur, jucundam et mitem esse coeli temperiem. Nusquam alibi tot homines occurrere enecatis gelu vel naso vel manibus; nec semel pecudes etiam circa Neapolin, cum ruri agerent sub dio, gelu oppressas periisse. Nusquam terrarum magis quam in Italia assiduo ex tempestate metu angi incolas; quicquid ventorum à septentrione invadat per aestatem, valde periculosum esse valetudini. Nec minus minuendam esse vulgarem illam opinionem foecundioris Italiae, quae laus praecipuè non nisi paucis provinciis et regionibus possit tribui. Vinum (si excipias illud Florentinum) nasci malae notae, infirmi saporis, vetustatem non ferre — Triticum provenire non optimum; olerum pomorumque pauca genera valde probata, cet. —

Ab hac autem descriptione quantum abhorret illud, quod *Virgilius* de laudibus Italiae pleno canit ore et animo, et *Propertius* his versibus complectitur:

Omnia Romanae cedant miracula terrae;
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.

Italiae pulchrae laudem qui jactitat unam,
Tot contemtores audiat ille novos.
Desine, noster ait, per grande sonantia verba
Hoc unum Europae commemorare decus.
Surgunt hîc steriles nudoque cacumine montes,
Stagnat ibi coeno turbida multa palus.
Arva situ longo deformia sentibus horrent
Nullaque multus ager sensit aratra diu.
Rarus ibi ripas spumosus praeterit amnis;
Pro sylvis fruticum collibus umbra datur.
Arbor multa viret, sed plurima parcior umbrae:
Pro Zephyris Boreae frigora sentit humus.

51

Non aliam ob causam perturbari omnem vitam errore inscitiaque videmus, nisi quod, quae in hominis vita praecipua esse deberent, pietas erga Deum, in homines beneficentia, virtus in ingeniis et moribus, ea ferè omnia negliguntur. Eademque ratione, quae maxime vitare deberemus, ea studiose expetimus, coecoque impetu ferimur

ad illa, quibus vita nostra plane fera atque immanis efficitur. Ex hoc fonte cupiditates insatiabiles exoriuntur, quibus non modo singulos homines, sed totas familias et universas funditus eversas civitates videmus. Id contra probis virtutemque amantibus accidit. Nam divinae voluntati obtemperantes, in ea se ipsos ac sua ponunt omnia; neminem laedunt; omnes liberalitate, benignitate, charitate amplectuntur; nulla re cruciantur; nihil adpetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupiditatumque radicibus ex animo penitus evulsis.

Cur tot mortales animos malus occupat error,
Tot scelerum servi tam rude pectus habent?
Nempe quod ingratae sordent haec omnia turbae,
Quae decuit summis annumerare bonis.
Numinis ille metus, sancta pietate probandus,
Ad dandum miseris usque parata manus,
Ingenio recto munitum pectus et arte
Et firmae robur quod probitatis habet.
Caeca mente brevi fortes jaculantur in aevo,
Quae potius cauto sunt fugienda pedi.
Hoc ex fonte fluit nunquam satiata cupido;
Hinc trahitur multae foeda ruina domus.
Quam melior rerum status est, pia turba, tuarum,
Cui potior virtus, cui meliora placent.
Illis sancta Dei stat pro ratione voluntas,
In qua se ponunt et sua cuncta locant.
Hi nullum laedunt damnorum vulnere quovis;
Effluit in cunctos pectore mitis amor.
Non angit mentes mala cura metusque quietas,
Nullaque praecipites caeca cupido rapit.

52

Virtus praeceptoris haberi solet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorum, et quo quemque natura maxime ferat, scire. Utile plerisque visum est, ita quemque instituere, ut propria naturae bona doctrina foverent. Nam alius erit historiae magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio juris et non nulli rus fortasse mittendi. Haec *Quinctilianus*. Quantum autem intersit ingenia discerni, quantopere parentes, si in destinato filiis studio perseverent, facile peccent, quantaque adolescentis fortuna

homo perspicacior intercedens causam ejus agat, memorabili ostendam exemplo:

Carolum Linnaeum, qui postea factus est artis herbariae ante alios intelligens, cathedrae sacrae pater suus destinarat. Sed cum in Gymnasio literis operam daret, dogmatica, Ebraea lingua et studiis severis, prae dulcedine scientiae herbarum, ad quas sectandas natura eum à puero potissimum vocabat, ab adolescente neglectis, cum praeceptores eum accusarent, pater indigne rem ferens in sutoris officinam erat detrusurus, nisi homo quidam sapiens perspecta adolescentis eximia indole et singulari in observandis rebus diligentia patri persuasisset, ut filium pateretur ad medendi artem se applicare. Atque is saepe postea, cum esset Upsalae, tristissima rerum omnium inopia exceptus, nihil habebat nummorum, unde calceos emeret, donatosque sibi à condiscipulis rem habentibus intus chartis lusoriis sternebat, ac cortice resarciebat, ut tandem herbas investigatum posset exire.

53

Qui virum se praebuit in vita, eundem in morte tenet gradum, quod unicum existimatur documentum verae fortitudinis. Nam homini in acie cadenti trepidare non perinde vacat, ac ei, qui mortem videt paulatim adventare. Hujus adventum eà, quae hominem christianum decet, constantia sustinere, verè excelsi animi est. *Rudolphus*, Germanorum ille Imperator, quo merito gloriamur Germani, ad annum tertium et septuagesimum pervenit, sed nec extremam aetatem deseruit illa animi aequitas, quae per totam vitam et in quovis casu in eo eluxit. Cui cum medici denuntiarent, intra paucos dies moriturum, nihil omnino perculsus, per jocum, age, inquit, ergo Spiram ultro proficiscar ad locum sepulturae. Nam Spirae quidem in templo Episcopali plurimorum virorum illustrium olim Germani imperii principum cineres, fragilitatis rerum humanarum lacrymabili monumento, erant conditi, donec illati à Francis belli furor delevit. Sed Spiram *Rudolphus* non vivus attigit, in itinere mortuus Germershemi, desiderio prosequentibus eum omnibus bonis Germaniae, immortali decoratus gloria viri fortis et reip. amantissimi.

54

Posteaquam *Hildebrandus* sive *Gregorius* VII. Pontificis Romani suscepit imperium, paulatim supra modum crevit Romanorum Episcoporum auctoritas et dominatus. Illi prae se ferebant, se divi Petri dignitati successisse et vice Christi in terris fungi. Igitur cum Christi personam agerent, quicquid ad salutem coetus sacri pertineret, id omne in terris sibi esse mandatum. Ex quo consequi, ut longe magis, res hominum terrenas suprema judicum auctoritate decernendi potestatem haberent. Si quisquam principum, aut regum, aut etiam imperatorum moliretur, quod esset contra rempublicam sacram, licere sibi, imperium ei abrogare, et quod possideat terrarum donare alteri. Nec illi semel hoc facere ausi sunt. Cum plures imperatores inaugurari se Romae à Pontifice Romano voluissent, magis illud persuasum est populis. Coeptus est Pontifex Romanus pro Deo in terris haberi et major, quam mortali fas est, honor illi tribui. Cui opinioni multitudinis ut accederet auctoritas, sparsum est in vulgus et jactatum, eum esse Pontificem Romanum, qui in decernendis rebus ad religionem pertinentibus non fallatur, sed auctore ipso spiritu divino illas res tractet. Ne autem multitudo rem sicut esset, resciseeret, in Concilio Tridentino vulgus a cognoscendis literis sacris arcere visum est.

Triste tuum nomen regnis populisque, Gregori
Septime, qui crimen relligionis eras.
Dulce patris nomen tua fraus mutavit et astus
Nunc domini nomen fert pater ille pius.
Illa Petri clavis, reserans coelestia regna,
Ad regnum terrae suasit inire viam.
Ipse Deo natus christiano regnat in orbe;
Inviti partes suscipis ipse Dei.
Non opus est harum mortali praeside rerum,
Ipse regit terras, ipse tuetur opus.
At Christi in regnum tua sic audacia venit,
Dum poteras dictis conciliare fidem.

55

Attila, Hunnorum Rex, victorem exercitum in Italia ad Romam promovit. Vix erat spes, fore ut animum

victoris immitem, elatum, ac omni humanitate fere invictum, ullius oratio commoveat. Etiam conatus, a proposito illum absterrendi, poterat esse perniciei. Itaque nemo non recusabat Roma ire, ad illum pro legato excipiendum. Id *Leo* Pontifex Romanus, qui Magnus cognominatur, unus et sponte suscepit. Atque hic, quicquid religio habet gravitatis, quicquid potentiae prudentia, quicquid gratiae lenitas, id tam commode agitavit, ut ejus unius oratione captus victor exercitum, ab urbe Roma removeret, dimissa occasione, novas terras populandi aut subigendi.

Mirum, quas habeat linguae facundia vires
 Quid valeant telis ora diserta suis.
Ut rapidus torrens violentis abripit undis
 Sic trahit invitos lingua rapitque viros,
Qui silices habuit circum praecordia duras,
 In lacrymas subito solvitur ille pias.
Lingua potens flectit cor duri immite tyranni,
 Nec feritas illi, quae fuit ante, manet.
Militis illa minas victoris ab urbe repellit,
 Ut ponant reges arma cruenta, facit.

56

Utinam semper ita sapiamus, ut valetudinis nostrae diligenter habentes rationem iis praeceptis studiose obtemperemus, quae aut multorum usu annorum, nec raro damnis edocti, nobis collegimus, aut parentum disciplina imbuti, et ab amico moniti, accepimus! Sed ut alia bona, ita hoc omnium maxime praestabile, quanti sit, tum demum intelligimus, cum aliquandiu caruimus. Nolite vos, optimi adolescentuli, eo stultitiae progredi, ut ea aetate in qua nunc estis, valetudinis vires atterendo corpus languidum tradatis senectuti. Igitur quotiescunque obvium habueritis vigentem corpore virum aut senem, bonum illud invidendum, quanta possitis diligentia, facite vobiscum cogitetis, et talium adspectu hominum vehementer incitemini, ut animo ne quid indulgeatis, quod corpori aliquod adferat incommodum. Quo autem magis ad tuendam valetudinem vos cohorter, pauca praecepta, a *Cicerone* tradita, adjiciam. Is in eo libro, quem ad filium conscripsit, valetudinem ait sustentari notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse;

et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent.

Ut valeant firmo semper tibi membra vigore,
Haec utinam sedeat pectore cura tuo!
Sic tibi nempe sapis, sic vitae incommoda vitas,
Sic potes optata denique luce frui.
Te, puer, obtestor per dulcis gaudia vitae
Ne tabem lentam stulta libido trahat.
Exhaurit nervos brevis et male sana voluptas
Et fractas vires sera querela dolet.
Adspice saepe virum, gradientem robore firmo
Florentemque genis adspice saepe senem.
Hos tibi sume duces, pure qui vivere suadent;
Fructum consilii laeta senecta dabit.

57

Quae exempla Graecorum ac Romanorum animi magnitudine, fortitudine et constantia in ultimo discrimine eminentium accepimus, ea merito admiramur. Itaque ejusmodi facta et dicta nunquam audimus aut legimus, quin magnopere adficiamur animo eosque viros diligamus, quos animo excelso videmus alios anteisse. Nec tamen est quod arbitremur, illos populos solos tam egregia ingenii et morum documenta nobis prodidisse. Nulla est nec aetas nec gens, quae non aeque illustrium hominum exempla ostentet. Caritas patriae nos monet, antiquae rerum memoriae virum memorare, dignum qui cum istis viris fortibus comparetur. *Eberhardus* Contentiosus, Würtembergiae Comes, cum sociis adventavit, civitatibus, quibuscum ei bellum erat, muro munitum more antiquo coemeterium Doeffingae, quo homines circa habitantes sua bona comportaverant, obsidentibus. Statim primo proelii congressu, cadit *Ulricus*, Eberhardi filius. Quo casu nihil perturbatus pater suos hortatur, dicens, filium suum perinde ac quemlibet habendum; fortiter starent in acie; respicerent hostes terga vertentes. Hoc astutum consilium, quod comminisci vir magnus accepto tam gravi vulnere sustinuit, magni momenti fuit ad hostes vincendos.

58

Petrus I. splendoris, quo eminet Russia, auctor, licet multis vitiis laboraverit, multaque patraverit, tamen eum constat summa cura in id incubuisse, ut à populis humanitate excultis, quam plurimas disceret res utiles, quas reversus domum genti suae in feritatem et barbariam demersae traderet. Hac mente gentes peregrinas non eo adiit, ut urbes, quae essent capita imperiorum, et aulas principum obiret, sed, quo facilius populos lustraret, eorumque ingenia perspiceret, suae legationis splendore tegens majestatem, non erubuit, ad tirocinium fabri lignarii descendere Sardami. Neque tamen non videres, amplissimorum principum legatos istum tironem de pacanda Europa ire consultum. Hic cum esset Parisiis, *Ludovicum* XV. septem annorum puerum manibus tollens, auguratus est, hunc olim consilio, imperio et gloria superaturum *Ludovicum* XIV. Ex quo intelligitur, Petrum imperii laude clarum, rei militaris scientia insignem, plenumque consiliis virum, misere divinasse.

59

O miserandam gentis fortunam, cui supervenerit hostium exercitus, qui sine imperio et modestia habetur. Hujus autem vis quantum possit, quamvis maxime immitia regat ingenia, exemplo quodam ostendam. *Alaricus*, Gothorum Rex, Romam cepit. Nocte jam terris obducta, victores in urbem duxit, auditoque tubae sono horrifico discursum ad diripiendas civium aedes. Hanc inter turbam et grassantem, ut solet, licentiam *Alaricus*, quod divino et humano juri debebat, non immemor, ubi vidit, suos milites templa sacris spoliare, et ira incensos caede in Romanos saevire, rigido edixit imperio, ut abstineretur caedibus hominum, et sacra vasa templis redderentur. Ac Gothi quidem inter armorum strepitum atrocem paruerunt imperio ducis. Desierunt illi saevire in Romanos; hi autem stupore defixi viderunt eos, a quibus erant victi, vasa aurea et argentea, ab ipsis rapta, longis agminibus in templa reportantes.

Hic, ubi grassatur furiosa licentia ferri
Et freno iratus non remorante furor.

Cum vox ductorum non tangit militis aurem,
Sed vult arbitrii quilibet esse sui.
Heu, ibi crudeles dextras furor impius armat;
Plurimus innocua manat in urbe cruor.
Nil avidam frenat rigida sine lege rapinam;
A jugulis enses nil revocare potest.
O utinam nolit laxas dare ductor habenas,
Si vult imperium pondus habere suum!
Nam frenis opus est lentis in milite duro;
Ille bonus miles, qui timet ora ducis.

60

Suspicari licet, eos, qui nihil humani à se alienum putent, miseria hujus tempestatis, quae omni aetati omnique generi est communis, interdum gravius commoveri, nec quicquam vehementius velle, quam homines calamitatibus pressos onere mali aut jam urgentis, aut adventantis levari. Philosophia etsi praeclare docet, modice ac sapienter ferre casus adversos, tamen multo fortiorem consolationem, qua quisque nostrûm utatur, sacrae praebent litterae, quarum effata non modo omnes vitae molestias abstergunt, sed etiam placidam illam, jucundamque efficiunt. Nunquam igitur satis digne poterit laudari divinus ille liber, cujus effatis qui pareat, omne tempus aetatis sine magno angore et metu possit degere. In illo, qui suggerente Deo scripsere, viros singulari fiducia Dei munitos faciunt utramque fortunam sapienter ferentes, quo majorem effata et promissa, exemplis confirmata, haberent in animis auctoritatem. Sed quid opus est plura de illius libri praestantia commemorare? Ejus vis quaelibet solatia vincit philosophorum, quorum libros constat in paucissimos hominum vi sua redundare.

61

Sicut pleraeque urbes Germaniae nobiles, ita Stuttgartia suum aperit theatrum, quo omnis aetatis sexus et loci homines crebro eunt spectatum. Nec id mihi quidem reprehendendum videtur, quod vestrae aetatis adolescentuli interdum a parentibus veniam impetrant, illuc eundi, dummodo à latere matris probae, quae pudorem vestrum custodiat, aut boni patris nunquam discedatis.

Nam vos quidem spero illuc ire, non scenicum commode salientem spectaturos, aut scurrilia, quae non nisi vecordibus risum movent, audituros. Quod si faceretis, vanus esset futurus in vobis is, quem scena habet propositum, effectus. Sed vos, credo, spectatum itis ludos, ut gratiam probitatis et improbitatis turpitudinem, ut sapientium victricem praestantiam et miseriam insipientium in iis, qui ante oculos vestros agunt personas, magis adfecti animo cernatis. Ita demum moribus magis emendatis, quam quos attuleritis, exituros vos putate. Sed, pace omnium scenicorum dixerim, longe majus vobis et magnificentius theatrum patet, in quo homines variae naturae quotidie et sine privata impensa videtis in scenam prodeuntes. Viri, qui fuerunt et sive virtutibus sive vitiis excelluerunt, coram vobis, quotiescunque libet, suas quisque partes agunt. Qui quemadmodum loquantur, ut intelligatis, aut quod in illis est boni exempli, animadvertatis, eos habetis magistros, qui in hanc scenam vos ducant libentissime. Liceat mihi per vos optare, ut malitis hanc, quam illam, de qua dixi, visere.

62

Statua etiamsi insigni placeat pulchritudine, quales etiam hic loci cernere vobis licet, tamen, si laedat pudorem, oculos hortor avertatis, ne qua pestis clam se insinuet animis. *Aristoteles* eo libro, quem de republica scripsit, magistratus hortatur, id maxime putent suum esse, ut magnopere caveant, ne ejus modi statuae picturaeque in urbibus palam ponantur, quae commendent turpitudinem et adolescentulos reipublicae corrumpant. Coi insulae civibus quondam Praxiteli mandantibus, ut statuam Veneris fabricaret, hic confecit duas et optionem illis dedit. Altera erat velata, nuda altera. Haec etsi longe antecedebat formae gratia, tamen illam esse anteferendam recte judicarunt cives, qui non ignorarent, hanc, cum noceat pudori, moribus civium posse pestiferam esse. Et sane haec optio magis laudi est illis, quam si laeso pudore magis intelligentes aestimatores artis fuissent.

63

Theodosius Romanorum Imperator cum esset adolescens, non opus esse arbitratus, ut animo intento incumbat studiis, qui nihilosecius imperatoris dignitatem adepturus sit, omnes perscriptiones, quas ii qui a consiliis erant ei tradidissent subscribendas, ita subsignabat, ut inspicere illas non curaret; quem ille morem etiam tum obtinuit, cum factus esset imperator et uxorem duxisset. Hunc ut coargueret, quantae et ipsi et aliis perniciei posset esse ista negligentia, *Pulcheria* soror perscripsit tabulam, qua uxorem suae sorori se in perpetuum pro mancipio dare testaretur. Subscribit ille nomen, ut solebat, neque legens neque sciscitans, quid esset scriptum. Non multo post soror reddita tabula, ut legeret, magnopere obsecravit. At ille, cum legisset, cognito argumento, valde erubuit. Extemplo autem revocavit ab errore animum, nec postea quicquam subscripsit, quod non diligenti cura inspexisset.

64

Parvuli utriusque sexus bene secum agi debent existimare, quorum aetas in ea inciderit tempora, quibus non desint libri omnis generis, erudiendis aeque ac delectandis ingeniis. Utinam hanc gratiam habeant illorum auctoribus, ut quemvis alium librum, qui non possit non ruborem injicere legentibus, continuo ne pagina quidem lecta, indignantes rejiciant! Eorum ut quisque maxime placet, ita maximum ab eo imminet periculum. Vipera sub floribus latet. Hos carpturum, ictu illa petit. Sic se habent libri isti illecebrosi, qui probitatem non sentientium extinguunt. Fugiatis quaeso, quicquid pudorem, probitatis custodem, possit eripere. Qui a rebus indecoris vultum declinat erubescens et perculsus, quem pudet illas videre ac audire, hunc certe illas facere magis pudebit. O felicem illum, qui omnium rerum, pudori ac virtuti inimicarum, nihil unquam didicerit!

65

In pugna, quae ad Wimpfiam pridie Nonas Majas facta est, cum diu anceps et dubia inter utramque aciem

victoria fuisset, postremo *Georgius Fridericus*, Marchio Badae, posteaquam casu, extra ipsius vim posito, currus pulvere pyrio onusti flammam conceperant, tamen victus est. Dat se in fugam praeceps reliquus exercitus; ipse artis imperatoriae vim omnem, et quicquid posset bellantis audacia nequicquam expertus, ad postremum obsecratione suorum victus telum cruore adspersum acie effert. Tum vero quadringenti cives Pforzhemii, duce *Deimlingio* consule, pro centurione, ad corporis custodiam secuti principem, ne persequi posset hostis, adversus universas Austriacorum Hispanorumque copias victrices soli corpora objecerunt, obstinatis ad moriendum animis fortissime dimicantes, venia, quam *Tillius* Imperatoris dux summus iterum obtulisset, iterum remisso et constanti vultu repudiata, denique pro se quisque praeclara morte pro patria occubuerunt.

66

Passim fit fuga; soli cives Pforzhemii loco se non movent. Quod facinus duo inter omnes prisci aevi populos edidére, Graeci apud Thermopylas, in Sicilia Romani, illud nunc ab his editur. Quadringenti numero stant in acie; quadringenti omnem molem exercitus victoris sustinent. Data illis optione salutis, mortem poscunt; oblata illis incolumitate, anteponunt immortalitatem. Nihil aliud mente agitant, nihil expetunt, immemores sui. Tuo beneficio habemus omnia, patria dulcissima! Hic, ubi tua res in aleam datur, aut nostra, in hoc summo discrimine, hic a nobis reddita accipe tua munera, quae accepimus maxima, hanc animam, hunc principem. Dilapsus erat dudum fuga trepida reliquus exercitus; illi non respiciunt. Hostium ira atrox in illos irruit; at illi non labant. Ostentatur iterum incolumitas, decus, quicquid poscant; at illi fortiter recusant. Tali virtute pugnatum est nunquam. Ibi non videres indignationem desertorum, non audires gemitum victorum, non plangorem morientium. Patrem filius, frater fratrem, sodalem sodalis ante ora videt cadentem, neque lacrymans ingemiscit. Emittentes ex patenti vulnere quod superest in corde sanguinis, humi corpora erigunt ad dimicandum, et dum efflant animas, perimunt.

67

Deus pro singulari sapientia res hominum ita ordinavit, ut, sicut imbres solesque sub coelo, ita utramque fortunam confundat, eamque assidua vicissitudine jubeat succedere. Homines divitiis circumfluentes si exploratum haberent, fortunas suas nulli casui esse obnoxias, futurum esset, ut libido et ignavia, inhumanitas et odium adversus homines, insolentia et fastidium, nulli virtutum locum relinquerent. Contra, qui premuntur paupertate, saepe de rebus suis desperarent, nisi spes jucunda, quae molliorem reddit vitae acerbitatem, ad vigorem laboremque vires eorum excitaret. Atque haec scimus edocti exemplis. Quam paucorum divitum liberi evadunt homines frugi, si a teneris ostentatur spes divitiarum, et hac imbuti opinione adolescunt, nulli fortunae se esse objectos! Nihil artis percipiunt, vitam sectantur dissolutam aut inertem, indulgent libidini, denique circumventi malis, emergere ex illis nullo modo possunt. Commutata autem fortuna apparet, quid intersit inter eos, qui a pueris artem probe sunt docti, et inter eos, qui nihil operae posuerunt in studiis. Illum, ut opibus sublevent, ejusque artes in suam rem convertant, collato praemio, mille homines inveniuntur parati. Sed homo indoctus, rudis, laboris impatiens, quid aliud, nisi aut mendicabit, aut inedia conficietur?

Sic est in fatis: laetis miscentur amara,
 Aeterno variat casus in orbe vicem.
Si petis exemplum, naturae respice lusus;
 Nube solet pulsa candidus ire dies,
Miror in hoc magni divinam Numinis artem.
 Quae res humanas flectere sola potest.
Si non fortunae subsint bona divitis ampla,
 Nulli virtuti mox dabit ille locum.
Serviet ille gulae, pascetque libidine ventrem,
 Languori vitam desidiaeque dabit.
Ferreus ille preces surda depellet ab aure
 Immitisque odii semina pectus alet.
Despiciet tenues diti sublimis in aula,
 Et fastu plenus turgida verba feret.
Contra, quem vexat duris in rebus egestas,
 Spem tamen in misero pectore fortis alit.

Haec divina comes vitam solatur amaram,
Haec inter curas corda serena facit.
Haec quoque pauperibus suadet perferre laborem,
Vivendi causas suppetit illa novas.

68

Quantamcunque in rebus hominum consilio et opera apparatis potentiam molemque et vim invictam animo concipias, earum nihil non vanum et inane montium juga suspicienti videbitur. Agedum, non unius sed multorum una populorum vires conjunctas tanquam in aciem educas adversum ingentem vim naturae, quae ex montibus nec viribus supra modum contentis facillime erumpat, nullas esse illas, adpareat. Finge animo ingentem exercitum, eumque quovis horribili instrumento stragi passim edendae instructum, forte in valle montibus inclusa, castra posuisse, et cogita tecum, quam subito istae montis valli imminentis ruina oppressae copiae ad nihilum redigerentur; quam vano labore universus istarum copiarum impetus adversus illud malum facillime eventurum niteretur. Ita nec opinante quoquam mortalium fieri posset, ut aquae torrentes ex montium jugis praecipiti cursu devolutae populos simul cum eorum operibus magnifice structis campis tanquam rasis auferrent. Id vero ut accideret, nihil aliud esset opus fieri, quam ut vere, quum in jugis montium nives coelo prope sunt immixtae, hae aut tepido aëre aut ignium sub terra latentium eruptione subito solutae diffluerent.

Adspice congestos humanae molis acervos,
Virium opus quod vis vincere nulla queat.
Sed tamen has hominum mirari desine vires,
Ante tuos oculos si juga montis erunt.
Quae modo magna fuit, nunc res tibi parva videtur,
Et venit ex oculis in tua corda stupor.
Congere tot populos, quot arenas littora reddunt;
Contra naturam quam leve pondus erit!
Innumero comple montosam milite vallem,
Des omnis cladis noxia tela licet.
Jamque alti montis subitam tibi finge ruinam;
Mons unus subito tela virosque tegat.
Nil ibi proficiant vanae sine viribus irae
Et victus redeat quilibet inde labor.

An sentis, quam sint mortalia viribus orba?
Invalidaeque manus an memor esse potes?

69

Complures gentes liberos, qui non possent ipsi sibi consulere, numero hominum non habendos censuisse videntur, cum summam potestatem vitae necisque illorum patribus permiserint, vetito tamen homicidio. Apud Graecos licebat recens natos exponere, et inedia necandos relinquere. Idem licuisse Persis et Romanis videtur. Spartae quilibet civium debebat partum infirmae valetudinis aut deformem exponere, ut respublica non haberet viros nisi procero et robusto corpore. Quod etsi primum videtur ab omni humanitate alienum, tamen mitius de eo judices, si reputaveris, quo pauciores fuerint infirma valetudine parentes, eo rarius genitos fuisse, qui corpore minus valerent. Memorabile est illud, quod Romae, in qua civitate potestas patrum paene infinita erat, tamen amor inter patres et liberos magnus intercessit, et vix exempla patrum summum jus usurpantium exstitere.

70

Oculis nostris occurrunt ineunte vere ejusmodi rerum vices, quae non possunt non in admirationem rapere diligentius observantes. Quem hieme videbatur amisisse vigorem, eum paulatim recipit natura. Humus primos flores fundit. Flosculos germinant arbores. Foetus insectorum aliorumque animalium suis quisque exclusi ovis, cum vigore, motu et appetitu voluptatis nascuntur. Hic novus vigor, per duo genera rerum praestantiora diffusus, proficiscitur à calore redeunte, qui vim plantarum animaliumque sopitam quasi excitat, eorumque vires renovatas agitat. Solis beneficio haec omnia tam pulchre mutantur. Ille est fons omnis vitae, omnis motus, omnisque voluptatis, cujus vis benigna in omnia rerum genera emanat. Ejus adpulsu excitata sementis in gremio terrae herbam elicit. Ejus ope nascuntur plantae et crescunt. Ejus accessu vires accipiunt animalia. Quicquid spirat, vivit, sentit, crescit, salubrem vim hujus sideris tanto splendore conspicui experitur.

71

Caesar Augustus cum *Asinium Pollionem* nobilem romanum versibus perstrinxisset, exhortantibus familiaribus, ut hanc injuriam ulcisceretur pariter illum perstringendo, ego vero, inquit *Pollio*, valde recuso. Video enim, desipientis fore, in eum scribere, qui me potest proscribere. *Favorinus* philosophus, cum *Adriano* Imperatore de vi cujusdam vocis disputans, mox victas manus dedit. Id reprehendentibus amicis, vos quidem, inquit, minus rem ponderastis, si me vultis videri doctiorem eo, cui triginta legiones parent. Minus quam hi, sapiebat *Philoxenus* poëta. Hunc secum habebat *Dionysius* Syracusanus. Quondam tyrannus, cum super coena carmen a se compositum recitari jussisset, eoque recitato quaesisset ex convivis, quid de eo judicarent, *Philoxenus*, cui illud admodum tenue videretur, libere sententiam dixit, sed in eo carcere, in quem rei mittebantur ad opus grave damnati, poenas libertatis dedit. Omnino nefas est, verum dissimulare, sed in rebus nullius momenti, aut certe levioribus etiam in eos, penes quos imperium est, morose et rustice aliquid facere, dementis est.

72

Ea ratio, quam Romae nobilissimus quisque in educandis pueris sequebatur, paene digna est, quae omnibus numeris dicatur absoluta. Ludo primum admovebantur pueri, donec linguarum studiorumque elementis essent imbuti. Deinde viri doctrina insignes a quibusdam etiam domo recipiebantur, qui puero viam discendi monstrarent, ita ut magni momenti haberentur mores magistrorum. Tum filium pater ipse artibus pacis erudiebat, quas vix melius ab alio quoquam doceri poterat. Postremo adolescens romanus ad virum senem, qui usum haberet rerum civilium, se conferebat, res agenti semper aderat, sententias ejus et responsa in foro audiebat, eumque vel euntem in provinciam sequebatur. Talis senex adolescenti, cui potius bene cuperet, artes civitatis regendae occultissimas aperiebat. In castris item adolescens romanus virum rei militaris gnarum, non nemo ducem ipsum, in cujus erat contubernio, magistrum habebat disciplinae et scientiae militaris.

73

Omnis voluptas, quam animo tantum imaginationibus luxuriante concipimus, brevem adfert fructum, eamque tam cito elabentem, quam somnium, cujus omnem splendidum apparatum oculi denique somno soluti nusquam conspiciunt. Quae autem voluptates ex mente confirmata et animo pietate in Deum imbuto effluunt, quasque opera Dei intuentes percipimus, ea, cum novam super veterem laetitiam capiendi copiam praebeant, nunquam deficientem, nec finem unquam sunt habiturae. Distinctum sideribus coelum, obsita florum colore vario humus, concentus avium consoni, denique prospectus mille modis variati copiosas gaudendi causas nobis suppeditant. Quodsi his rebus non fruimur, nos in culpa sumus, qui forsitan naturae spectacula aut leviter praeterimus, aut lentioribus animis intuemur. Haec est scilicet pulcherrima hominis pii scientia, quod non ignorat, quemadmodum nec casu ullo nec tempore impeditus ita gaudeat, ut nec magno egeat apparatu, nec turpe quicquam committat.

74

Adesdum, bone homo, quid viribus, quid ingenio valeas, experire. Tantumne polles, ut unam arborem suis conspergas floribus, unum procrees folium, unum ex humo elicias herbae culmum, unam tulipam suo decore exhibeas vestitam. Adeste vero, artifices pictoresque, terrae florentis opera artificiosa, quanta potestis diligentia, examinate. Quid est, quod coloris melius temperandum, quod aptius struendum aut convenientius disponendum censeatis? Num tandem ii estis, qui florentis persicae ruborem gravem oculis vestro penicillo effingatis? Hoccine in vobis est artis, ut candidos colores et simplicem pulchritudinem cerasi florentis manu assequamini? Assequamini, dico? Num denique ea est acies ingenii vestri, ut florentis naturae apparatum divinum animo omnem complecti aut artem non imitabilem vel mente possitis assequi. Si non haberet orbis, quibus documentis manifestioribus potentiam sapientiamque Dei demonstraret, verni etiam flores sufficerent ad eas nobis demonstrandas. Quicquid floret, quicquid est herbarum florumque, id omne diffusam per orbem Dei benignitatem sapientiamque manifeste nobis ostendit.

Huc ades, o mortalis, et omnibus utere nervis,
Monstra, quid valeas, quid reperire queas.
Num potes huic malo pulchros inspergere flores?
An parvum folium frons tibi jussa dabit?
Una solum, quaeso, fac rumpat graminis herba
Unum da tulipae posse videre decus.
Huc ades, arte potens varia, doctissime pictor,
Et gravis hoc florum perspice censor opus.
Quid tua docta manus poterit mutare colorum?
Aut rem consensu quis meliore struet?
Duc, si forte potes, rutilum penicille ruborem
Persica quo florens nunc decorata nitet.
Aut flores cerasi puros tibi sume notandos,
Quaque illi nobis simplicitate placent.
Quid jubeo tantas naturae effingere formas?
Quas nec mens hominis dinumerare potest.

75

Quo tenore in vicem succedunt stirpium florumque genera, eundem servari videmus in progenie hominum. Nemo non mortalium, ubi terrarum Deus sapientissimus decrevit, ibi nascitur; nemo non, quod nascendi tempus delegit Deus, eodem in lucem editur. A principio rerum proles hominum altera super alteram in scenam vitae prodit, quo quamque ordine, loco, tempore prodire voluit omnium rerum effector. Interea dum parvuli nascuntur, in cineres solvuntur alii. Dum alter operam navat, ut suas quondam utilitates in medium possit conferre, peractis alter partibus scena decedit. Incertum, quando mea sors sit exitura? Quandocunque autem futurum est, utinam sic discedam e vita, ut stationem meam cum eadem relinquam laude, cum qua suam tulipa aut rosa, quae ubi adsunt, in areolam, in qua satae erant, plurimum conferunt vel voluptatis vel utilitatis.

Sin autem alius atque alius antiquae fidei homo rebus humanis eripitur, non est quod angar. Sicut enim, quo loco defloruerant verni flores, novarum quicquam stirpium pullulabit, ita illius damnum haud dubie Deus supplebit.

76

Utinam eas apum virtutes imitemur, quas nisi coluerimus, secura et beata vita frui non possimus. Quam-

cunque inieris vitae conjunctionem, sic operam naves necesse est, ut a communi studio ne discrepes et patriae velis consultum. Hoc postulant ii, quibuscum vivis, hoc hominis Christum profitentis officium, hoc denique tua salus et incolumitas. Quod communis molestiae tibi sorte evenit, id subire ne pigeat, et, si opus sit, alienum quoque onus putes suscipiendum, si quid ab aliis aut propter negligentiam aut propter errorem delinquatur. Noli arbitrari, te pati incommodum, si fas et jus ac religio te jubeant, eorum causa, quibuscum vivis, plus suscipere, quam tui esse officii putes. Sed potius tibi laudi esse ducas, si major in te sit facultas, eumque te esse intelligas, qui impigro et utili labore vincas alios. Noli committere, ut animus vincatur privati emolumenti studio. O miserum et contemtum genus hominum, qui premendo alios suas efferre fortunas cupiunt, et qui quaestui habentes rempublicam, suam explent libidinem!

77

Olfactum in magna felicitatis parte a nobis esse ponendum, hoc maxime tempore moniti intelligimus. Illo quidem sensu destituti non omnem hauriremus florum omnis generis suavitatem. Per corporis nostri fabricam ita sapienter et benigne dispositam licet nobis benignitatem Dei visu pariter ac olfactu percipere. Hujus beneficii utinam nunc saltem, cum odores florum suavissimos haurimus, animo quam maxime adfecti memores simus! Ita si fruentes illo reminisceremur, quam bene nobis consultum voluerit Dei benignitas, id, quod Christo obtemperantium est, officium faceremus. Agite, non committemus, ut florum odoribus, qui gratissimi efflantur, inambulemus, quin animi impetu adsurgamus ad Deum tot munerum auctorem, cujus ratio flores tales fecit, ex quibus odores gratissimi efflentur, et cujus beneficio data est nobis facultas, multiplicem ex illis fructum capiendi. Hinc quoque colligamus praecepta sapientiae, quae ad nostram felicitatem valeant. Quanti est illud, formam corporis ornatam habere animo probo, et ad homines juvandos apto paratoque!

Munere divino gratos haurimus odores,
Flore datos pulchro quos habet aura levis —

Haec nunc sentitur nobis jucunda voluptas,
Cum decorant omnem gaudia veris humum.
Illo si careas sensu, quot gaudia desint!
Non varia flores parte placere queant.
At nobis sit odor nunc magni muneris instar,
Gratia de toto pectore plena fluat.
Nunc, cum suavis odor puris se naribus offert,
Quem pulchris efflat floribus omne solum.
Grata Deo pietas moveat tunc pectora sancta,
Si caleant tanto mitis amore Dei.

78

Quem aves modum in nidulis construendis sequuntur, in illo plurimas res admirabiles cernimus, quas homo vel parum curiosus nullius momenti habere non potest. Ista parva domicilia ad certum modum facta annon magis admiranda ideo censemus, quod ea tam multiplici materia compacta, cum summo labore et rerum delectu conglutinata, cum maxima diligentia, venustate ac elegantia uno rostri et binorum pedum ministerio adornata sunt et fabricata? Nam quod pulchras aedes et ad summam artem descriptas moliuntur hominum manus, illud quidem in his, qui ratione sunt praediti, quique artis instrumenta in promtu habent, et quibus copia materiae suppetit, minus est admirabile, quam quod avis, cui praeter rostrum ac pedes paene omnia desunt, quae ad struendas ejusmodi aedes opus sunt, tamen non summo nitore solum sed etiam summa firmitate et partium convenientia nidulum conficit. Qualiscunque sit haec avium vis et natura, id certe liquet, ejus effectricem esse divinam vim et rationem, quae tam admirabilem solertiam naturis animalium ingeneravit.

79

Oculos in rerum natura quolibet convertenti, ubique locorum occurrit, quod nunc sensus, nunc ingenium, nunc mentem suavissima tenet voluptate. Quicquid est ubique terrarum, id omne ita est comparatum, ut multiplices rerum laetarum vicissitudines mihi objiciat. Animus varietatis cupidus ut assidue invitatur, ita assidue satiatur. Nulla est diei pars, quae vacet oblectamentis,

unde et menti et sensibus suavissimum quasi pabulum nascatur. Interdiu suaviter me trahit species plantarum et pecudum, noctu intuens siderum splendorem animo efferor. Nusquam non molitur natura novas voluptates, quibus me nec opinantem delectet. Etiam vermes, folium, granulum arenae, ostentat mihi rerum apparatum summae artis et pulchritudinis. Hanc autem varietatem qui non animadverterit, neque mite consilium divini autoris animo perceperit, eum oportet oculis esse captum et valde vecordem.

80

Cicero ait: homines hominibus maxime utiles esse possunt. Id quin ipsorum officii sit, non magis potest dubitari. Societas enim, ad quam homines ratione et oratione compulsos esse philosophi dicunt, id unum spectat, ut hominum qui una vivunt, alter alteri, quantum in ipso est, consultum velit. At quam pauci inveniuntur, qui hoc officio fungantur! Tantum abest ut illi obtemperetur, ut misera exempla probent, vere dictum esse, quod *Cicero* eodem loco adjecerit, homines hominibus plurimum obesse. Qui longe praestare pecudibus sibi videntur, abrepti perturbationum impetu infra pecudes se abjiciunt. Qui rationis se participes jactitant, furore correpti, ne vestigium quidem illius ostendunt. Hominem ira victum difficilius domueris quam versam in rabiem bestiam. Hominis quidem ira adeo excedit modum, ut illius satiandae causa nihil non audeat. Contra naturam alter alterum trucidat lentus. Turbam hominum sanguinem et caedem sitientium quis sustinuerit? Concionetur licet vir, qui dicendo vel invitos rapiat et propter mores sit carus omnibus; aut nihil proficiet, aut boni consilii poenas ipse dabit. Si fieri posset, ut quisquam uno obtutu cerneret, quot saevitiae modis homo hominem super angusto etiam loco clam aut palam premat, puderet profecto, hominem esse.

81

Servestae miserabili casu accidit, ut adolescens sedecim annorum, qui apud hominem, omnibus carum, mercaturae operam dabat, cum vesperascente coelo ex aedibus se clam proripuisset, glande plumbea in pectus ad-

acta, ipse se interemerit. Herus qui adolescentem non secus ac filium diligeret, infelicis hujus consilii causam diligenter percontatus comperit, adolescentem cum serva familiae stupri consuetudinem habuisse, eamque gravidam esse cum palam esset factum, metu ignominiae confusum mortem sibi conscivisse. In quam vitam libidinosam, quomodo immersus fuerit, postea apparuit, quum cognitum est, tum quoque cum esset in ludo, legendis fabulis Milesiis, comoediis et ejusmodi libellis pudicum natura animum corrupisse, et impudicis imaginibus ingenium implevisse. Idem intelligitur ex relicta ab eo epistola, in qua fatetur haec: Insita animo meo semina probitatis sodales, quibus utebar adolescens, ut vitiarunt ita non funditus sustulerunt. Natura me proclivem ad rectum honestumque vicit voluptas venerea. Fac, quaeso, amice, ut sciant adolescentes, quid me pessum dederit, eosque mone, ut Venerem fugiant, et omnes illius illecebras. Illa me immemorem beneficiorum Dei, illa me immemorem officii erga matrem optimam, illa denique me immemorem meriti eorum, qui bene mihi cupiebant, reddidit. Plures dies continuos aegritudo animum exedens meum postremo in tacitam desperationem vertit.

Haec cum verba leges, ecquid pallebis amice
Et feries pavida pectora fida manu?
In mea fata manus strinxi; juvat ire sub umbras,
In misero est pridem pectore mortis amor.
Flete meum casum pueri teneraeque puellae;
Infelix perii moribus ipse meis.
Gestabam tenero virtutis pectore semen;
Heu poterant molli vellere semen humo!
Heu poterant illud turpes vitiare sodales!
Sed cor non totum torpor habebat iners.
Me generosus amor recti pulchrique movebat,
Sed vicit turpis mollia corda Venus.
Haec memorem sancti me Numinis esse vetabat,
Haec memorem matris me meminisse bonae.
Expulit haec meritum male capto pectore nomen
Officiumque viri, qui patris instar erat.
Hanc tibi supremam vocem cum sanguine fundo
Haec refer ad juvenes ultima verbo, precor!
Me dedit exitio Veneris damnosa voluptas;
Illecebras hujus quisque cavete mali!

82

Exempla virorum, quos humili natos loco ad fastigium nobilitatis evexit ingenii vis et labor invictus, valde salutaria sunt et frugifera filiis potentium, qui a pueris immodica sui generis opinione imbuti, et ampli patrimonii spe in tenera aetate impleti, aequales minus fautricem habentes fortunam, prae se contemnunt, ab iisque ingenio se vinci et literas per impigrum studium celerius addisci molestissime ferunt. Ista stultitia si qui vestrûm sint, novum affero exemplum, quo fortasse ab inepto errore revocati monentur ut puerorum ex plebe ingeniis nonnihil tribuant. Meministis quidem *Hopfengaertnerum*, Ducis Medicum, virum summis pariter ac infimis observatum ac dilectum, fortunis autem cumulatum, in hac urbe non ita pridem decessisse. Repetamus, si placet, genus viri et adolescentiam, omnemque vitae ejus ordinem, quod mihi quidem scire licuit, diligenter intueamur.

83

Pater ejus numero equisonum *Eberhardi Ludovici* Ducis, cum huic stipendio merendo impar esse coepisset, epistolas sarcinasque Hailbrunnam transportandas suscepit, quod susceptum munus ad vitae finem usque obtinuit. Domi erat res angusta, qua impeditos fuisse parentes credibile est, quo minus filium majori cura erudiendum curarent, quo factum, ut antequam decem annos esset natus, rudem haberet animum. Hac autem aetate cum frequentaret Gymnasii scholas, ad studium et laborem erecto animo, statim a feriis, assidua opera transactis, Rectorem adiit, et elaboratum a se opus judicio ejus subjecit. Ille primum suspicari, verba sibi a puero data, mox autem ab ipso compositum esse opus exploratnm habens, primum inter aequales locum habere jussit.

84

Hunc laboris fructum cum tulisset adolescentulus, quem stimulari opus non erat, adeo erexit animum, ut crescente in dies discendi amore scholarum curriculum emensus, denique dignus judicaretur, qui ordini studiosorum in collegio stipendiariorum Ducis Tubingae adscri-

beretur. Ibi ille adeo intento studio operam dabat literis, ut multas noctes nihil indulgens somno in studiis poneret. Id vero equidem non ita dictum volo, ut habeatis, quod imitemini. Multos enim adolescentes firmo corporis habitu nimium fretos, cum ita se fraudassent somni beneficio, aut gloriae cupiditate aut discendi amore incensi, vel praematura mors absumsit, vel corporis infirmitas consecuta est.

Ille per biennium, datum iis studiis, quibus instructum accedere ad theologiam oportet, tam prospero successu in illa incubuit, ut primum inter aequales locum sine dubio capturus fuisset, nisi cujusdam Professoris filius spem ejus moratus esset. Illum honorem ne suo filio praeriperet adolescens doctrina praestantior, patri istius, ut se nollet in ordinem scribi, sedulo persuadenti, obsecutus est. Jamque operam in literarum sacrarum studio ponens, nunc Tubingae, nunc aliis in locis orationes de rebus sacris habebat, clarus in hoc genere doctrinae futurus, nisi paulatim maximeque tum, cum *Mauchardus*, Medicinae Doctor, natis ex se erudiendis regendisque juvenem praefecisset, Theologiae eum poenituisset.

Corpora per somnos placidos animique levantur;
　　Ambobus contra nox vigilata nocet.
Grata quies somni fundit per membra vigorem,
　　Mentibus et robur sufficit illa novum.
Legem naturae juvenes ne spernite rectam;
　　Poenas contemtus exigit illa sui.
Per virides annos nimium ne credite nervis;
　　Cum minime credas, vis ea fracta jacet.
Saepe aliquem stimulat calcari gloria crebro
　　Aut artis nimio flagrat amore bonae.
Nec satis est, studiis dare tempora longa diei;
　　Sed requie noctis se vetat ille frui.
Mox tamen ultores veniunt ex corpore morbi
　　Et celeri florem mors secat atra gradu.

85.

His cum hominibus vivens, postquam medicinae scientiam potius adamare coepit, abdicato theologiae studio, in illam artem pari industria et felicitate incumbebat. Dein emensus curriculum, se recepit Stuttgartiam, ibi, quod

artis didicisset, re ostensurus; sed nulla ope parentum adjutus, cum in via, quam esset ingressus, videret se tardius perrecturum, mutata sede Stuttgartiae contulit se Goeppingam, quo in oppido nihil obstabat, quo minus artem demonstraret. Cognita deinceps virtute et palam facta, creatus a principe medicus, dum hoc munere fungebatur, id consecutus est, ut, qui nunc imperio successit princeps cum suis, ipsi potius haberet fidem, neque prius haec nunquam mutata, illum quam anima reliquerit. Eam autem nominis famam adeptus est, ut splendidae conditiones ei ferrentur, quas ille omnes, patriae destinans operam, accipere recusavit. Mores viri ex carmine, quo gener suus ei parentavit, summatim excerptos dabo. Frontis in eo moderata gravitas, consuetudo simplex et ingenua, animus laetitiae alienae particeps, in rebus secundis laetus, adversarum patiens. Temperantiae in victu admodum erat diligens, verum ut amabat, ita libere dicebat. Pauperibus pari cura atque locupletibus subveniebat artis auxilium. Fortem animum et robustum ostendit in morte, quae admotis dolorum facibus compagem corporis dissolvit. Memoriam viri excipient Wirtembergiae cives, dum prosequentur patriae decora grata recordatione.

86

Lutherus in libris suis ostendens, curam educandae sobolis valde cordi esse debere magistratibus, illius aetatis horrido, sed pleno sermone ita disserit: Est magistratuum et procerum, quantam maximam possint curam et diligentiam adhibere formandae soboli. Quorum enim fidei ac tutelae commissa sunt civitatis bona, fama, incolumitas, salus, illi, nisi civitatis incremento et augendae fortunae, quantum in ipsis est, assidua cura invigilarent, in Deum hominesque scelus admitterent. Sed ad florem civitatis non id tantum pertinet, ut acervos divitiarum congeras, ut moenium firmes praesidio, ut magnificis exornes aedibus, ut pyrobolorum et cataphractarum paratam habeas copiam, sed tum maxime viget floretque civitas, cum multos habet cives urbanitate, doctrina, sapientia, honestate, humanitate praestantes. Hi deinde tantum in se opis habent, ut divitias et quaevis bona colligant, collecta tueantur, beneque iis utantur. Probati ludi sunt ille fons, unde omnis emanat in vitam honestas; qui is

lapsi fuerint, omne lumen extinguatur necesse est et rerum divinarum et aliarum artium bonarum; quo extincto efferantur hominum animi et ad pecudum mores delabuntur. Idcirco optimo cuique principum curae cordique fuit, literarum ludos instituere ac tueri, quos magnam existimarent lucem affundere vitae communi.

Cura bonae subolis formandae publica res est;
Hoc gravis officium grande senatus habet.
His humeris fertur magnarum sarcina rerum
Sperat ab hac civis commoda cuncta fide.
Securae sub iis alis vitae otia quaerit
Et quicquid vitae prosperitatis inest.
Hinc urbis proceres laedant hominesque Deumque
Urbi si spernant invigilare suae.
Sed stabunt urbes, non auri pondere magno
Non muris firmis ingenioque loci.
Non, si magnifice surgunt sublimia tecta,
Civibus aut habeant tela parata suis.
Stat fortuna loci viresque acquirit ab annis
Et decus egregium praesidiumque parat.
Si cives alit urbanos, Musisque fideles
Conspicuosque bonis moribus atque fide.
Qui sanam mentem gestant in pectore puro,
Quique suam laudem, quod decet, esse putant.

87

Quo magis eminet parentum persona, eo est aequius sperare, fore ut eorum filii ingenuos mores prae se ferant, quos auctores sequi soleat grex imitantium. Sed eorum non pauci videntur opinari, per auctoritatem parentum sibi patere lasciviendi licentiam. De qua re quid homo, sui aevi prodigium, judicet, non modo jucundum sed et utile auditu fuerit.

Lutherus filium in conspectum suum venire ante tertium diem vetuit, eique veniam daturum negavit, donec epistola ad patrem missa supplex veniam delicti petiisset. Deprecantibus pro eo matri et duobus familiaribus, malle se, inquit, hominem occidere, quam profligatae modestiae filium habere. Non temere jussisse Paulum, ecclesiae antistitem eum esse virum, qui suam familiam bene regat, et liberos habeat probis moribus, quo salubriter moniti alii homines virtutis capiant exemplum, neque alienis

vitiis corrumpantur. Eo ecclesiastas tam excelso loco esse positos, ut recto suo exemplo virtutem exhortentur alienam; sed pessimo liberorum exemplo alios corrumpi et filios ex patrum auctoritate sumere peccandi licentiam. Sui denique filii si omni nequitiae genere lasciviant, ad suas aures nihil horum pervenire, nihil ad se deferri, celari se omnia. Idem sibi evenire, quod vulgo dicant: intra nostros parietes quod peccatur, id ultimi scimus patres; cum fabula publice narrata est, tum demum conscii nos sumus. Igitur statuo, inquit pater sapiens, animadvertendum in filium, eique nequaquam indulgendum neque impune dimittendum.

Quae paries noster natorum crimina cernit,
 Haec timor indulgens summovet aure patris.
Illa prius clamans totam fert fama per urbem,
 Quam patris irrumpunt in penetrale pii.
Cernis, quae maneat sanctos fortuna parentes,
 Qui rigida vellent lege tenere suos.
Interdum matris tegit indulgentia crimen,
 Dum metuit poenas tristitiamque viri.
Hinc illae lacrymae! sobolisque licentia pravae
 Ausa boni famam commaculare patris.
Credite, quos inflat generis fiducia clari,
 Grex sequitur tales stultior ipse duces.
In vestros mores vertuntur lumina vulgi,
 Hos servile sibi sumit inersque pecus.
Hoc est, cur deceat vos moribus esse pudicis,
 Conspicuos animi nobilitate pari.
Errant, quos in foeda rapit persona parentum;
 Nomen avi purgat turpia facta minus.
Sed rumpit frenos non rara libido pudoris
 Et patris innocui turpia jure tegit.

88

Ex Russia quae nobis nunciantur, posteaquam *Paulus* I. suscepit imperium, ejusmodi sunt, ut nemini non hominibus bene cupienti, etiamsi valde oderit regnum, non possint non magnopere grata esse et accepta. Hujus principis indolem liberalitas in Polonos, alios in vinculis detentos, alios bonis spoliatos, illis libertatem, his bona restituens, egregie illustravit. Impigra cura in id incumbit, ut domesticas imperii res, convenienter rationibus tem-

peret, neque magis cogitet novas res instituere, quam olim institutas revocare. Jus autem ut reddatur, omnium maxime contendit ejus diligentia. Cujuslibet loci homines, nullo nobilitatis tenuitatisque discrimine, aequalitate juris frui vult. Nec jam difficiles aditu sunt principes; nemo non statim admittitur. Difficillima olim aeris alieni exactio nunc expedita est. Antea cum principes eorumque clientes parum curassent creditorum flagitationem, nunc, posteaquam edicto omnes jussi sunt, aes alienum solvere, suum quisque debitor creditorem ultro adit, metuens, ne hic literarum aliquid inserat arculae juxta regiam positae; quo novo instituto princeps sapiens expeditam aperire viam voluit, qua quilibet ex populo seu querelam seu desiderium ad ipsum deferat.

89

Erant antea domini, qui homines suae ditionis aut in oppidis famulantes, aut rem habentes, ita capite censerent, ut illis quindenos vel etiam tricenos unciales, his plus aeris pro tributo imponerent. Hunc capitis censum aequaliter in omnes descriptum ad ternos unciales redegit imperator. Quod lucri relinquitur hominis labori, id ferre operae pretium jubet; ita fore, ut alii alios aemulentur, certaturam hominum industriam, futuros qui agrum diligentius exerceant, artes et opificia magis perfectum iri, res imperii florentiores, populum magis fortunatum fore. Haec omnia et plura alia, quibus imperator se humanitatis cultorem jurisque et aequi amantem ostendit, eam benevolentiam populi conciliant, ut supra modum illum vereatur. Russorum vulgus, quod praesentem in terris Jovem nominare solebat principem suum, eum, qui nunc imperat, Jovem ipsum dicit. Ipsius exemplum intra breve tempus mores longe alios formavit. Et aulici et magistratus, ut matutino magis tempore ad munus obeundum se accingunt, ita vesperi maturius abrupto opere quiescunt. Luxuria in dies magis temperatur, et vectigalium ratio in ordinem magis redigitur. Petropolis diligentes habet coërcitores disciplinae morum publicae. Imperator cum uxore, quam praeter aliorum principum consuetudinem diligit et amat, hospitia pauperum et alia, quae sustentandis egenis instituta sunt, circumire solet, ut hanc rem imperio saluberrimam praesens inspiciat.

90

Major pars eorum, qui suboli educandae atque erudiendae praesunt, non animadvertere videtur, ita factum esse à Deo hominem, ut corpore pariter ac animo constaret; adeo parum illorum interest, corpus ejusque vires cultu perfici. At nonne usu edocti scimus, animi vim referri ad corporis habitum, eumque, qui tenui sit valetudine, praeterquam quod continuis urgeatur incommodis, simul munus officii cum vigore ac labore nunquam intermisso tueri atque exequi non posse? Nonne autem videmus, magnam partem hominum, ob neglectam salutis curam, matura morte parvulos intercipi? non adolescentes eximia indole et spem sui praebentes pulcherrimam, quia nemo docuerit, quanti aestimanda sit valetudo, quidque ad eam tuendam pertineat, in flore aetatis emori? non viros praestanti ingenio, qui populorum saluti in secula optime erant consulturi, rebus magnis, quas moliuntur, morte eripi, quia, dum essent rudes, maturae mortis semina severint. Itaque ne impediatur corporis incrementum, curetur ejus cultus, doceatur suboles valetudini ac vitae tantum, quantum fas est, tribuere, fabricam corporis perspicere, eaque ne dissolvatur, providere.

91

Qui non in animum inducit, rerum naturam cognoscere, certe, quod ejus cognitum habere oportet, ut amet colatque ejus auctorem, ut veritate et convenientia rerum moveatur, et voluptates incredibiles percipiat, quas adfert admirabilium naturae operum contemplatio, is vix adpellandus est rationis particeps. Homo autem si neque naturam animi humani neque leges, quas in agendo sequitur, cognoverit, quomodo poterit in semet ipsum descendere, quomodo se et alios aestimare, ac meliores reddere? quomodo valetudinem tueri, cui quid prosit aut obsit, nesciat, quomode suis officiis fungi, si non fuerit edoctus, quid sit juris divini humanique, quomodo denique ad felicitatem pervenire, si ignoret, quemadmodum et suae saluti consulat, et ad aliorum fortunam aliquid conferat. An vero haec eos tantum scire opus est, quorum munus est olim praeesse aliis et docere? Quid autem? Nonne interdum perinde sapientis est,

parere ac imperare? Eumne vero, cui Deus ingenium consequendae sapientiae aptum dedit, non jure postulare, ut ab iis, qui genuerint, et qui educandum susceperint, sua indoles perficiatur?

92

Ego quam plurimos vestrûm esse velim, qui finitis feriis magnopere mecum gaudeant, oblatamque novas res discendi occasionem tanquam sitientes arripiant. Ut inficias non eo, tam iis qui doceant, quam iis qui discant, remissione interdum opus esse, ita persuasum habeo, quicunque justo labori adsueverint, eos omnes longius otium, ne dicam, desidiam pertaesos illam diem. Desiderasse, quae revocat ad filum studii intermissi repetendum Nam nihil agere animus pueri non potest. Vos autem qualiacunque praeter literarum studium agitaveritis, certe erant hujusmodi, quorum mox ita taederet, ut novum quoddam quasi pabulum expeteret animus. Quas vero cepistis voluptates, ubi tandem illae sunt? Earum nihil superest, praeter levem recordationem, quae denique et ipsa extinguitur. Itaque animus me non fallet, si credam, plerosque vestrûm, quos vel mediocriter adficiant res bonae et pulchrae, magni beneficii loco habituros, quod ad libros, unde sincera voluptas tanquam ex perenni fonte hauritur, et ab otio ad negotium revocentur. Ego quidem valde cupiebam, vobiscum, optimi adolescentes, in fines literarum iterum ingredi.

93

Ego per familiarem *Hochstetteri*, Ordinum Provincialium actoris, qui nuperrime patriae, suis, probis amicis praematura morte ereptus est, id consecutus sum, ut quaedam vel admiranda vel imitanda vobis de isto viro egregio possim referre. Pater mature decessit. Sed Dei beneficio id quod amisit, cumulate est ei redditum, cui contigit, vitricum nancisci talem virum, qualis fuit *Volzius*, Abbas, immortale hujus Gymnasii decus. Ille vir, qui omnia vere aestimabat, et impigra cura in rebus investigandis versabatur, eadem indole praeditum vidit privignum, eique diligenter excolendae operam admodum lubens dedit, quam operam egregie successisse eventus

docuit. Primum id consecutus est linguarum cognitione et Mathematicae. Illas adeo habuit perceptas, ut legendis auctoribus, quos vocant, classicis, animum in otio remitteret; mathematica autem ita fuit eruditus, ut non solum Arithmeticam ac Geometriam pro se ipse filio traderet, sed etiam is esset paterfamilias, qui de operibus fabrorum vere judicaret. Quam dulcem ille fructum gnavae adolescentiae hunc tulit, ut liberis, quibus totum se dabat, erudiendis ea, quae haberet animo percepta, posset adhibere! Maximum quidem natu filium sua unius cura per multos annos erudiendum putavit, etiam maximis, cum erat Francofurti, officiis distentus; in hac autem urbe in ipsius conclavi juxta suam mensam positam habebat, alteram minutam, cui adsidebant singuli liberorum, quibuscum loqueretur, si remissione egeret, aut paulululum haberet otii.

94

Studiorum cursu in hoc Gymnasio finito, adiit Academiam Tubingensem, ibi theologiae operam daturus, qui mitis homo ingenii ad munus ecclesiastae quondam fungendum natus videretur. Atque ille quidem quatuor annos in collegio stipendiariorum moratus, ad scientiam theologo dignam animum applicabat. Sed haud dubie, nescio quo timore occupatus, abdicato isto studio ad juris scientiam tractandam se contulit; quam quidem intra biennium adeo perceptam habuit, ut reversus Stuttgartiam, cum per breve tempus causas forenses egisset, Professor juris in Academia crearetur. Nunc autem habebat ipsius amor veri videndi, in quo versaretur. Sumebat sibi eas potissimum juris partes, quae, cum minime essent emendatae, investigandi studio locum maxime relinquerent, jus germanicum et camerale, quae vocant. Haec tractantis animus eo ferebatur, ut nihil nisi verum iret quaesitum. Placidis alioqui moribus tum vehementissime commovebatur, si quis mala mente vero repugnaret; ex qua animi vi efficiebatur, ut obstinato certamine istos homines improbos impugnaret. Isto autem impetu cum ad verum proclivis esset animus, fieri non poterat, quin pertinaciter teneret suam sententiam, nec vero, propter suam auctoritatem, sed quod vero esset consentanea. Idem maxime agnoscebat, relinquendam esse sententiam, ubi eam per se aut alio auctore falsam esse perspexisset,

denique nemo magis ingenue gratiam habebat ei, a quo erroris esset convictus.

Divinam mentem sacer impetus unus agebat,
Ut veri tectas posset adire vias.
Hoc illi gemmis erat, hoc pretiosius auro,
Has cupidum semper quaerere lumen opes.
Oblata praeda laetaris, fesse viator!
Laetior ille fuit, rem reperisse novam.
Ah, quoties vultu laeto narrabat amicis:
Fert meus ad verum lumina clara labor.
Sed contra verum pugnabas, improbe, frustra:
Pro vallo stabat fortius ille suo.
Ardebant oculi, certabat lingua diserta,
Postque breves pugnas hostis inermis erat.

95

Ratio docendi tum erat maxime jucunda et fructuosa, cum docebat quaestiones ponendo. Tenebat enim rationem Socraticam, qualem tenere paucis contingit, idemque se praebebat tam lenem, ut ex responso quamvis inepto saltem probabile quiddam eliceret. Nihil non ille facere cum quodam ardore, pauca cum impetu. Nec erat ullum doctrinae genus, quod non attigisset; nulla re non movebatur, disserebatque ea quoque explicando, ad quae animum non quidem applicaret. Nihil erat ei potius quam voluptate frui, quae ex rure percipitur. Hoc studio tum, cum professoris munere fungebatur, aedes, quibus adjaceret hortus, emerat, quod idem fecit Francofurti; unde reversus Stuttgartiam ordinatis rebus suis, id ante omnia faciendum putavit, ut hortum compararet. Ibi sua manu serere, sata rigare, surculos ramis arborum immittere. Qua die obiit, quatuordecim diebus abhinc effusus magna vi imber non continuit, quin carpento vectus hortum suum peteret, cum omnibus suis et natu maximo filio postridie Academiam adituro primum uvarum, quod esset paululum, vindemiaturus. Sed ultimum visurus hunc secessum ipsi suavissimum!

96

Quaevis adversa, nescio quo singulari casu ad omnem ejus vitam concurrebant, ut corpus, domicilium talis animi, qui officio non prius crederet satis factum, quam omnes illius partes explevisset, praematura labe dissolverent. Francofurti quidem, dum officio fungebatur, duo Imperatores Germaniae solenni ritu inaugurati, urbs a Gallis capta, eadem a Borussis recepta, continuae molis concursu partes officii distinebant, animumque sollicita cura gravabant. In eandem fortunam venit reversus Stuttgartiam. Bis mutatus princeps, acta de bello et pace, induciae, conferenda hostibus pecunia, imperatus ab illis commeatus, super haec negotia quaedam illi delegata, tot laboribus illum exercebant, ut vigori mentis corpus non sufficeret. Etsi eum, credibile est, ad extremam senectutem non fuisse perventurum, tamen vix dubito, quin intenta cura partes officii cumulatas explendi maturius eum eripuerit rebus humanis. Nihil erat ei patria carius; in amicos eodem, quo in semet, erat animo; salutis aliorum ita cupidus, ut suae illam antepositurus fuerit. Denique religionem colebat publice, privatim autem sic, ut boni patrisfamilias officio fungens, collectis circa se suis omnibus, preces et matutinas et vespertinas ipse praeiret. Egregium hoc exemplum facite omnes sequamini, quibus datum est, supra vulgus eminere.

Omnia certabant operosae incommoda vitae
 Corporis ut florem solveret iste labor.
Ut quercus succisa cadit post vulnera multa
 Ictu sic periit perpete dulce caput.
Saepe animus vires tenui de corpore sumsit
 Sed fessum tacito vulnere corpus erat.
Deseruere animi marcentia membra vigorem
 Haec fortem dominum destituere suum.
Hinc animus voluit, quod corpus noluit illinc:
 O pugnam nulli nobilitate parem!
Quid mirum, si mens haec vincula denique rupit,
 Posset ut adscensu liberiore frui?

97

Exempla majorem habere vim, quam praestantissima praecepta, nullis commendata exemplis, satis constat. Nec melius sibi consuluerint adolescentes, nisi cum auctore *Cicerone* optimos quosque et probatissimos homines elegerint, ad quorum mores componant suos. Dici non potest, quantum intersit, ad exempla bonorum sic conformari. Idem, quod *Cicero*, hortatur Seneca, quo nescio an quisquam ad istam rem magnam vehementius exhortari possit. Aliquis vir bonus, inquit, nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic, tanquam illo spectante, vivamus, et omnia, tanquam illo vidente, faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendet! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque, adolescens aliquem virum bonum: si quis tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum; elige eum, cujus tibi placuit et vita et oratio; et ipsius animum ante te ferens et vultus, illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant.

Plus valet exemplum quam verba diserta monentis,
 Et faciles aditus pectoris illud habet.
Ad rectum exemplum mores componere, multum est.
 Per virides annos hoc tibi sume, puer.
Si tibi dura placent, rigidum tibi sume Catonem:
 Lenia si mavis, lenior auctor erit.
Sed tibi sume bonum, cujus censura timetur;
 Vitae spectator sit rigor ille tuae.

98

Claros nomine sapientiae viros nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, ait *Quinctilianus.* Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse traditum, et exercitus Lacedaemoniorum musices accensos modis. Apud Graecos ille mos fuit, ut in conviviis post coenam circumferretur

lyra cujus quum se imperitum *Themistocles* confessus esset, habitus est indoctior. Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere, moris fuit. Musicam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse, siquidem et remiges cantus hortatur. *Cicero* quodam loco ait: Adsentior *Platoni*, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi modos, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos; et tum remittit animos, tum contrahit. Ut autem *Nepos* musicam censet abesse a principis persona, ita *Philippum*, Macedonum Regem, legimus judicasse. Hic enim filio *Alexandro*, quum suaviter admodum et perite in convivio cecinisset: Non te pudet, tam bene canere?

Quid valeant chordae, pulsatae pollice docto,
 Quid vox jucundis has comitata sonis,
Exemplo est Orpheus, qui traxit saxa canendo,
 Qui docta movit ferrea corda lyra.
Aegris pectoribus dedit hoc natura levamen
 Ut cantus variis mulceat illa modis.
Ingratum fallit cantando ancilla laborem,
 Illud solamen compede vinctus habet.
Lentos qui remos depresso corpore ducit
 Ad numeros jactans brachia pulsat aquas.
Cum raptam fortis Briseida luxit Achilles,
 Elicuisse lyrae dicitur ille sonos.

99

Christophorus Columbus cognita Jamaicae insula cum ibi esset, adeo laborabat omnium, quae ad victum pertinent, inopia, ut de salute militum, quos habebat, pertimescens, facere non posset, quin suas res arbitrio barbarorum permitteret. Peropportune in mentem venit, lunae defectionem instare, quod ejusmodi esse videbatur, ut facillime tanto discrimini se eriperet. Itaque primoribus barbarorum denunciat, nisi omnia, quae posceret, suppeditarent, ultimis se eos esse malis multaturum, ac primum omnium lunam suo lumine privaturum. Initio barbari comminationes hominis risu excipere; ubi autem lunam sensim condi viderunt, exanimati pavore omnia sua sponte detulerunt ad ducem, veniam deprecantes.

Hoc quod ita factum perhibent, documento sit, quantum trahere damnum multis in locis soleant rudes animi et superstitiosi, et quam male agatur cum iis gentibus, quibus non erat copia, foedis istis vinculis animos liberandi; quam autem utile sit, nosse vim corporum coelestium eorumque species oblatas, quantoque omnino qui plus sapiunt, rude vulgus antecedant. Nos autem miseros istius insulae incolas ne rideamus, quo nihil esset stultius, sed gratiam habeamus Deo, qui in Europa et in illius luce nasci nos voluerit.

Discite, quid noceat rudis ignorantia rerum
 Quidve superstitio gignat ubique mali.
Felices animos, qui norunt corpora coeli
 Et turpem luna deficiente metum.
Clarior Europae lux rupit vincula noctis,
 Quae tenet insana pectora capta fide.
O miseros Indos, quos occupat error avitus,
 Quae tenebris solvet lumina caeca dies!
Quod meliora vides a secli lumine claro
 Hoc debes magni munus habere Dei.

100

Marcus Aurelius, Romanorum Imperator, quem eundem Antoninum Philosophum dicunt, saepe illud a divino Platone dictum commemorare solebat: felix est ea respublica, cui praesunt philosophi. Quo dicto si nihil aliud significare voluisset, quam, acutissimi quemque principem ingenii summaeque doctrinae, qui Dei, rerumque et hominum naturam multum animo volutaverit, multasque res perceptas habeat, saluti eorum, quibus imperet, maxime consulere, minus vere judicasset. Licet enim princeps omnia praecepta ipsi necessaria egregie sciat, tamen si non aequet ingenium probitate, male idem imperet. At *M. Aurelius* eum animo fingebat principem, qui praeceptis philosophiae convenienter non tantum sentiret ac loqueretur, sed vitam moresque ad eadem componeret, ejusque hominis exemplum praebere ipsi cordi erat. Ipse praeter philosophiam, cui idem tribuebant Graeci et Romani, quod nos theologiae, simul juris scientiam, artem dicendi, aliasque artes ac disciplinas ita habuit cognitas, ut omnes qui ante ipsum erant, imperatores doctrinae et ingenii subtilitate vinceret.

Nil homini prodest ars multo parta labore
Si non in mores transeat illa bonos.
Si fluat ingenii rari tibi vena benigna,
Sola tamen probitas dat tibi grande decus.
Moribus ingenium juvenes aequate modestis,
Si vultis magni nomen habere viri.
Quid juvat ex doctis artes hausisse magistris
Et linguam in doctos solvere posse sonos?
Ut venit in succos cibus et corroborat artus;
Sic animus vires sumat ab arte bona.

101

Julianus, Romanorum Imperator, qui summa ope nitebatur, ut, sicut philosopho dignum esset, sentiret ac viveret, ex vulnere in pugna adversus Persas accepto, valde aequo animo decessit. Hic extremum jam trahens spiritum satis magnifice, magnaque animi elatione, ut paganus scilicet, elocutus est. Naturae, ait, hanc animam reposcenti, ut bonae fidei debitor, libens reddo. Laetari fas est, quotiescunque pars hominis melior a viliori secernitur. Nec meorum me factorum poenitet; nullius foedi criminis conscientia angor. Habeoque gratiam aeterno Deo, quod neque insidiis clam oppressus, nec diuturni morbi tormentis confectus, nec capite damnatus pereo, sed in flore partorum decorum ita gloriose ex vita discedo. Has edidit voces ille princeps, qui intra duo et triginta annos rebus humanis ereptus, annum admodum et sex menses imperium tenuisset. Ita, qua aetate plerique hominum, parant indolem ostendere, ea ille dudum in rebus maxime egregiis posuerat suam. Mortuum Romani brevi valde desideraverunt.

102

Devictis omnibus et externis et domesticis imperii hostibus, rempublicam ab omni parte pacavit *Probus* Imperator. Per id otium numerosos, quos habebat milites, non sinebat indulgere desidiae; quippe qui laboriosis operibus non distenti saepe ad insolentem licentiam prolapsi essent. Cum respublica tandem aleret milites, pro eadem hos aut armis dimicare debere, aut opera

sua ei prodesse, dictitans, variis, quae ex republica essent, operibus eos adhibebat, eorumque opera vel urbes condebat, vel insalubria paludibus loca exsiccabat, vel vineas serebat. Egregio illud erat documento, quid operae ad rempublicam adferre milites in pace possint. Eo tempore et armis eorum et virtute vix opus est. Tum illis laudi est, si reliquorum exemplo civium leniori quadam arte salutem patriae pro se quisque adjuvent. Ille imperator etiam id in animum induxit, ut priscam disciplinam restitueret, qua nemo unus civium recusaret, bello exorto, arma pro patria capere. Hac mente quondam dixit: brevi imperium romanum non egebit militibus. Sed haec ipsa vox, et dura opera, quibus vexabantur milites, horum iram adeo in eum incenderunt, ut ipsum, quo vix melior quisquam imperasset, e medio tollerent.

A patria miles sua fert stipendia scriptus
 Munera parva quidem, sed tamen illa capit.
Pro patria miles gratus ferat arma vicissim,
 Aut aliam pasto corpore portet opem.
Sic armis positis est quidam militis usus
 Si mutet duro tela ligone manus.
Non opus est gladiis, si carpunt otia gentes,
 Bellantis virtus vix habet ipsa locum.
Tum res digna viris, alias impendere vires,
 Ferveat ut placidae quodlibet artis opus.

103

Post annum a Christo nato trecentesimum, imperatores christianum nomen professi imperare Romanis coeperunt, quorum princeps fuit *Constantinus*, qui cognomen Magni meruit. Patre usus est *Constantio*, qui etsi sacris Christi non initiatus diem obiit, tamen eadem sacra ita habuit cognita tantique faciebat, ut ab iis profitendis non procul videatur abfuisse. Atque ille tam miti utebatur imperio, tamque sapienter administrabat rempublicam, ut omni populo esset carissimus. Quondam cum in eo esset reprehensus, quod minus argenti, quam pro principis majestate, haberet repositum, statim populo edixit, sibi non suppetere pecuniam; cumque paucarum intervallo horarum magnam ei vim argenti attulissent, his, qui se despexissent, videtisne tandem, inquit, in benevolentia

populi optimum thesaurum esse repositum, et eas esse certissimas principum divitias, quas teneant ii, quibus imperent. Atque ille, quam pecuniam sui tam bona fide ad se detulissent, hanc illis reddidit.

104

Per tria ab origine secula summa ope nitebantur Christiani, ut quae accepissent a Jesu ipsiusque legatis et credendi et vivendi praecepta, ab iis ne transversum quidem unguem discederent. Haec ut recte cognoscendi haberent copiam, non solum potestas data erat, sacras literas legendi, sed hoc officio nihil magis necessarium et salutare rati, quantum in ipsis erat, pro se quisque illud faciebant. Nec solum, cum sacra publice peragebantur, erant, qui sacras literas iis audientibus legerent, easque interpretarentur, sed, qui sacris praeerant, universos summopere exhortabantur, ut easdem intra suos quisque parietes magna cura legerent, et quod a se traderetur, ad eas examinarent. Fuere, qui linguis ei aetati communibus expressas redderent. Passim illae summa diligentia exscriptae, tum quibus uti quisque in templis posset, tum singulorum causa christianorum, easdemque locupletissimus quisque donabat tenuioribus. Liberi a teneris annis regente ut decebat magistro legebant; quas quo magis perspiciebant, eo magis postea, in quacunque essent vel conditione vel aetate, amabant, ejusmodi esse rati, unde optima quaeque cognoscere et ad sanitatem revocari possent.

105

Qui *Adriano* successit *Antoninus* Pius, is erat, quem vix quisquam imperatorum laude imperii vicisset, ejusque virtutibus frui datum Romanis ultra duos et viginti annos. Quod ei tributum est honoris causa, cognomen singulare; id ille meruit pietate, quam et sacris publicis et superiori, a quo adoptatus erat, imperatori etiam mortuo praestabat. Tanta ille comitate, tanta justitia, tantoque publicae salutis studio praeerat imperio, ut per tot annos, quibus imperavit, nemo habuerit, quod de eo quereretur. Omnes imperii populos pro una quasi domo habebat, cujus ipse parens communis esset. Nemo ex populo erat tam humilis, cui non pateret ad eum aditus. Sed nec

adulari se patiebatur, nec ipse adulabatur cuiquam. Tributa et levavit, nec acerbe exigi voluit. *Malo*, ait, *me esse inopem, quam aerarium meum cum afflicti populi damno impleri.* Admonitus autem, quod maximam privatae rei partem in cives pauperes erogaret, non decet principem, inquit, privatum habere emolumentum, nec privatae quicquam rei; ad bonum vero publicum omnia debet referre. Ita cum se gessisset, aerarium publicum impletum reliquit moriens, privatum prope vacuum.

106

Sed idem cum ratione et aequitate dabat beneficia. Hominibus qui frugi non essent, annua stipendia ab eo, qui ante ipsum imperavit, assignata ademit, prae se ferens, se non posse committere, ut ipsi, qui de patria nihil mererent, tamen nihil agentes opere aliorum pascerentur. Bellum ne suscipere cogeretur, summo studio cavebat, dictitans, malle unum servare civem quam mille hostes a se occidi. Idem adeo non erat segnis ad populos suos adversus bella ab aliis gentibus illata tuendos, tantamque ingenii famam auctoritatemque foris erat adeptus, ut belli gerendi necessitas prope nulla ei imponeretur. Neminem imperatorum ante eum principes gentesque extra romani imperii fines magis observarunt ac suspexerunt. Sumebant eum arbitrum dirimendis litibus, foedera cum eo inire cupiebant, et quos ipse renunciasset, hos reges probabant populi. Is *M. Aurelium*, pulcherrimae spei juvenem, adoptatum destinavit, cui imperium relinqueret. Hunc quondam unius praeceptorum funus lacrymis prosequentem monentibus aulicis, indignum esse principis persona tantum dolorem prae se ferre, imperator inhumanitate ista offensus, obsecro, inquit, sinite eum flere, nec prohibete, quin hominis fungatur officio. Neque enim aut philosophiae aut fastigio imperatoris tantum est tribuendum, ut ex animis evellant humanitatem.

107

Liberos, quantae magnitudinis beneficia a probis parentibus in se conferantur, intelligere oportet. Ejus generis sunt vita, bona valetudo, animi vires, cura alendi fortunaeque eorum prospiciendi, recti honestique

praecepta, quibus ad vivendum utantur, ars denique, quam professi habent, unde victum quaerant. Horum beneficiorum magnitudinem cumulat sollicitudo laborque et sumtus, quae omnia sunt parentibus subeunda, si ita velint promereri. Ex quo efficitur, ut secundum Deum parentes maxime nullo ducti utilitatis studio nec ullo victi labore de natis ex se mereantur, valde incerti, numquae praemia operae impensae capturi sint. Si autem, quod modo dictum est, id liberis tribuunt parentes, sequitur profecto, ut colere illos et observare debeant. Atque illi debitam his reverentiam ostendunt et voluntatibus eorum ultro obtemperando, et naturae imbecilliori indulgendo, cavendoque ne palam et acerbe reprehendant, et observando parentes, si humiliore sint fortuna, ea, ad quam casus provexit liberos. Deinde parentes coluntur fiducia ipsis ut amicissimis habita, maximeque, si nihil celetur, quod scire parentum intersit. Hoc quidem non raro liberos eripuit discrimini, ex quo per se non erant evasuri. Omitto tertium liberorum summum officium gratiae referendae, cum illum, qui beneficiis istis nequaquam dubiis non moveatur, omnis humanitatis expertem esse oporteret.

108

Non quidem acerrimus sit in castigandis malis moribus, si quis puerorum amorem ludendi pro peste habeat, cujus contagione infectus totus animus cum sensim quaevis studia graviora fastidiat, illam ne penitus insideat animo, summa vi esse reprimendam. Quodsi ex furore ludendi nullum aliud malum nasceretur, praeter illud, quod modo diximus, satis hoc ipsum admoneret parentes rectoresque puerorum, ut illi studio quovis remedio occurrendum putarent. Sed proclives ad eam rem animi puerorum facillime impelluntur ad flagitia et scelera, quibus admissis infamia et omni genere miseriarum obruuntur. Puer quidem lusor fraudandi rapiendique studio nec sentiens imbuitur; quibus nominibus quid potest esse turpius? Deinde crumena deficiente circumspicit, unde comparet nummos. Quam facile, eheu, manum porrigit, qua corripiat aliena! Jam non dubitat surripere, quod est parentum aliorumque bene merentium. At in quam perniciem infelici abreptus studio praeceps ruit. Ille autem perditus, qui stultioris hominis inscientiam in

suam rem vertit, cui alii simillimus est, nisi latroni, qui inermem in via oppressum spoliat? Qualem esse oportet eum, qui praedam insultans colligit et spoliatum a se dimittit desperatione confusum! Horret animus, mala, quae ex ludendi furore nascuntur, uno obtutu complectens.

109

In libello, defuncti Principis *Friderici* memoriae sacrato, rebus ab eo in principatu gestis merita laus tribuitur; qua cum nihil aptius sit ad gratam ejus recordationem et movendam et alendam, vestris adolescentium animis imprimenda putavi haec istius libelli verba: Sancte habebat rem patriae nostrae et publicam et sacram, ejusdemque bona instituta legesque juris et aequi tenacissimus tuebatur, honoresque incorrupto judicio decernebat, libensque collegiorum ac reipublicae administrorum vera monentium desideria exaudiebat. In trepidis quoque rebus non committebat, ut pecuniae publicae, quae rediret, cura, et sua cujusque diei negotia interpellarentur. Jucunditati etiam ita se dabat, ut nihil arbitraretur neque antiquius neque dulcius officio, destinata in diem munia imperii curis distenti religiose obeundi. Comis et affabilis cuilibet ex populo, quibuscunque rebus poterat, rebus adflictis subveniebat. Insignis erat munificentia in homines calamitate pressos et inopia laborantes. Nemo supplicantium qui vere indigeret, non exaudiebatur; nec temere fallebat nunciata publice singularis calamitas inopum, quam ille non levatam vellet liberaliter collata ex fisco suo pecunia.

Legibus atque aris sanctum servavit honorem
 Et patrii tenuit jura sacrata soli.
Juris amans princeps et servantissimus aequi
 Noluit a sacro jure referre pedem.
Munere cuique suo fungi dedit arbiter aequus
 Non dedit immeritis gratia coeca viris.
Non fuit ullius veri monitoribus asper,
 Responsum facili qui tulit aure pium.
In rebus duris absolvit pensa dierum
 Legibus et certis omne ligavit opus.
Solvere deliciae non hunc potuere tenorem:
 Officii semper sanctior hora fuit.

Comis erat populo patrioque affabilis ore,
Dulcis ei, miseros posse levare, labor.
Nullas ille preces aversa reppulit aure
Solamen miseris arca benigna tulit.

110

Epaminondae, quem summum Graeciae virum fuisse *Cicero* judicat, valde laudi est, quod devictis ad *Leuctra* Lacedaemoniis, hanc egregiam vocem edidit: ah pater, ah mater, quam delectabit vos nunciata victoria mea! Quanto laetiores facit res meas haec, qua delector, cogitatio! Poterantne hi parentes egregiae rationis, qua filium educarant, fructum ferre ampliorem? Pari se animo praebuit *Coriolanus.* Hunc accepimus ex nullo praelio rediisse, nisi decore virtutis relato. Alios gloriam petiisse virtute; ipsum, quod matri esset gratum. Ipsum enim pro summo decore et felicitatis cumulo habuisse, quod mater ipsum audiret laudari, decoratumque videret corona. Nec sane laetius quicquam potest cogitari, quam si filius probae indolis ea se conditione videat, in qua patri et maxime matri gratam pietatem declarare, eorumque senectutem possit efficere jucundam.

Felix, cui de matre datur pietate mereri,
Quique potest meriti vir meminisse pii.
Solarique bonis et permulcere senectam,
Nutricem mensae nunc adhibere suae.
Quam juvat assiduum grati dare pignus amoris,
Illi, quae puero pignora mille dedit!
Hos mihi fortunae si detur carpere fructus,
Hoc ego vir solo munere dives ero.

111

Duo fratres hortis colendis dantes operam, haereditate acceptum hortum, uterque pro dimidia parte colebant. Horum alter venusti homo ingenii cum valde eruditus sibi videretur, libros legendo tempestatesque et ventos observando tempus terebat. Mox, quomodo fieret, ut ex uno piso mille nascerentur, quidve esset causae, cur granum, ex quo nata cresceret tilia, multo esset minutius faba, quae ad duos pedes immissa humo emoritur,

et plures ejusmodi occultas naturae vias indagando animum agitabat. Sed his intentus curis homo cum de rigando horto non cogitaret, aestu et languore absumebantur olera, et fici, nullo tegmine munitae, aquilonis vi perustae emoriebantur. Ita nec erant poma, quae venum daret, nec suppetebat pecunia, nec, unde auxilium peteret, praeter fratris animum. Hic statim a prima luce intentus esse operi, laeto illud cantu molliens, rastro exercere solum, aqua perfundere, sedula manu serere, ut essent fructus, quos perciperet, nec velle de iis disputare, quae non intelligeret. Inde, quae humo commiserat, valde laeta efflorescebant; suppetebat pecunia, pomorum copia, gaudendi materia; sua copia fratris levabat inopiam. Hic cum mirabundus percontaretur, qua tandem arte rebus suis tam bene consuleret, manifesta res est, inquit. Ego diem in opere consumo, tu argutias persequendo perdis operam: utrum censes magis fructuosum? Tu misere animum excrucias, ego, quae adsunt, libens sumo. Uter nostrûm plus sapit?

Ille vias ardet secretas quaerere rerum:
 Hic grata carpit dona parata manu.
Ille libros inter lassato pectore sudat;
 Hic laeto durum carmine mollit opus.
Illi cura prior, perdiscere cognita nulli;
 Hunc super ignotis verba referre piget.
Immemor ille sui nil curat ponere lucri;
 Hic serit, et certo tempore messis adest.
Dic, uter illorum degat sapientior aevum?
 In promtu res est: qui metit, ille sapit.

112

Ille Bernensium legatus, qui per Helvetos proficiscenti *Bonaparti* imperatori comitem se ad quoddam spatium adjunxit, duodecim annorum filium ingenio et doctrina excellentem secum ducebat, quem hic inclitus fama imperator libens audiret confabulantem. Quondam cum vidisset puerum tabulae, Helvetiam describenti intentum, imperator, quid quaereret, interrogavit. Quasdam partes meae patriae, inquit, mihi nondum cognitas. Nostine hanc partem, quaerit porro imperator, tractum in finibus circa Perentruviam monstrans. Haec quidem pars non est Helvetorum, inquit. Datam vero a nobis habebunt

Helveti, ait ille. At vos, quid poscitis vicissim? Nihil autem, dabimus imo. Nihil autem? puer iterum ait, parumper meditabundus. Paululum moratus adjecit graviter: *Timeo Danaos et dona ferentes*. Ibi *Bonaparte* puerum amplexari, et monere patrem, ut filium magna diligentia educandum curaret; ex singulari genere hominem fore. Quid inesset veri in his verbis, ex *Virgilio* relatis, illico sentiens *Francorum* imperator illustris, magis se trivisse vatis romani carmina ostendit, quam hujus generis viri soleant. Quam multa sic possunt brevibus verbis comprehendi! Quam meditandi copiam facit versus iste unus! En iterum videtis, quae sit linguae latinae et veterum poëtarum praestantia! En iterum, quod exhortetur, ut in cognoscendis veterum scriptorum monumentis, quantum possitis operae, consumatis.

Quam juvat, antiquos puerum volvisse poëtas
 Graecia quos sapiens Romaque culta tulit!
Quam juvat, illorum pulchros decerpere flores,
 Floribus his pectus condecorasse suum!
Quaeque viri docto promebant pectore prisci
 Haec opportuno posse referre loco.
Hoc alit igniculos puerili in mente latentes
 Ardet in ingenio denique flamma potens.
Larga ex foecundo tandem seges exit agello
 Qui sic in primo tempore cultus erat.

113

Deus interdum divino quodam ingenio homines alios alio sub coelo, alium nobili, alium obscuro loco nasci jubet, tum ut suum in procreandis rebus arbitrium ostendat, tum ut iis hominibus magnarum rerum ministris utatur. Sed huic generi hominum singulari fere evenit, ut praematuro obitu eripiantur rebus humanis. Tam mirae homo indolis, cui nomen fuit *Nieuwland*, Professoris fungens munere Lugduni paucis annis abhinc decessit triginta annorum. Natus est in pago circa Amstelodamum. Pater artem fabri lignarii professus, idemque librorum valde cupidus fuit, et mathematicam satis doctus. Ille hunc filium, quem unum habuit, donec undecim esset annorum, sua opera erudivit. Fulgebat in puero singularis ingenii vis. Mater cum non haberet, quod tres annos nato melius daret, ad tempus fallendum, quam

aeri incisas a *Luikenio* tabulas, quinquaginta senarios, subscriptos interpretandis figuris, clara voce quondam recitavit, neque repetens, neque ideo legens, ut puellus memoriae mandaret. Aliquanto post rapitur in admirationem animus, cum audit puerum conspectis illis figuris senarios istos quinquaginta ad unum omnes recitantem. Hic nondum egressus annum septimum plus quinquaginta libros legerat, atque ita quidem, ut excerperet, excerptaque interdum versibus redderet. Quae autem carmina decimum agens annum in agresti patris domicilio inter ambulandum composuit, etiam cum id aetatis esset, magna cum admiratione audiebantur. Annum ingressus undecimum, cum duo viri nobiles et fortunati, pueri instituendi educandique curam suscepissent, linguam latinam graecamque optime doctus est, posteaquam lectitando optimos scriptorum, ex iisque primo *Cornelium Nepotem*, ac *Terentium*, grammaticam, nullo exemplo antea viso, per se composuisset.

Ingenii in terris si quondam lumina fulgent,
 Hoc magni fas est munus habere Dei.
Lucet in his virtus summi manifesta satoris,
 Omnia sublimi qui ratione regit.
Magna per hos idem ducit molimina rerum,
 Nempe nitent certo sidera tanta loco.
Non gignit tellus eadem, non educat illos,
 Nunc gelidus Boreas, nunc Notus imbre madens.
Nunc parit hos animos sublimes aula potentum,
 Nunc illos gignunt sordida tecta viros.
Sed brevis est eadem virtus et flore caduco,
 Et praecox pomum decidit ante diem.

114

Nescias profecto, qualem esse eum oporteat, qui adolescentes cum fructu docere velit, si cum magno Gymnasii nostri damno obiisse Professorem *La Motte* neges. Vos quidem, quibus isto doctore frui per fortunae malignitatem non licebit, si paucas viri virtutes attigero, facile illud intellexeritis. Ille non tantum bene doctus erat omnia, quae ad artes liberales pertinent, sed erat in eo admirabilis facultas, discentibus ex se, quae ipse sciret, mira suavitate tradendi. Id ille pari ardore ac ingenio faciebat, perdidisse se diem arbitraturus, quo,

qui ipsum audiebant, nihil novi addidicissent. Praeter linguas veteres Gallicam sciebat et Italicam easque sic, ut multum proficeretur, tradebat. Idem patrii sermonis praecepta accurata exponebat eruditione. Denique non sua unius, sed hominum causa doctrina ornandum putavit ingenium, cui nihil esset jucundius, quam alios erudire. Quam multi adolescentes eo doctore, eo hortatore sensum ejus, quod est pulchrum et excelsum, consecuti sunt, eamque notitiam sermonis Gallici, omnisque literarum Gallicarum generis, qua egregie instructi in coetus hominum prodiere! Quam facile benevolentiam adolescentium ita conciliabat, ut eosdem coërceret verecundia! Qua arte pro suo quemque ingenio tractabat! Quam libens re et consilio juvabat! Quam facilis erat aditu! Quam juvabat, praecipitatum in vitia adolescentem ad virtutem revocasse! Quid dicam de impetu orationis, de versatili ad quoslibet congressus ingenio, de officiosa voluntate immoderata, de liberalitate in egentes, de facilitate erga omnes? Has virtutes aemulando juvenes, qui ipsum colebant, perenni monumento tumulum viri decorabunt.

115

Miserabiliter ingemiscens quondam *Lucas*, videsne, ait, *Martine*, gravem atra caligine nubem istam huc ferri? Habes atrocem foedae cladis nuncium. Quid ita? inquit *Martinus*. An rogas? Quin respicis. Aut ego mentis compos non sum, aut ista nubes gravida est grandine, stragem late editura; messem speratam omnem ex vineis et arvis subita strages delebit. Nihil vero erit reliqui; mersi calamitate pagani paucis mensibus elapsis fame laborabimus, famem excipiet pestilentia, pestilentiam interitus omnium. Pestilentiamne mihi narras, inquit *Martinus*. Noli ita tui esse impos; collige animum; ego quidem istud non video, et si me vis dicere, quod sentio, longe aliam rem cerno. Ista enim nubes haud dubie imbrem, non grandinem importat. Longa siccitate exaruit tellus; liberaliter rigatis imbre arvis omnem messem habebimus laetiorem; longe plus foeni frumentique et uvarum affatim percipiemus; parata erit omnium rerum copia. Hoc qui videat, eum sane lynceum esse oportet, iratus inquit *Lucas*. Cui *Martinus*: nempe aliud alii videtur. Hem, si ita est, desino altercari; age, exitum rei expectemus; gratum est postremo vincere. Ego vero,

inquit alter, non is sum, qui hac re angar. Praecipites agit ira, jamque ardentes animis ad pugnam se accingunt, cum foedam nubem longe aufert ventus vehementior, nec grandine consecuta, nec imbre.

Si nubes altis incumbunt montibus atrae
Et claram involvit nox tenebrosa diem,
Heu mihi, quam gelidus pavor omnes permeat artus!
Quam timido coelum lumine quisque videt!
Tunc votis intra sua pectora rusticus ardet,
Jam non ad sanctas pectora tarda preces.
O gravidae nubes, arvis o parcite nostris,
Tristi ne jaceat grandine strata seges.
Ne teneras laedat natas é vitibus uvas
Nec decus amittat pomus opaca suum.
Parce, benigne Deus, miseris o parce colonis,
Ne messes laetas fulminis ira voret.
Integra post nimbos da nobis visere rura
Inque novas vires imbre levata tuo.

116

Hoc utinam nunc, cum sobolis procreandae curam habet avium genus, faciendum vobis putetis omnes, ut vos quidem, quorum animi humanitate informantnr, plebi relinquatis immanem istam et homine indignam libidinem, matrem inermem, quamvis miserabiliter lamentantem anxieque prosequentem, tota sobolis spe orbandi, ne uno quidem pullo relicto! Quodsi parentes, qui sapiunt, non ultimum esse censent in educandis liberis officium, ut ne scarabeum auratum quidem custodia tenere sinant liberos, sed eos in vilissimam bestiolam, quamvix maxime deformem ac pestiferam, liberali et miti animo adfectos esse velint: quanto magis filium nolent esse adeo immitis ingenii, ut nidos avium diripere non dubitet, lamentatione parentum nihil commotus? Qui si id facere non horruerit, vereri illos necesse fuerit, ne quando iste puer carnifex pari inhumanitate securum innocuae domus otium disturbet, spretis adductae in desperationem matris lacrymis et obtestationibus. Utinam parentes et paedagogi etiam atque etiam reputent, quanti intersit, parvulorum mitia ingenia tunc acui, cum bestias tractent, et ejusmodi animantium genera! Exhortemur puerum, ut avem, per aliquot dies cavea inclusam, et

evadere toties frustra conatam missam faciat; postea cum liberatus custodia captivus, se liberum sentiens, proximoque insidens ramo laeta voce sibi gratulatur, immorari huic spectaculo jubeamus puerum; equidem spondeo, exinde hunc bestiis etiam aequum se praebiturum.

117

Duo fratres, quos singulari cura educabant sapientissimi parentes, dissimillimis erant ingeniis. Eorum natu major, ad seria et literarum studia natus, libros lectitando atque in literis vivendo omne tempus consumere; minor, alacris ingenii, sed homo valde festivus, salire, semper ridere, nec nisi lusus amare. Quondam cum, ut adsolebat, juxta patrem et prope matrem adsedissent, major legendis *Rollini* libris à Romanis vel Parthis magnifice gestas cognoscere; minor, quicquid in ipso erat solertiae, in id intendebat, ut castellum chartis lusoriis moliretur, prae metu et intenta cura ne respirans quidem. Subito, qui legebat, interrumpens, pater, ait, quaeso, me doceas, quid sit, quod alii bella gerentes, armis subjicere alii fundare imperia dicantur! Numquid inter haec nomina interest? Pater, dum, quid commode respondeat, meditatur, minor filius, prae gaudio vix mentis compos, quod alteram contignationem longi laboris opus statuere potuerit, exclamat: Opus, ecce, absolvi. Offensus ea re frater, opus tanto labore exstructum uno ictu diruit, quod indignante, ut necesse erat, minore, pater, mi fili, inquit, vides fratrem, imperii conditorem, te expugnatorem.

Natura ingenerat diversos pectoris ignes,
 Ut studiis flagrent pectora quaeque suis.
Ille ardet rerum gestarum discere causas;
 Hic amat in totum ludere posse diem.
Ille gravi vultu tantum sibi seria sumit,
 Hic perdit laetis otia grata jocis.
Illi cura prior, doctos evolvere libros,
 Hic opus ingenii lentus ad omne venit.
Illius cura surgunt regalia tecta,
 Hujus ab invidia diruta cuncta jacent.
Strenuus ille novi posuit fundamina regni,
 Hunc juvat, immani solvere regna manu.

118

Etsi ad probitatem animo concipiendam multum pertinet, inter quos hominum mores adolescas, quos a teneris audias loquentes, quorum facta praesens intuearis, quorum utaris institutione, denique plurimum, quales sint, ex quibus sis genitus: tamen non est difficile reperire, qui, neque moribus neque ingenio doctorum eorumque proborum hominum doctrina informato, naturae probae impetum sequentes eum prae se ferebant animum, a quo vincerentur alii diligentissima cura instituti; ut propemodum crederes, quod a natura non sit ingeneratum, id neque praeceptis neque exemplis imprimi animis posse. Regem Vandalorum, cui nomen *Gelimeri*, cum exercitu super monte circumventum obsidebant Romani, in hac regione omnibus nudata vitae subsidiis, ad deditionem fame compulsuri. Et penuria adeo laborabatur, ut regis etiam propinquis immineret a fame mortis periculum. Rex postquam atroci certamini, propter panem vixdum et male coctum, ac cineribus permistum inter juvenem regii sanguinis et Maurum exorto adfuisset, hoc adspectu graviter commotus, illico agere cum Romanis decrevit, abdicatoque toto imperio in potestate victoris se esse dixit, nihil ab eo petens, praeter panem, quo famem sedaret, ac spongiam, qua oculos lacrymarum vi turgidos siccaret, et citharam, qua threnum in calamitates suas a se compositum caneret.

Est aliquid, fateor, si mores inter honestos
 A teneris annis vivere posse datur.
Castaque dicta puer si castis auribus haurit
 Assiduus testis si pia facta videt.
Est aliquid, mores fidum rexisse magistrum,
 Est aliquid, casti sanguinis esse genus.
Multa tamen virtus ex pectore nascitur ipso,
 Sponte velut violam rustica gignit humus.
Non illam elicuit rectorum cura fidelis,
 Non illos fructus insitione tulit.
Cedat *Aristoteles*; natura est fortior ipsa,
 Ingeniis doctis plus ea saepe valet.

119

Germani, qui bello vastantes Italiam florentem in ea doctrinam omnem artesque liberales profligasse, haud immerito insimulantur, singularem ob causam non temere abhorrebant a literarum studio; qui ejusmodi quietis studiis pronos ad arma animos valde effeminari arbitrarentur. Etiam *Theodoricus* Rex, qui omnes Germani nominis principes ea aetate anteibat ingenio, Gothos populares suos vetuit, in ludum mittere pueros, existimans, qui a teneris ferulam timuerint, eos non satis intrepidis animis obviam hostium armis ituros. At non defuere gentes, quae literarum cultu et armorum usu simul excellebant. Eosdem vero Gothos, qui, ut animi robur haberent integrum, literis erudiri vetabantur, quanquam in pace etiam hastam arcumque assiduo usu tractabant, tamen non multo post illius regis obitum expugnavere adorti a Constantinopole Romani. Neque enim mentis excolendae cura, sed ingenii morumque depravatio omne animi et corporis robur enervat atque adfligit. *Theodorici* quidem puerum nepotem sua mater literis innutriebat, quod vetantibus ob eam causam, de qua supra dictum est, Gothorum principibus, postquam illius praeceptores dimittere coacta est, praeceps in luxuriam et libidinem rex evasit, cui etiam mater esset ludibrio. Nemo unquam impune contemsit literarum studium. Ac brevi quidem vidit prudentissimus quisque Germanorum, literarum artiumque liberalium cultu non omnino carere posse civitatem bene constitutam.

Non frangit validos discendi cura lacertos,
 Non ignes fortis supprimit illa viri.
Sed mores secli qui deteriora sequuntur,
 Membrorum nervos debilitare puta.
Non inter Musas viderunt castra Philippum?
 Attulit ille tamen pectus ad arma ferox.
Darii victor medios procurrit in hostes;
 Sed comes in castris Ilias ipsa fuit,
Fortem *Fridricum* quae non mirabitur aetas?
 Musa tamen semper cinxit amica latus.

120

Si homines, quae ipsis eventura sint, providerent, quanta linguae intemperantia illud alter cum altero communicaret! Ex quo quanta invidia et simul quantum mali nasceretur! Quid censemus facturum fuisse *Caesarem*, si animo praesagisset, in curia se confossum iri? An *Cicero* tantum profuturus erat reipublicae? Num tandem, quamvis gloriae cupidissimus, consulatum fuit petiturus, si antea vidisset, meritorum de republica praemium necem fore? An multi alicujus commodi causa laboraturi erant, si, quos labores, quae incommoda multis annis continuis, ne sentientes quidem superaverint, omnia ante scissent? Quis esset rem magnam honestamque suscepturus, si spem mercedis praeriperet imminentis fortunae scientia? Quis in casibus adversis, quos evitare non posset, posita in Deo fiducia, auxilium ejus imploraturus esset? Quis in rerum laetarum spe certissima sibi temperaturus esset, Deoque gratiam habiturus, quis modestia et comitate in homines usurus? Nonne futurum esset, ut accurata futurarum rerum scientia vim honestatis pietatisque in Deum fere omnem tolleret.

Quam cuperet narrare aliis temeraria lingua,
 Si tectae sortis praescius esset homo.
Quot turpes livore animi rumpentur iniquo,
 Et quantum livor tunc trahet ipse mali.
Non latuisse tuas fac perfida Curia sicas:
 Quid conata foret *Caesaris* illa manus?
An Romam meritis implesset Tullius urbem,
 Cum victrix toties lingua diserta foret?
An vellet summum conscendere culmen honoris
 Si scisset, pretium Consulis esse necem?

121

Si omnium istorum malorum, ex quibus omne genus aerumnarum in hanc terram rebus laetis circumfusam confluit, genitrix est inscitia: non majus bonum contingere potest homini, quam si nihil desiderat, quod ad mentem erudiendam pertineat. Igitur liberis earum civitatum maxime consultum esse videbitur, quae copiam excolendae mentis faciunt quam maxime expeditam. Quod

si ita est: quam suavi, quamque praeclaro munere fungi eos oportet, quorum ministerio civitas utitur, ita consultum hominibus cupiens? *Cicero* quidem ait, non facile esse reperire, qui non, quod ipse sciat, libens tradat alteri. Ex quo ipso intelligi potest, quantam adferat voluptatem munus docentium. Si autem de summis vitae rebus, de conditione, qua sunt nati, de eo, quid vere tribuendum sit rebus omnibus, quae ratio ipter ipsos et Deum, aliosque homines intercedat, edocere homines, nihil aliud est, quam illis, tanquam errantibus, viam comiter monstrare, quam ingressi felicitatem hujus vitae et venturae possint quaerere; nihil profecto praeclarius est munere docentium vulgus sive interpretum religionis, ultimae sapientiae.

Quo magis mirandum est, quod illud munus tantopere fastidiunt nostrae aetatis adolescentes. Nec liquet, ipsi ne parentes an filii a munere isto praeclaro abhorreant. Sed illud facile est cernere, fastidium rerum seriarum, quo capi adolescentium animi coeperunt, plurimum valere ad illud odium, ut alias causas omittamus.

Comiter erranti qui monstrat, qua sit eundum,
 Rem gratam cunctis egregiamque facit.
Cernis, quid mereant, quibus est data cura docendi,
 Qui certum monstrant prosperitatis iter.
Si liquet hoc meritum; quid tum pia lingua merebit,
 Quae vitae aeternae suadet inire viam?
O munus, quovis humano munere majus,
 Vulgo supremi jussa referre Dei.
Discordes animos sociis adstringere vinclis,
 Ore sacro partes quemque docere suas.
Et gregis esse ducem, quem coecus falleret error,
 Ut bene calcando tramite tutus eat.

122

Philippus, Macedonum Rex, *Zenoni* philosopho scripsit: veni, suscipe me erudiendum; hinc omnium Macedonum ingenia fient meliora. Hanc vocem, quis neget regis hujus ingenio et animo valde dignam esse? Quid aliud dictum voluit, quam quod omnes principes non sentire, non dicere, sed facere debebant? Ideo se regem esse meminit, ut populo suo vellet consultum. Quod si vellet consequi, suum esse, providere ut popularium ingenia

ad morum honestatem magis conformarentur. Conformari autem non posse, nisi mentis caligine ita dispulsa, ut res bonas a malis facilius secernerent, et officiorum rationem magis perspicerent. Cum autem ad ducis exemplum se componere soleat multitudo, et quo magis ille sit loco superior, eo sit haec paratior ad sequendum, suum esse regis officium, ut sua auctoritate impelleret populares, sive, ut sapienter dictis factisque eluceret ac morum sanctitate. Tum eos lecturum reipublicae administrandae adjutores, quibus pariter ac ipsi cordi esset rebus populi consulere, ea dando consilia, quibus omnia recta et honesta vellent vulgata. Quale caput, tales omnes corporis partes futuras. Hominum genera aliud ab alio impulsum iri, ab opulentis inopes, à summis infimos, ab iis, qui praeessent, eos, quibus praeessent, ab heris famulos, a parentibus liberos. Nec ad felicitatem quicquam defuturum reipublicae, cum pro suo quisque munere certatim omnes, principis aemulantes exemplar, suis fungerentur officiis. Haec omnia effectum iri sapientia et probitate, quas doctrina acceptas rex in populi sui rem convertisset.

Si residet virtus solio regalis in alto,
 Implebunt numeros omnia recta suos.
Utque bonos radios totum sol mittit in orbem
 Et loca, quae frigent, plena calore facit:
Sic populum regis virtus exibit in omnem;
 Accendet studiis aemula corda piis.
Stabit in excelsa virtus spectabilis arce,
 Spectantem pulchro lumine quemque trahet.
Felices populos, quibus haec virtutis imago
 Praelucens, certi sideris instar erat!

123

Comparando nostram fortunam, qua non aliam esse deteriorem facile credimus, cum aliorum multorum hominum fortuna, quibuscum pejus etiam agitur, id facillime consequimur, ut quamvis conditionem aequiore animo feramus. Quod si animi non tumerent arrogantia, nunquam ita fortunae poeniteret, ut querelas jactando Deum benigne sapienterque omnia providentem offenderet aegritudo. Quis est, qui audeat ostendere, se prae aliis dignum esse, quem non adfligant res adversae. Miserum

est quidem sed non vanum solatium, malorum socios habere, quorum res non meliore loco sint aut etiam pejore. *Locmannus*, qui apologos composuit, quemque alii Arabem, alii Persam fuisse tradunt, de se narrat: Me quidem nulli casus adversi admodum adfligebant, quamvis fatum maxime infensum experirer; nisi quod semel me incessit dolor, cum incedebam discalceatus, neque suppetebant nummi, unde emerem calceos. Igitur Cufae templum ingredior, valde moerens. Ibi cum vidissem hominem sine pedibus, ego satis laetatus, quod nudos haberem pedes, gratiam Deo magnopere habui, qui sine calceis tamen possem incedere. Utique satius erat, calceis quam pedibus carere. Miser ille, si pedes habuisset, nudis incedere pedibus non recusasset.

Aequis hanc oculis miseram circumspice vitam,
Cui totos implet moesta querela dies.
Aequior hinc animus tibi mox, mihi crede, redibit,
Cum cernes propriis omnia plena malis.
Carceris ad gemitus si vis descendere longos;
Nil tibi, quod moesta voce queraris, erit.
I modo, vise casas et stramina plena dolorum,
Ut pudeat parvis ingemuisse malis.
Disce, tuos casus communi pendere lance;
Mox levius cernes pondus habere tuos.

124

Quaedam genera animantium, quae, cum plurimas adferant utilitates, pestifera nobis videntur, pernicioso consilio velles exterminata. Non multis annis abhinc Angli quidam coloni in America, picas, id genus animalium segeti esse infestum rati, perdendi cepere consilium. Quo consilio peracto, minuta istarum avium prole, immensa adparuit progenies vermium, erucarum et papilionum maximeque scarabaeorum, qui omnia arva depopulabantur. Denique omissa picarum proscriptione auctus earum numerus, illud malum, ex internecivo in ipsas bello ortum, finivit. Non ita pridem Sueci ibant perditum cornices, nisi postremo fides facta esset, hoc avium genus non magis plantas et segetem infestare, quam vermibus et erucis insidiari, frondem et radices carpentibus. Pari ira incolae Americae septentrionalis interitum parabant passerum generi. Sed ita factum, ut quodam genere

muscarum in locis paludosis in immensum numerum crescente, facere non possent homines, quin vastas late colonias relinquerent. Ne quid detrimenti pateretur venatio Phasianarum, quas multas venandi copiam dat insula Procida, rex Neapolis incolas vetuit, domesticas feles alere. Elapsis autem aliquot annis, murium majorum, minorumque tam ferax fuit insula, ut publica clade ab illis facta illud edictum, quo cives vetabantur feles alere, rescindi necesse esset.

125

Humanitatis cultu florere ii populi dicuntur, qui cum agriculturae et artibus studeant, in societatem bene constitutam coëunt, quae certis paret legibus. Illi non solum negotiis, in quae praecipue incumbunt, sed etiam societatis conjunctione id consequuntur, ut et mentem plura discendo instruant, et animum magis acuant. Externam autem vim repellunt, et munimentis urbium et pacis bellique artibus. Cum autem multiplicatis bonis plures nascantur controversiae, leges quoque cumulari necesse est, ut postremo non jam tradito more majorum prodi possint, easque scribi oporteat. In tali civitate homines ultra id, quod natura desiderat, progressi, dulcedine consuetudinis jucundae paulatim trahuntur. Hoc acuit eorum ingenia, moresque ad humanitatem, comitatem, gratificandi promtam voluntatem, benignitatem aut certe ad urbanitatem componuntur. Praeclare cum illis agitur, si omnia haec bona, quae temperata moribus civitas iis proponit, neque ad luxuriae ministeria convertunt, neque omissis veris utilitatibus mollem vitam sequuntur, aut futiles ineptias sectantur.

Hos inter mores felix traducitur aevum,
 Quos bona cum sancto jura pudore regunt.
Vivunt hic cives conjuncti legibus aequis,
 Improbitasque sui judicis ora timet.
Bos ibi tutus arat depresso vomere sulcos
 Solers inventa sudat in arte labor.
Plus sapit ex alio, qui per se non sapit, ore
 Et molles animos plus ibi pulchra movent.
Hostiles turmas muri fossaeque repellunt
 Fortes et clari pacis in arte viri.
Multiplicat certas anceps possessio leges;
 Has tandem fixo civis in aere legit.

126

Homo nascitur liber, sive nemini mortalium obnoxius, nisi cui se ultro subjecerit, postquam suo uti judicio coepit. Parentum autem prope liberae potestati subjecit liberos natura, donec adulta sint aetate, sive, quod perinde est, donec ratione uti, et victum sua opera possint quaerere. Postquam homo pueritia excessit, jam ipse officiorum quasi vinculis continetur. Ea vero aetate homo debebat magna cura secum reputare, num quandam earum, quas innumeras junxere homines, societatum velit inire; annon vero eam maxime, cujus sub tutela sit natus educatusque. Quanquam major pars hominum a teneris ita affixa inhaeret natali solo, ut, nisi sui essent dissimiles, quicquid non ipsorum sed civitatis est relinquentes vix e terra, quae ipsos genuit, vellent discedere. Ubi autem moris est, adsciscere in civitatem, ibi res transigi solet juramento, ab eo, qui adsciscitur, dando magistratibus. Illud memorabile est, quod feminae, pariter ac viri animo praeditae, et sine quibus pariter respublica stare non potest, nusquam gentium, jubentur, etiam spondere aliquid civitati.

Liber in hanc lucem quivis puer editur olim
　　Seu natura jubet vincula nulla pati.
Ipse sui juris domino se subjicit ultro
　　Aetas cum gravior cor juvenile movet.
Constituit natis dominos natura parentes
　　Dum vires aetas ceperit ipsa suas.
Dumve illos ratio jam certis flectat habenis
　　Et victum propria quaeritet arte labor.
Aetas cum puerum vestit lanugine prima
　　Tum primum officii sarcina quemque premit.
Et jam tempus erat, tota perpendere mente,
　　In cujus populi jura venire velit.

127

Diocletianus, imbecillitate senectutis impeditus, quo minus diligenti cura administraret imperium, ultro deposuit. Alius quidem a se impetrare non potuisset, ut tanta majestate, tot honoribus, tanto pecuniae ipsi redeuntis acervo cederet, quae ut retineret, imperii munia

aliis reliquisset; sed *Diocletianus*, non ignorans, quid suavitatis habeat vitae mediocritas, in Dalmatiam patriam suam habitatum concessit, ibique cultura horti delectatus palam dictitavit: Nunc demum vivo; nunc demum solis pulchritudinem cerno. Conantibus deinde persuadere, ut imperio se restitueret, haec rescripsit: Utinam vobis Salonas venientibus mea manu satam brassicam possim ostendere; ego vero certum habeo, vos posthac nullam mentionem facturos de recipiendo imperio. Inter haec otia vitae rusticae ad ultimam aetatem pervenit. Extant etiam nunc Spalatri in Dalmatia ingentes reliquiae illius villae, in qua, observatus cultusque ab omnibus, etiam deposita principis dignitate, extremam aetatem transegit.

128

Homo ad quodcunque natura fertur, id fere omne à se impetrare potest. Ut studio operis ad naturam aptissimi incendatur animus, optimus quisque id genus operum respicit, quae ad hominum salutem juvandam proxime tendunt, et quae obeuntibus majorem gratiam cives referant. Eos quidem non fallit spes gratiae ineundae, qui sua ope quenquam mortalium servant ac tuentur, sive ab externa vi, sive ab injuria et fraude, sive ab incommodo corporis, sive a paupertate et calamitate. His adduntur, qui in summis rebus auctores aliis sunt et magistri, aut qui res bene institutas bene ac sapienter tuentur. Denique observari aequum est, eos, qui rebus inventis multorum civium rem amplificant, et quicquam excogitant, quod multos homines fructuoso labore exerceat, multique operis ambages praecidat, magnumque fructum peregrinae copiae importet patriae suae. Innumeris modis ejusmodi inventa utilitatem aut attulerunt, aut consequendae illius dant copiam. Utique ea opera, quae plus diligentiae curaeque desiderant, magis alliciant invitentque eum, qui animum vult limatum politumque. Sed vix unus est opifex, qui non solerti ingenio possit artes quasdam excogitare.

Quisque potest, animi quoquo rapit impetus ipsum;
 Quod natura jubet denique vincit amor.
Pars hominum melior, curis melioribus apta,
 Egregium docto pectore sumit opus.

Quod recto cursu communes tendit ad usus,
 Cujus apud cives gratia major erit.
Seu virtus patriam peregrinis liberat armis,
 Seu pellit duri vimque dolumque jugi.
Sive manu docta mala corporis ulcera sanat
 Seu luctus vulgi pauperiemque levat.
Qui meliore pedes incertos tramite ducunt,
 Qui linguis suadent utiliora bonis.
Qui veterem morem rara virtute tuentur;
 Omnes hos meritos gratia certa manet.

129

Paulo ultra annum à Christo nato trecentesimum Romanum Imperium tenebant alieni à sacris Christi principes. Per has temporum vices, quo intervallo Romani nunc malos nunc bonos principes, nunc securitatem moresque rectos et omnia civitatis commoda, nunc injuriam ac licentiam, confuso rerum omnium statu et spretis legibus, sibi succedere videbant, literae quoque artesque ingeniosae magnam apud eos subiere vicissitudinem. Erant per duo prima secula, qui satis prospero successu in illis versarentur. Sed utriusque *Antonini* morte magis subinde lapsae pristinum splendorem apud Romanos non recuperarunt. Utique paulo ante Christum natum et aliquanto post ingenii romani vis et lepor ad doctrinam omnemque humanitatem collata ad quoddam fastigium provecta adparuit. Illud attingere etiam *Cicero* et quidam alii coeperunt. Sed *Augusto* maxime imperante ita opportune confluxerunt ingenia praestantissima, ut nunc etiam Augusti aetatem dicant, qui tempora literis commoda velint significare. Illud praecipue effectum est, et fomento pacis, per tot annos intra imperii fines servatae, et ipsius amore literarum benevolentiaque in eos, qui in hoc genere excellerent, ac strenua contentione Romanorum, Graecos praeceptores suos aemulantium.

Lex ubi spreta jacet, vitiique licentia crescit,
 Continuis morbis ars ibi victa jacet.
Haec cum principibus mutatis statque caditque,
 Et nimium varias heu subit illa vices.
Victa artes Romae victrici Graecia misit,
 Inque suo vidit Roma virere solo.

Mox patria lingua *Cicero* bonus induit illas
Sparsaque doctrinae semina multa dedit.
At tua quid memorem felicia secula, *Caesar*?
Exsuperat vires gloria tanta meas.
Nam quot mirata est haec aetas lumina magna?
Sole sub *Augusti* quot nituere simul?
Tum flos pulcher erat, sed flos fuit ille caducus;
Post *Antoninos* marcuit artis honor.

130

Cui incredibile videtur, res nostras post mortem faturas esse laetiores melioresque, is reputet, non magis posse quenquam mente adsequi, quomodo in hac etiam vita hominis natura sensim progrediatur. Ille inter vitae initia vix quoquam motu pellitur, vix unius habet rei notitiam, suique vix conscius est. Igitur si fieri posset, ut hominem, priusquam in hanc lucem edatur, alloquereris eique indiceres: prope est, ut scenam introëas rebus ornatam pulcherrimis; ibi coelum, solem, lunam, stellasque, eorumque lumen magnificum descriptaque intervalla, ratosque motus stupens admiratione cernes; terra, aëre circumfusa, tuum est tuique generis domicilium; ibi sunt agri, plantae, flores, fruges, montes, maria, fontes, fluvii, saxa, lapides, fossilia et ubique animalium omne genus, numeroque infinito; discendi studio, recti honestique sensu, beataeque vitae desiderio moveri incipiet animus tuus; paucorum annorum spatio tui et corporis et animi facultates mira capient incrementa; innumera de his rebus earumque auctore ac conservatore cognosces discesque; quae ad religionem moresque et civitatis jura pertinent officia artesque et literas, ac opera artificum perspicies; mille voluptates et oblectamenta tibi contingent. Haec omnia homo, priusquam introiret hanc vitam, non magis animo comprehenderet, neque crêderet, quam is, qui ad dubitandum est proclivis, morte ad meliora transiri credit.

131

Hominis natura etsi ab incunabilis celeri progressu ulterius tendit, tamen intra hujus vitae terminos nequaquam ea, quae summa sunt, adsequitur. Aliae animi

facultates nunquam, ut vigeant, excitantur, aliae non maturescunt. Ad perficiendam rationem haec quidem vita nec accommodata est, nec omnino satis longinqua. Quo tandem majori hominum parti subtilioris ingenii aciem? Operis quidem non opus est, ut *Neutoni*, *Leibnitii*, vel *Kantii* sint similes. Pecudum genus, quod temere sequitur appetitum, vitae bonis in otio perfruitur, dum homo, quod rationis est particeps, curis angitur continuis. Deumne vero vim aliquam effecisse, quam vel nascentem vel nondum perusus agitatam, extingueret? An futurus est talis status, in quo et ratio ulterius perficiatur cultu et sublimior vis mentis possit vigere? Haec vita ut inchoat, ita eadem augurio quodam ostendit venturam meliorem. Quid intererat inter eum *Neutonum*, qui primum oculis hauriebat lucem, et eum, qui particulas lucis resolvebat et quas leges sequerentur motus siderum reperiebat? quid? hunc divini ingenii virum, qualem esse nunc censetis, cum infra se positas videns omnes stellas, innumeros istos mundos immortalis animi acie circumspicit?

Si matris foetum verbis mihi detur adire;
 Haec foret alloquii tunc fere summa mei:
Mox erit, ut rumpas ignarae vincula noctis;
 Scena tuis oculis omnia pulchra dabit.
Jam coeli convexa stupens miraberis alti;
 Cernes flammifero solis in orbe jubar.
Mox erit, et coelo splendebit luna sereno,
 Labentur tacito sidera sparsa polo.
Lucebunt orbes in majestate corusca,
 Diversos cernes ire tenore pari.
Hîc tellus, liquidus quam circumfunditur aër,
 Sede locat grata teque tuumque genus.
Prospicies multo signatos limite campos,
 Multaque foecundum vestiet herba solum.
Hinc pubescet ager variorum flore colorum,
 Illinc flavescens conteget arva seges.
Vena perennis aquae saxo manabit ab alto,
 Inde cadens leni murmure rivus erit.
Errabuntque vagi sinuosis flexibus amnes
 Et vasti terras alluet unda maris.
Praerupti montes caput inter nubila condent
 Et scopulis rupes stabit acuta minax.
Innumeras sicca silices numerabis arena,
 Aeraque diverso nomine reddet humus.

Multiplices formas pecudum formasque ferarum
Cernes, quotque oculus dinumerare nequit.

132

Sunt, qui insimulent, vulganda sapientia id effici, ut sanctum religionis et legum vinculum dissolvatur, hominumque de republica sententiae distorqueantur, et foeda morum labes existat. Mihi quidem res in magna ambiguitate verti videtur. Aequum est, sapientiam inchoatam, separatamque et corruptam secerni a sincera, eamque, quae leviter omnia delibat, multarum rerum scientiam a doctrina rerum necessariarum et in medium utilium, sive ab ea doctrina, quae hominem doceat instituatque, ut sibi persuaderi sinat, et quod fas nefasque est intelligens, suum fungatur officium, seque et alios vere aestimet, atque in omni fortuna rectam rationem sequatur, alios salvos esse velit, suisque rebus consulat, quamque profitetur artem in ea mentem agitet, quasque haec vita habet jucunditates, illis sobrie fruatur, suaeque valetudinis habeat rationem, et incommoda aequo animo ferat. Itaque non in sola scientia res vertitur, sed in modo scientiae ad vitam res transferendae. Prava ingenia, ut maxime exculta sunt doctrina, ita maxime sunt pestifera hominum generi. Igitur id primum agendum est, ut melius informentur mores ratioque cum his conspiret, mentesque et animi simul erudiantur, hominumque ingenia ad metum Dei rectique studium inclinentur, eorumque animi pietate in Deum et benevolentia in homines imbuantur. Nec vero negligendae sunt diversae hominum species, diversaque vitae instituta. Genus quidem opificum agrestiumque et operarum ita erudiri non potest, ut tantum sapiat, quantum homines ordinis nobilioris, quibus ad formandum doctrina animum plus suppetit, et otii et opis. Reliquae multitudini nihil magis prodest, quam bene vivendi ratio. Denique oculi, cum caliginem mutant lumine, largi luminis minus patientes sunt. Postremo ut non sine gravi discrimine imperii adstricta feritatis et superstitionum vinculis multitudo continetur servitutis obsequio; ita magna cautione circumspectaque solertia docenda erit multitudo, de jure naturae et populorum.

133

M. Porcius Cato, qui postea, ut a succedentibus suo nomini distingueretur, Censor vel Major dictus est, gloria et probitate aequales suos vicit. Natus erat Tusculi. Hic priusquam stipendia mereret, adolescentiam in praediis exegit, ipsi a patre in agro Sabino relictis. Continuum opus vitaeque ratio frugalis et temperata corpus ejus ita corroboraverant, ut par esset sustinendis laboribus durissimis. Prope ipsius villam erat parvum praedium, quod fuerat *Manii Curii*. Id ille crebro visebat, ac istum agellum aediumque tenuitatem simplicitatemque contemplatus, temperare sibi non poterat, quin hunc clarum virum admiraretur, qui devictis populis ferocissimis et *Pyrrho* Italia pulso, maximam adeptus gloriam, suis manibus hunc agellum coleret, actisque tot triumphis tam sordidas aedes habitaret. Animi vere magni visa est ei haec morum simplicitas; quam non contentus temere admirari, imitandam sibi proposuit, et imitari suum esse sibique honorificum duxit. Ea tempestate fuit apud Romanos clarissimus vir, ea mentis acie, qua facile cerneret, boni viri indolem in puero fulgentem, eaque facilitate, liberalitate, comitate, qua cognitam virtutem aleret, atque in claram lucem protraheret: videlicet *Valerius Flaccus*.

Miraris magnos animos, sed mens tua friget;
 Ut caleat pectus, pectora tanta vide.
I tandem et mores istos tibi sume sequendos;
 Non frustra Curios terra Sabina dedit.

134

Annon cernitis, omnia quae circa nos sint, admonere nunc fragilitatis! Quis nostrûm nolit admoneri suae naturae fragilis, et saltem hunc fructum ex emortua ruris amoenitate percipere? Quenquamne adeo socordem inter arbores, quae frondium decus nunc exuunt, ambulare, ut non reminiscatur: pari modo etiam tu formam et robur serius ocyus videbis flaccescere. Quid nos monent vineae, quid prata, quid horti? Quid aliud, nisi illud, quod nemo non habet compertum: omnia sunt caduca! Neque vero solum mortales nos esse natos admonet praesens tempestas, sed etiam caduca esse, quae sensus adficiant, ob-

lectamenta. Quid nobis relictum est ex odoribus, quos florum genera adflabant suavissimos? Nihil vero, nisi perceptorum illorum memoria. Quid autem jucundus gustatus cerasorum aliorumque ejusmodi fructuum nobis reliquit? Nihil, praeter cupiditatem, illos iterum proximo anno gustandi. Quid denique nobis superest illius jucunditatis, quam arbores earumque poma adferebant? Nihilo plus, quam illi, qui ab exstructa mensa heri discessit. Quam nulla sunt vestigia deliciarum sensus titillantium! Longe alia est ratio voluptatum ex innocentia et ingenii cultu emanantium, quarum non modo inanis recordatio, sed perpetuus fructus remanet, ne morientes quidem deserens. Hae voluptates utique dignae sunt, quas sectemur cupidissimi: quod ut faciatis, optimi adolescentes, magnopere vos cohortantur vestri praeceptores.

Adspicis, ut perdat nunc arbor frondis honorem,
 Sub lapsa ut sterilis fronde latescat humus.
Nolim, praetereas hanc scenam pectore lento:
 Aevi mortales admonet illa brevis.
Sic formam fragilem solvet damnosa senectus,
 Artus nunc validos languor habebit iners.
Immortalia ne speres, monet annus et aestas
 Quam brevis auctumnus brumaque trudit iners.
Quam brevis est fructus, cupido gustasse palato,
 Aut animum suavi quicquid odore tenet!
Quae toties placuit, quid nunc rosa grata reliquit?
 Nempe animo memori vix redit haustus odor.
Quae manet ex dulci ceraso, fragisque voluptas?
 Spes, quam venturus scilicet annus habet.
Si quis heri mensa lauta satiatus abivit,
 Cras linguam gratus deficit ille sapor.
Nulla voluptates linquunt vestigia blandae,
 Quae sensu grato corpora sola movent.
Non sic arescunt, sed manant fonte perenni
 Gaudia, quae probitas ingeniumque dabunt.
Haec nunquam fallunt animos nunquamque recedunt;
 Adsistunt, anima deficiente, piis.

135

Erant *Valerio Flacco* agri, qui ad parvum *Catonis* praedium pertinebant. Saepe audiebat servos suos de vicini juvenis instituto vitae et opere rustico serentes

colloquia. Erant, qui memorarent, a prima eum luce oppida circa obire ad causas eorum, qui fidem ipsius implorabant, orandas; inde in agros suos regressum injecto humeris vili vestimento cum sua familia opus facere; ab opere cum iisdem ad cibum capiendum accumbere, eundemque panem, idemque vinum sumere. Referebantur ei alia documenta animi sapientis ac moderati, dictaque solertiae et rationis plena. Ita incensus cupiditate hominis videndi ad coenam invitavit. Deinde juncta inter illos privata amicitia, cognovit eam juvenis sapientiam et ingenium tam aptum rebus urbanis, ut intelligeret similem esse generosae herbae, quae esset diligenter colenda et in solum commodius transferenda. Igitur auctor fuit eique persuasit, ut Romam iret, ibi cogniturus, quae ad rempublicam gerendam pertinerent. Atque ille non diu moratus Romae, et amicos et admiratores nactus est; maxime causas magna eloquentia orando. Nam facultatem dicendi non solum bonam adjutricem, sed etiam prorsus necessariam esse ratus ei, qui, cum in obscuritate versari nollet, id potius studeret, ut potentiam in civitate consequeretur, singulari cura operam ei dedit.

136

Scriptor, nescio quis, scripto à se libro sed dissimulato nomine, non ita pridem contendit: Spartam non vera libertate usam fuisse; Atheniensium quidem civitatem, dum ignoraverit divitias, magnos viros et de republica consentientes, sed eandem foedos postea patriae proditores tulisse, et gratiam summis viris ab hac civitate male relatam non adeo magnum fuisse hortamentum patriae amandae. Romanam autem rempublicam utique magnifica ostentare exempla hominum patriae amantissimorum, per egregiam eorum, qui unice scriptores habentur, artem scribendi, ampliora etiam visa; sed tamen in mala compage hujus imperii, quae assiduam domesticis seditionibus materiam praebuerit, nihil fuisse momenti ad patriae amorem alendum; atque hunc deleta Carthagine et direptis Asiae bonis, omnem ex animis extinctum vertisse in arrogantiam, avaritiam, et dominandi libidinem. Mali esse ominis loco, si recens constituta respublica, qualis Franco-Gallorum, ingeniis ad par humanitatis fastigium evectis, et ultima foeditate corruptis moribus ordiatur curriculum, quibus affecta Roma finierit suum. Sincero

patriae amore non magis eorum civium animos incendi, qui populari utantur imperio, quam apud quos regnetur; illum vero in animis nostrorum hominum, qui per religionem et literarum studia plus sapiant, magis etiam integrum et incorruptum esse debere quam in liberis veterum civitatibus.

Non modo Romanus, non quos tulit Attica terra;
 Persa etiam patriae civis amore calet.
Illum non pellunt animis regalia sceptra,
 Non illum inflammat fortius ipsa Rhodus.
Illum fert omnis tellus, coelum educat omne,
 Omnis ut est patiens fertilis herba soli.
Hac flamma totum cives incendite pectus,
 Ut non hos ignes deleat ulla dies.
Seu princeps unus regni moderetur habenas;
 Seu valeant proprii libera jura fori.
Pro patria cives sint omnes stare parati
 Et patriae cunctos incitet unus amor.
At nos incendet patriae castissima cura,
 Quod mites Musae, quod sacra pura jubent.
Clarior affulget lux nostro et mitior aevo:
 Germanum Latio plus sapit omne solum.

137

Cato ortus erat familia antiquissima sed plebeja, et quam nemo majorum curulibus fungens magistratibus illustrasset. Qui talibus orti majoribus emergebant, homines novi adpellabantur. Isto generis patrocinio destitutus *Cato* in animum induxit, alio modo favorem quaerere, videlicet virtute et ingenio, et primas imagines in domum suam inferre. Mos erat tum Romae, ut juvenes, qui magistratus peterent, nobilem civem, qui nefario scelere in rempublicam peccasset, accusandum susciperent. Ita quaerebatur celebritas nominis et populi inibatur gratia. Qui juvenis hunc morem tenebat, is utique omnium bonorum merebat favorem, quippe qui dans operam, ut improbus civis ex republica tollatur, simul susciperet officium, colendi virtutem rectamque et culpa vacuam vitam agendi. Nam si quis homo talem se praebuit, ut alienae culpae existeret censor et accusator, an esset quisquam, qui huic ignosceret, si ab officio justitiae et honestatis vel transversum unguem discederet. Hanc *Cato*

ingressus viam, qua ad honores perveniret, non timebat, ne quem potentissimorum civium Romae offenderet.

Virtus nobilitat, non clarum nomen avorum,
Illius meritis ardua nulla via est.
Haec tandem pressit sellas elata curules
Et vicit prisca nobilitate viros.
Quid fuit, ut juvenem laudaret Roma Catonem?
Nempe quod hic certum laudis inibat iter.
Hoc dedit ingenium, mala quod fortuna negarat
Et virtus merito condecorata suo.
Sic Romae poterat plebeja emergere virtus
Atque decus capiti conciliare novum.
Hoc juvenes subiere gradu fastigia summa:
Nitentem populi quemque juvabat honor.
Gloria per praeceps iter atque per ardua vadit,
A patre in pigras non venit illa manus.

138

Majorem partem eorum animalium, quae nunc quidem e conspectu mortalium sunt ablata, gravi sopore oppressam tenet hiems. Sic affectis corporibus hiemem transigunt, praeter erucarum genus, scarabaei, formicae, muscae, araneae, cochleae, ranae, lacertae et serpentes. Formicas quidem, quae per tot aetates vulgo perhibebantur, in hiemem reponere quaesitam alimentorum copiam, modica vis frigoris torpore quodam afficit, quo vinctas ver demum solvit. Quod si ita se habet, quo illis cellas penarias impleri, quibus natura ita providerit, ut cibo non egeant? An illas aliorum animalium causa in horreis condere paratas opes? Quae grana per aestatem impigra sedulitate congerunt, his non pro cibo utuntur, sed pro materia condendis suis domiciliis. Ideone illud scitum *Salomonis*, sive cujuscunque sit, quo ad formicae impigrae exemplum advertuntur animi desidiosorum, post haec a physicis cognita, pondus suum amisit? Ideone vero illi egregii versus *Virgilii* minus habent leporis? Equidem non censeo. Etiam si adolescentibus labor formicarum non jam possit esse documento, adolescentiae et virilis aetatis esse, parare res ad vitam necessarias, ne inopia laborandum sit senibus; illi tamen diligenter intuentes haec animalcula, utique ad laboris studium bonaeque aetatis recte collocandae consilium

possunt impelli. Ac forsitan sapientissimus rerum conditor his et aliis animalibus animos impigros ideo ingeneravit, ut illud genus hominum, quod exempla magis quam praecepta sequi, et oculis auribusque magis percipere, quam ratione uti consuevit, ad vires pari nisu intendendas compelleretur. At multa alia ex bestiis didicerunt homines.

Quid nos hortatur magni formica laboris?
 Disce puer parcus temporis esse boni.
Illi fervet opus, dum corpora sole calescunt
 Et tarda ad partes non venit illa suas.
Non illam princeps, non dux castigat inertem,
 Sedulus hic animus non monitoris eget.
Ah, pueros omnes juvet hac didicisse magistra
 Quo detur quaevis hora locanda modo.
Dum vires annique sinunt, tolerate laborem;
 Otia longa olim curva senecta dabit.
Carpite quisque diem; mox suavis praeterit aestas
 Et subito passu bruma recurrit iners.

139

Cato primum militavit duce *Fabio*. In castris cum erat, meram bibere aquam solebat, praeterquam quod aliquoties ardens siti paululum aceti sumebat aut paululum vini, deficientibus ex labore aut lassitudine viribus. Talem agebat juventutem homo, qui brevi multum pollebat in republica. Praetor factus, provinciam sortitus est Sardiniam. Ibi talem se praebebat, ut hominis innocentiam, frugalitatem, laborum asperrimorum patientiam, incredibilem luxuriae contemtum et modestiam, animumque juris et aequi tenacem omnes admirarentur. Ante illum qui fuerant praetores, perditum ibant provinciam, magnifica imperantes stragula vestesque, et frequenti familia ingenti amicorum comitatu, immensis sumtibus in ludorum et epularum apparatus erogandis prementes multitudinem. In Catone autem conspiciebatur singularis simplicitas vestitus, victusque et cultus. Nunquam ille ne denarium quidem de publico sumebat. Cum urbes provinciae obibat, pedibus faciebat iter, sine ullo vehiculo, comitante uno apparitore, qui portaret togam et vas sacris faciendis. At ille homo tam simplex, tam modestus tam cultus negligens severum et gravem sumebat

vultum romani magistratus, seque praebebat inexorabili firmitate obstinatoque rigore, cum necesse erat, mores solutos reprimi et legum tuendarum causa, instituta majorum servari.

En *Cato* miles aquas ex puro fonte bibebat;
Sic natura jubet nempe levare sitim.
Ille tamen poterat vino mulcere juventam
Et vires membris inde parare novas.
At sapiens laeti fugiebat munera Bacchi,
Dum fervet juveni firma per ossa calor.
Si sapis, exemplum duri tibi sume *Catonis*
Ne frangant robur pocula plena tuum.
Si tamen in lecto ponis lassata labore
Membra, brevi cyatho dulcia vina bibes.

140

Erant in *Catone* duae res, quae videbantur contrariae, severitas et clementia; quo factum est, ut his populis nunquam neque tantum metum, neque tantum favorem injiceret Romanum imperium. Sardinia obruta erat grege feneratorum, qui homines privatos pecuniis, in praesentia inopiae subsidium fenori datis, sublevare prae se ferentes, pessum eos dabant. Huic generi hominum *Cato* ita bellum indixit, ut omnes pelleret Insula. Hoc loco *Rollinus*, equidem non video, ait, cur *Livius Catonem* censeat hac in re fuisse asperiorem. Quenquamne in istas pestes civitatum acerbius quicquam consulere? Utinam ex omnibus civitatibus exterminari possit istud nequissimum genus hominum, qui adolescentium nobilium in vitia ruentium moribus solutis praebent materiam! De vitae suae instituto *Cato* ipse in libris suis scribit, se nunquam veste usum, cujus pretium excesserit centum drachmas; idemque vinum se, quod servos, etiam ducentem exercitus aut Consulem, sumsisse, nec ad coenam unquam in foro obsonasse, quod pluris venderetur, quam triginta assibus. Ita duritiae et frugalitati studens, valetudinem volebat firmari, quo magis par esset, reipublicae bene gerendae et laboribus militiae perferendis. Itinera solebat facere pedibus, sua gerens arma, comitante uno servo, qui portaret res ad victum necessarias. Atque ei nunquam evenisse ferunt, ut in hunc servum, qualemcunque

coenam parasset, ira exardesceret; sed saepius, opere militari exacto otiosum, opus illius levasse, et coenam apparanti adfuisse.

Impia gens, digitis quae nummos versat avaris
Fenebrique animos obligat arte leves.
Huic redeunt tardae, sed lux optata, Calendae
Quae ponunt nummos foenore quippe novo.
Clam vestris hydra est haec insidiosa crumenis,
O juvenes, nimium credula turba, boni.
Vobis illa dolos nectit, lasciva juventus,
Quae praeceps animum vertis ad omne nefas.
Naufragio dat nempe tuo dextram improba turba;
Falleris; infelix obruet unda caput.
Hanc pestem reges vestris expellite regnis;
Nam fortunatas enecat illa domos.

141

Baco, vir pacis artium consultissimus, cogitata prodidit, quae hujus seculi moribus conveniunt. Agite ex illis quaedam contemplemur. Ait ille, doctrinam et literas falso accusari imminutae verecundiae legum et imperiorum. Qui dicat, temere morem gerendo hominem certius regi, quam officii ratione perspecta, eundem dictitare, hominem oculis captum rectoris fidei se committentem tutius incedere quam oculis utentem valentibus. Literarum cultu, ait, molliri hominum animos, ut legibus et jussis magistratuum obtemperent; vecordem et imperitam multitudinem impelli ad detrectandum imperium et effrenatam licentiam. Testem esse omnium temporum memoriam. Quaecunque aetas humanitatis cultu neglecto rudis et inculta fuerit, eandem ad seditiones et tumultus fuisse paratissimam. Iterum ait: per quae secula principes imperitabant doctrina exculti, ea prae ceteris floruisse memoriae proditum est. Etsi enim ii, qui imperant, aeque ac ceteri mortalium erroribus et vitiis sunt obnoxii, tamen literarum luce circumfusa, ducti ratione et doctrina, nunquam in perniciosa prolabentur flagitia. Quod optimum est factu, id, quiescentibus etiam amicis et proceribus, unicuique suggerit cultus literarum. Quibus, qui informatam habet mentem, certis rationibus nititur, non rebus usu cognitis; idemque longe acutius atque ex longinquo prospicit pericula, cum illi, qui experiri malunt,

ad ea tantum, quae ante pedes sunt, sapiant atque ea potius animadvertant, quae in praesenti imminent.

Accusant illi non vero crimine Musas,
 Solvere qui leges juraque sacra putant.
Non illae suadent, sacratas spernere leges,
 Neve putes, sceptri debilitare metum.
Caecus, quem baculus ducit, non certior ibit
 Quam sibi qui proprio lumine monstrat iter.
Non certo sistunt sic tramite legis habenae,
 Sed mens officium sponte secuta sacrum.
At subigunt animos Musae, ne frena recusent,
 Jussaque rectorum sancta timere jubent.
Sed fera barbaries dura cervice repellit
 Omne jugum et legum rumpere frena solet.
Quando viderunt discordes secla tumultus?
 Nempe inter populos, qui rude pectus habent.

142

Quondam *Cato* oratione invehens in sumtus, quos ea tempestate homines privati immensos in coenam impendere coeperunt, admodum esse difficile ait eam civitatem servare, in qua piscis pluris veneat quam bos. Insanire luxuria tum coeperant Romani, maxime in sectandis piscibus. Hic vir alioqui tam clarus, tantaque probitate insignis id habebat clarorum hominum, ut eximias, quibus eminebat, virtutes quodam vitio macularet, quod esset dolendum, si quisquam integrae innocentiae homo daretur terris. Invidebat ille gloriae alienae, seque *Scipioni* Africano maxime invidum esse non dissimulabat. Hunc lacessere nunquam desistebat, dabatque operam, ut debitam tantis meritis gloriam atque potentiam criminaretur. Inimicitiae *Catonis*, ortae ex manifesta morum dissimilitudine, ab eo tempore exarserunt, quo quaestor *Scipioni* fuerat bello in Africa gesto. Mos erat Romanis et institutum, ut Quaestor magistratum, sub quo mereret, non secus ac patrem suum vereretur. Talem *Cato* quidem se non praebebat. Offensus liberalitate et magnificentia *Scipionis* ab eo discessit, ac regressus Romam in senatu jactare non destitit, *Scipionem* immenso et inutili apparatu esse conspicuum. Postea hae inimicitiae vehementissime proruperunt. Petulii enim *Catone* auctore existimabantur diem dixisse *Scipioni* vivo, eoque mortuo causam iterum

egisse, ferentes ad populum legem, quae jubebat quaeri, quo aversa sit illa pecunia, quam *Scipio* ab *Antiocho* ejusque regno exactam non retulisset in publicum.

143

Xerxem, Persarum Regem, cum audisset, factos in Hellesponto pontes foedam tempestatem disjecisse, moleste id ferentem perhibent trecenta verbera Hellesponto infligi jussisse, et in ejus undas duas compedes demitti. Quis est, cui hoc non videatur tantae esse amentiae, ut malit credere, falso criminari rerum scriptores, qui illud factum referant? Regemne alioqui non insipientem nominis sui famam adeo ridiculo et puerili facto maculasse, et in conspectu sui populi se tam turpiter dedisse? Nempe ejusmodi narrationes cum indignae sint ratione humana, quis non malit numerare in fabulis? Ac forsitan eo tempore Graeci, quorum libertati cum tantis terroribus imminebant Persarum reges, nihil non protulerunt, ne mendaciis quidem abstinentes, quo reges et principes quam maxima invidia onerarent. Quid autem, si principem, quem magni cognomine sua aetas insignivit, aeque ineptiisse accepimus? Quid, si *Xerxi* similem ostendat etiam Russia? Ita est, si, quod relatum legi, licet credere. *Petrus* I. ingentis vir animi jure existimatur fundasse validam rem Russorum. Hunc constat, discendi studio incensum, multas terras peragrasse, maximeque earum gentium, ex quibus, quae ad fabricandas naves et omnem rem nauticam pertinerent, posset discere. Reversus ex itineribus artis nauticae documentum quondam daturus naviculam versabat in lacu Ladoga, qui saepius ventis agitatur, et tum maxime erat solito concitatior. Ibi *Petrus* trepidatione perculsus ad ripam quidem evasit incolumis, sed offensus, quod majestatem suam parum curarent undae, arcessitum apparitorem jussit, lacum indocilem flagellis more Russorum caedere.

Interdum reges delirant pectore stulto
 Quos ad facta furor stulta superbus agit.
Quae mihi de magno narratur fabula *Xerxe*
 Haec utinam fictae nomen habere queat!
Ille freto, teneram quod mersit fluctibus Hellen,
 Verbera pro rupto ponte trecenta dedit.

Pontis aquas pelagi demissa compede vinxit
Et docuit, longas regibus esse manus.
Tantane te vanum cepit dementia regem
Ut poenas irae det maris unda tuae?
At rex tam prudens non haec puerilia lusit
Ut risum à sera posteritate trahat.
Credam, ni similem vidisset Ladoga *Xerxem*,
Hic sensit Magni dura flagella *Petri*.

144

Anno à Roma condita 568. creandi censores acerrimis motibus causam praebuerunt. Erat censura fastigium dignitatis et quasi apex omnium honorum, qui civis romani ambitioni patebant. Eo munere amplissimo qui fungebantur, his data erat potestas, vitam moresque hominum privatorum inquirendi. Romani enim judicabant, non committendum esse, ut cuivis liceret, quidquid liberet facere, et animo suo obsequi, neque satis esse, eos, qui in ipsam civitatem graviter peccassent, legum poenam subire, nisi flagitia et mores, qui probitatem honestatemque laederent, publicam animadversionem subirent magistratuum, quorum potestas juris formula non circumscriberetur. Haec potestas propemodum infinita, non solum homines ex plebe coërcebat, sed etiam principes civitatis, quos rerum gestarum gloria insignes, si probitatem morumque honestatem laesissent, ignominia notare licebat censori. Ad id enim Romae constituti erant censores, ut morum essent custodes, magistri et castigatores, prohiberentque, quo minus à virtute descisceretur, animique ad libidinem et turpitudinem abjicerentur. Permulti competitores, nobilissimi Romanorum, quinque Patricii, quatuor Plebeji imminebant spei censurae. Sed quamvis illustrissimo genere alii atque alii essent, tamen nemo fuit, qui *P. Catonis* nomen premeret.

Romam frenabat lascivam Censor acerbus,
Tota ut regnaret sanctus in urbe pudor.
Ne blanda quemquam captaret voce libido,
Quae putat arbitrii quidlibet esse sui.
Illa domos claras visebat summa potestas
Urebatque reos deteriore nota.
Illa graves meritis pellebat ab ordine Patrum,
Pellebat cives nobiliore tribu.

Nunquam deseruit pede claudo poena scelestos
Infensus sceleri dum *Cato* censor erat.
Sic voluit mores servari Roma pudicos
Ut certum pudeat transiluisse modum.

145

Numerus numero facile mutatur, nec difficile est ei, qui in locum successit, adsuescere. Quid refert, mediam agamus an extremam anni partem? Hoc animo putares esse istos levioris ingenii homines, qui paucis annis abhinc morem christiano homine valde indignum instituerunt, abiturum annum bacchando inter comissationem prosequendi et adventantem inter pocula vino spumantia salutandi. O socordes illos et leves, quos etiam tum poenitet puerilem animum ad seria avocare, cum partem vitae suae, qua quidem nihil habent potius, temporis impetus aufert, nullo modo revocandam. Qui si satis intelligerent, quantum sit tempori tribuendum; profecto istam noctem tanti ominis non inter risus et jocos, sed seria meditando essent transacturi. Vestram quidem aetatem, qui vellet hoc tempore magis ad seria esse compositam, quam viros et juvenes, eum oporteret valde esse difficilem et morosum. Equidem id unum cupio, ut istum morem recens institutum ne putetis honestum esse, aut etiam ad elegantiam pertinere. Utique anno cedenti frustra ingemiscimus, et perditi in eo temporis frustra poenitet. Sed hominibus cujuslibet aetatis maxime est salubre, ad vitae suae intervallum erecto animo respicere, et viam confectam iterum oculis emetiri. Hoc vestram quoque aetatem decet; quod ut faciatis, rogo, si vestra interest, viam, quae jam ingredienda est, circumspectius ingredi.

Turpia nunc agitant hanc Bacchanalia noctem
Supremam vitae quam brevis annus habet.
O, morem foedum! quis erat tam futilis auctor?
Seria non illi, sed placuere joci.
Quis furor est, anno cedenti apponere mensas,
Quis furor est, anno pocula ferre novo?
Cor tibi nempe pigrum torpet, temeraria turba,
Sive leves mavult cor puerile jocos.
Nempe leves animos non tunc in seria tendis,
Cum partem vitae gurges ad ima rapit.

At fugit aeternum vitae irreparabile tempus
Et tibi scis vita carius esse nihil.
Qui pauci nostis, quanti sit quaelibet hora,
Anno mente pia dicite quisque, Vale.

146

Cato cum prodiret, censuram petiturus, non cunctati patricii, qui olim bellum ei indixerant, simul coorti sunt, ut ab ea hominem arcerent; rati, patriciorum dignitatem minui, si homines ignobili loco natos ad fastigium honorum evehi paterentur. Propter eam invidiam quasi ingenitam, omnes, qui cum *Catone* petebant, ultima experiebantur, ut illo censura prohibito ipsi eam obtinerent, praeter unum *L. Flaccum*, qui cum eo consulatu functus adversari ei noluit; quia ipse populi oculos in *Catonem* converterat. Hic quo minus crearetur, tum ii obstabant, qui *Catonem* quacunque re possent offendendum susceperant, neque eum esse arbitrabantur, qui offensas animo ejiceret; tum alii, qui splendide lauteque vivebant, et quorum plures vitae dissolutae morumque corruptorum conscientia angebantur; hujus generis omnes austerum extimescebant ingenium ejus censoris, qui semper omnem magnificentiam ac luxuriam aperte odisset, quique capitali odio prosequeretur cives improbos, obstinatoque esset animo in iis omnibus, quae sui officii partes exigerent.

Virtus nobilitat, non ceris atria plena,
Haec etiam pueros nobilitare solent.
At, si plebejum fecit praetexta verendum,
Omnis nobilitas rumpitur invidia.
Polluit impurus nomen tam nobile sanguis,
Sacratoque tumet sanguine vena Patrum.
Ite viri fortes, vulgusque arcete profanum
Ne maculet turpi munera sacra manu.
Sic clamant omnes, ardent certamine linguae;
Omnia patricius postulat arma furor.
Sed virtus, nulla quae claret imagine, vincit;
Nempe favor populi judiciumque valet.

147

Morovius patre usus est celeberrimo causarum patrono, qui propter fidem invictumque pecunia animum et alias

virtutes carus erat omnibus. Idemque vulgo ferebatur esse perfugium et tutela inopis multitudinis; tantumque tribuebatur ejus probitati, ut prorumpente veteris imperii taedio equestris ordinis homines ejusdem civitatis, et qui circa habitabant, maximeque ii, qui exsulatum ire parabant, ipsum deligerent, cui suarum rerum curam mandarent; quae fiducia deinde non parvi momenti fuit, ut supplicio illum traderet impotens *Robesipetrae* dominatio. Cujus supplicii spectator populus in lacrymas effudit dolorem, hanc mittens vocem: ecce nos orbatos unico praesidio!

148

Hujus filius, cum à teneris naturae quodam impetu ferretur ad militiam, adolescens duodeviginti annorum militem se scribendum praebuit. Id pater inconsulte factum ratus, exauctorandum data pecunia curavit, eumque literarum cultui reddidit; at ille, sive jurisscientiam pertaesus, sive militiae amore abreptus, iterum nomen ei dedit. Qua iterata temeritate valde offensus pater cum vellet filium asperioris vitae, quam secutus esset, incommoda experiri, post quatuor menses instantibus amicis, ut filium ne diutius in contubernio militari esse pateretur, ne diligentiae in illo educando fructum omnem perderet, iterum cedens necessitati adolescens juris scientiae operam dare rursus coepit.

149

Sed fatum illi erat, castra sequi, mox materiam praebente exorta imperii mutandi libidine. Hic, cum antea alio loco enituisset ejus ingenium et fortitudo, postquam sua provincia milites populares coepit conscribere, cohorti illorum praefectus est. Ita peropportunam occasionem nactus, propenso ad rem militarem animo obsequendi, repudiato juris discendi consilio in arte disponendi aciem aliisque, quae ad militaris rei scientiam pertinebant, tanto ardore versabatur, ut minus trium mensium spatio optime didicisset, quicquid mandati imperii ratio exigeret.

150

Hic vir clarissimus ut adolescens, quanquam valde adversante natura, tamen imperio patris obsequendum putavit, quo exemplo adolescentes nostra aetate arrogantiores moneantur, quid patri debeat filius: ita verecundiam patris etiam mortui declaravit. Qua ex re non minorem laudem est adeptus, quam ex partis belli decoribus, in quibus praecipue eminet reducti ex Germania exercitus gloria.

Pater ejus infelix et probus, antequam ad supplicium raperetur, facto testamento, caritate filii ductus auctor ei fuit, ut virginem à se dictam duceret uxorem. Atque hic aeque pius in patrem ac strenuus bello dux, ut primum per officium licebat, relicto exercitu in patriam profectus, lacrimis profusis parentavit patri et virginem probam ab eo sibi destinatam, in matrimonium duxit.

151

Inter haec violenta machinantium consilia *Cato* non is erat, qui prensandos homines putaret, aut ad sordidas artes decurreret, more petentium honores, sed in forum prodiit, propemodum minaci vultu, et in adversarios invectus est; ipsos non aliam ob causam sibi refragari, nisi quod metuerent, ne liberum constantemque et fortem censorem se experirentur. Simul admonuit cives, cum mala reipublicae in dies crescant, eamque praecipitem agant in perniciem, non esse sperandum à lenibus remediis auxilium, igitur esse ipsorum consilii, tam gravi malo sanando non mitissimos et facillimos adhibere medicos, sed maxime strenuum quemque et difficillimum. Nec dissimulavit, ejus ingenii medicos, quibus egeret respublica, se et *Flaccum* esse; hunc esse unum, cum quo se una speraret effecturum, ut nova morum licentia aboleatur, luxuria et mollities, quae in omnes partes reipublicae serpsissent, radicitus evellantur, et veteris disciplinae severitas restituatur.

Romae quidem oportebat multum tribui virtuti *Catonis*, eumque singulari gratia apud omnes valere et populum romanum sapere plurimum, ut faciendum decerneret, quod fecit. Quamvis multa machinantibus patriciis, non solum Censor creatus est *Cato* uno consensu, sed collega

ei datus is, quem postulaverat, *V. Flaccus*. Virtus saepe admodum contemta per asperrima quaeque sibi objecta interdum evadit,

152

Equidem facile concedo, homines, cum longissime absint à perfecta ratione, non eos esse, quos regas consilio et ratione, ideoque futurum esse, ut, qui in legibus condendis cum multitudine vellent deliberare et cum ea consultare, nihil aliud quam sententiam imperitae multitudinis vellent vincere.

Ego olim, inter ipsos, eorum, qui liberos esse populos postulant, furores imperium unius esse optimum palam dictitavi. Mihi quidem liquet, multitudini non esse persuadendum, sed imperandum; quemlibet civium potestatem habere nemini obnoxiam, de legibus libere sentiendi, scribendi, judicandi; sed eundem maxime decere dicto esse audientem. Veruntamen rursus nemini non adparet, non nisi ab iis, qui rationem habeant maxime perfectam, bene et constanter regi posse homines. Intelligentia, quae omni animi perturbatione sit vacua, consilium non praeceps, cura rem universam complectens, et quam non detorqueat amor sui, benevolentia, cui nullum privati commodi studium officiat, cautio non timida, constantia non morosa, liberalitas non stulta, gravitas non acerba; hae sunt virtutes, quibus instructi soli pares sunt regendae multitudini, cujus intelligentia minus confirmata est, quam qua morum duce et custode possint uti; à qua arte civitatum regendarum quietoque consilio longe abhorrent illa, quae nunc imminent, nova imperantium consilia.

153

An mihi per nostram aetatem de philosophia et republica mira quaedam parturientem licebit traditam mihi puero ludum frequentanti sententiam fortasse hebetioris animi visam expromere, à qua ut desciscam nec senex à me impetrare possum?

Qui justitiae officiis non fungitur, vel etiam ad indigna facinora descendit quomodo is confidat, Deum se habiturum suis rebus propitium? Quod si ita est: quomodo moderatores populorum sperent laetas suas res fore, nisi rectissima rationis praecepta sequi nitantur?

An vero mirum videri debet, quod omnia ubique miscentur, quod majori parti populorum tam male est consultum, quod terrarum dominis tam grave imminet periculum, qui nihil in Dei favore et auxilio spei reponant?

Id vero, dixerit quispiam, valde pie, ut vulgo theologi, loqueris et salubri exemplo; eorum, quae ad rempublicam pertinent, nihil succedit interveniente consiliis Deo, sed una rerum agendarum arte. Pie id locutus videar licet; equidem de Deo sic sentio: atque utinam animos omnium rempublicam gubernantium hac voce possim ferire: Si justitiam non colueris, non adest coeptis tuis Deus; contra jus fasque facere audentem ira ejus exsequitur.

Lex est immutabilis, quam nulla vis tua, homo, nulla audacia vel paulum valeat avertere, quae sibi obtemperantem divino tegit praesidio, violantem aeternis appetit suppliciis.

154

Inita jam censura est magna expectatione, mista metu multorum. Primum omnium *Cato* faciendum putavit, ut principem senatus diceret *V. Flaccum*, collegam suum et familiarem. Duo hi censores senatu moverunt septem viros, ex quibus unum insignem et nobilitate et honoribus *Q. Flaminium*, fratrem ejus, à quo victus erat *Philippus* rex. Huic percunctanti *Cato* exposuit, quare id fecisset. Ille *Quinctius* cum Galliam regeret consulari potestate, gratum facturus meretrici, quae pervelle dixerat hominem videre supplicio dari, reum, qui erat in vinculis, attrahi et coram meretrice, dum coenabant, securi jussit percuti. Id factum neganti *Quinctio* cum *Cato* conditionem tulisset, ut sponsione se defenderet, ille quiescendum ratus est: tantum tribuebant religioni jurisjurandi veteres Romani. Quo autem animo fuit in *Scipionem* Asiaticum, is non aeque dignus est ejus moribus. Huic in recognoscendo equitatu, ademit equum, publice datum, sive ordine equestri eum expulit. Haec acerbitas nemini probata, atque ex invidia et odio in *Scipionem* Africanum proficisci visa. Vastum consilium *Catonis*, valde ipso dignum, si perfecturo nihil obstitisset, spectabat ad luxuriam funditus exstirpandam, qua olim collapsuram arbitrabatur rem Romanam. Hanc cum non posset adversa fronte et vi adoriri, quae jam vulgari coepta per omnes ordines reipublicae serpsisset, fecit, quod relinquebatur, et obliquis

eam pestem ictibus petiit, ac paulatim labefaciendo profligare conatus est.

155

Ad munus Censorum id maxime pertinebat, ut omnes cives juberent censum censere, ex quo suum cuique tributum imperarent. Habebant illi potestatem, bona privatorum suo arbitrio censendi. Cives prius, quam profiterentur, jurisjurandi religione obstringebantur, nec eorum quenquam falsa detulisse, cognitum est. O fidem admirabilem, praesertim in tali re, in qua fraudem fieri sine culpa vulgo opinantur, modo id facias impune!

Ante *Catonem* cum vasa, vehicula, vestes, ornamenta feminarum non fuissent in censum relata, quae maxime ingentem materiam praebent ostentandae luxuriae, nunc illa pariter in censum referri coeperunt.

Mancipia quidem continebat census atque id genus in multis magna erat pars bonorum, sed referebantur tantum, qui essent viginti annos egressi. *Cato* eos quoque adjecit, qui hac aetate essent minores. Ita rerum novarum auctor *Cato* magnam sibi invidiam contraxit. Sed cum haec ageret, memor salutis communis, nihil motus querentium vocibus, captum à se consilium obstinato et constanti animo tenuit. Populus quidem magnopere obstrepente potentissimo quoque et locupletissimo, uno consensu probasse videtur *Catonem* Censurà fungentem. Jussit ei statuam poni ad aedem Salutis, eique inscribi non bella ab eo gesta, non triumphos actos, sed verba haec: *Catonis* memoriae, quia rempublicam Romanam, in quam venit morum vitio lapsam, Censor sanctas leges jubendo, bonas res instituendo et salutaria praecipiendo sustentavit atque restituit.

156

Omnes graecarum rerum scriptores tradunt nobis Indos esse homines habitu corporis multo praestantiores et longe grandiores ceteris. Quod etsi non vulgo affirmandum est, tamen id quidem satis constat, liquidum aërem salubremque victum, rerumque quibus eget vita, omnium copiam ac frugalitatem et sobolis educandae rationem apud Indos mirum quantum valere ad eorum corpora perficienda maximeque ad juvandam sobolis procreationem. Partus eorum humi jacent tanquam abjecti. Corpora

parvulorum neque fascia involvunt, neque strophio constringunt, neque alia re comprimunt, qui Europaeis mos est. Quo fit, ut liberam atque expeditam habeant artuum explicationem, nervique et ossa ad quandam firmitatem durentur, eaque soboles jam pubescens, non solum proceris sed etiam valentibus agilibusque ac robustis et firmis corporibus sit conspicua. Eorum et robur et agilitatem mirifice alunt augentque crebro frigidis balneis utendo, oleoque Coci et Ingiae succo identidem inungendo et corpora exercitando. Ac diuturnus est ille vigor, nisi forte sint adolescentes, qui lasciviant intemperantia libidinum, aut immodica contentione aut nimio sudore emisso corporum vires atterant. Indi autem juvenes ut vulgo sunt vegeti firmaque valetudine, ita, qui viginti annos nondum egressi uxores ducunt, languida fere et soluta trahunt corpora. Perrari occurrunt apud Indos claudi, gibbosi aut alia corporis parte debilitati.

157

Puerilem aetatem Indi multo simpliciore doctrina curant erudiendam et nequaquam tanto sumtu, quanto, qui Europam incolunt. Ibi tenera aetas sub umbras arborum nuces Indicas ferentium seminuda coit et in orbem recumbens humi, literarum elementa in arena digito dextrae, quem vocamus indicem, describit eamque alias formatura literas iterum sinistra complanat.

Adversum habent discentes scribendi magistrum spectantem, mendas corrigentem, et emendandi praecepta tradentem. Initio stans munere fungitur; postquam autem pueri ultra rudimenta artis scriptoriae progressi sunt, pedibus decussatim compositis vel pelli tigridis vel cervinae, vel etiam stragulae insidet, fronde arborum Coci nomine insignium contextae. Haec ratio tradendi artem scriptoriam, ut ait *Megasthenes*, ducentesimo anno ante C. N. apud Indos instituta, ad hanc usque aetatem moris esse non desiit nec utique facile est reperire usquam gentium, qui veteris instituti sint tenaciores, quam qui in India sunt nati. Discentes ubi artem scriptoriam satis bene perceptam habere judicantur, certos literarum ludos adeundi potestas datur. Ibi docentur in palmarum foliis ducere literas, quae plura invicem fibulata et media inter duas tabellas adstricta pro Indico libro sunt.

Magistrum, quotiescunque in ludum intrat, cum maxima reverentia salutant discentes. Hi debent toto corpore

procumbentes eum venerari et dextra opposita os premere, nec prius vocem licet mittere, quam ille diserte permiserit. Si quis vetante magistro confabulatur, eum ut hominem propter linguae intemperantiam ad philosophiam nullo modo idoneum ludo expellunt. Ita magister debitam ipsi reverentiam semper obtinet; dicto audientes sunt discipuli, eorumque paucissimi legem, tanta cura ipsorum animis impressam, violant.

158

Adolescentes ut verborum et constructionem et vim facilius perspiciant, plures brevis argumenti sententias adhibent magistri, versibus redditas. Hi versus non solum pro exemplis sunt, de verbis invicem copulandis, sed in iisdem inest egregia morum disciplina, quae ita adolescentibus tanquam non sentientibus traditur, ut linguam addiscentibus simul praecipiatur ratio animi informandi et vitae posthac componendae. Earum sententiarum aliquot accipite. Cui usui est operam dare literis, si non eo referatur studium, ut eum, à quo ipsa emanat sapientia, noscas et vereri consuescas. Cur relicta sylvarum solitudine in urbes et pagos coivimus, si non ideo coivimus, ut et amicitiae commoda perciperemus et beneficia vicissim daremus, et hospites ac peregrinantes tectis nostris exciperemus? Quae vulnera infligunt linguae maledicorum, multo sunt acerbiora multoque ad sanandum difficiliora iis, quae igni ferroque infliguntur. Qui offensam ulciscitur, unius fere diei laetitia fruitur; qui ejus memoriam animo ejicit, huic laeta conscientia obtingit, totius vitae comes. Modestia ut quemlibet decet ita potissimum eruditis et locupletibus ornamento est.

Cur silvarum umbras celebri mutavimus urbe,
 Cur libuit socias continuare domos?
Nempe ut amicitiae possemus carpere fructus
 Et dulcis vitae praemia ferret amor;
Ut memores animi pensarent munere munus,
 Ut posset nostros hospes adire focos.
Dura cicatricem vix ducunt vulnera linguae
 Et citius ferro facta coire vides.
Qui poenam iratus manifesto sumit ab hoste,
 Una dies illi laetior ire potest.
Sed comitatur eum veteris mens nescia culpae,
 Qui veniam facili pectore et ore dedit.

Si pudor est omnis pulcherrima gloria frontis,
Maximus hic docti est et locupletis honor.

159

In hortorum secessu et lucorum sacro silentio, ubi scholae habentur, vulgo apparet *Lingam*, Cylindri speciem referens. Quanquam non omnes Indi pro Deo illum venerantur, sed soli Shivanitae. Hi separatae cujusdam sectae sunt, quae simulacri specie, quod refert *Shivam*, ignem pro principio rerum sive vi omnium rerum procreatrice colit.

Praeter illud Dei simulacrum occurrunt ibi duo alia signa, quae vulgo in aditu scholae apparent. Eorum alterum refert *Ganesham*, patronum artium atque eruditorum, alterum *Sarasvadiam*, Deam eloquentiae et historiae. Ad haec duo simulacra nemo non discentium, quotiescunque intrat scholam, oculis conversis palmisque ad caput usque sublatis secundum certas formulas precando veneratur. Hoc etsi nihil aliud est, quam ultima superstitio, tamen haec instituta id saltem demonstrant, à teneris puerorum animos ab Indis imbui metu et religione Deorum, monerique, ut eorum se tutela salvos, eorumque beneficiis cumulatos intelligant. Quidam Gallus praefectus navi ait: Indos eat visum, cui curae est cognoscere, quanta sit vis religionis, quantumque momentum habeat ad animos metus Deorum. Et vere: nam ex bis mille Indis vix quisquam unus reperietur, qui Diis honorem haberi oportere non credat. Natura soli coelique ratio et disciplina animorum magnopere monent istorum locorum populos, ut Deum vereantur, ejusque imperio obtemperent.

160

Cato fastidiebat res novas, quamvis maximam haberent speciem utilitatis. Miserunt Athenienses Romam legatos, tres philosophos illustres, in quibus nobilissimum *Carneadem*. Movebant severum *Catonis* ingenium studia romanorum juvenum ad istos tres claros doctores confluentium et disputationibus eorum avide auscultantium. Itaque operam dabat, ut causa, propter quam venissent Romam, celeriter transacta, illi quam primum Senatu dato dimitterentur. Timeo, ait, ne argutiis Graecorum capta juventus romana à simplicitate veteris disciplinae desciscat.

Delatis Romam adversus *Masinissam* querelis Carthaginiensium delecti viri in ea loca ablegati sunt, in iis *Cato*. Hic reversus ex Africa Romanos magna contentione docuit, Carthaginem sibi non talem visam, qualem opinarentur Romani, exhaustam viris, opibusque affectam et fracto spiritu, sed potius repletam flore juvenum, immensa vi auri argentique, incredibili copia armorum, et ingenti belli apparatu; eandem adeo ferocem fretamque rebus tam copiose paratis et instructis, ut nihil tam sit altum, quo non tendant spes eorum ambitiosae. Perhibent etiam, post has voces jactatas projecisse in mediam curiam ficos in Africa natas; quarum et speciem et magnitudinem admirantibus Patribus dixisse: scitote, haec poma die tertio abhinc decerpta: tam exiguo intervallo ab hoste absumus. Postea quicquid in Senatu consultaretur, *Cato* semper adjiciebat: *Ego censeo, Carthaginem delendam.*

161

Durius tentata est *Catonis* constantia morte filii, in ipsa Praetura erepti. Hunc ille gestabat in oculis. Poterat ei videri bis à se genitus, à quo non tantum esset generatus, sed etiam educatús eruditusque, quam curam non aliis voluerat mandare. *Catonem*, *Plutarchus* ait, ipsum docuisse filium, jaculari, tela conficere, in equum ascendere, manu commode ferire, frigus caloremque pati, fluvios rapidissimos nando trajicere. Egregîum patrem non piguit, antiquitatis monumenta, quibus ille uteretur, sua manu et grandioribus notis conscribere, cupientem à se filio comparari tantum auxilium, quantum ferret rerum à majoribus gestarum notitia. Sed, quod potissimum pertinet ad rectam educandi rationem, sapiens pater cavebat coram filio, ne quid ore suo exiret, quod ullo modo laederet morum sanctitatem.

Tantae diligentiae tantaeque operae praeclare respondit eventus, ut *Cato* in suis libris filium praedicet egregium fuisse hominem, domi militiaeque pariter clarum. Juvenis optima conditione, quam sua virtute pariter ac fama patris sonsecutus est, uxorem duxit *Tertiam*, *Pauli Aemilii* filiam, sororem *Scipionis* Africani, ex eaque sublatos liberos moriens reliquit. Ejus morte grave vulnus accepit pater; at hunc casum acerbum, ita fortiter ut sapientem decebat, ferens, nihil temporis, quod esset

Nachricht an die Herren Buchbinder: Diese zwe

dandum reipublicae, perdidit. Ipse, qui semper odisset vanos apparatus magnosque sumtus, qui essent inutiles modica funeris pompa filium extulit.

162

Libertas, qualem expetit imperita multitudo, ejusmodi est, ut aequari summa infimis velit; nihil esse excelsum, nihil, quod supra cetera emineat. Vulgi invidia tum maxime accenditur, cum inter solemnia amplioris loci homines se anteponi postulant plebi, quae aequo jure se credit adesse spectaculis; nec immerito. Est apud *Livium* memorabile vulgi de tali re judicium. Romae Aediles Curales Megalesia et ludos scenicos fecerunt. Hos ludos primum Senatus à populo secretus spectavit, praebuitque sermones, sicut omnis novitas solet: aliis, tandem, quod multo ante debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini; aliis demtum ex dignitate populi, quicquid majestati Patrum adjectum esset, interpretantibus. Omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur et concordiae et libertatis aequae minuendae esse; ad quingentesimum quinquagesimum octavum annum in promiscuo spectatum esse; quid repente factum, cur immisceri sibi in cavea Patres plebem nollent? Cur dives pauperem consessorem fastidiret? novam et superbam libidinem à nullius ante gentis senatu neque desideratam neque institutam. *Livius* addit, ipsum quoque (*Scipionem*) *Africanum* poenituisse, quod Consul auctor ejus rei fuisset. Adeo nihil motum ex antiquo probabile est; veteribus, nisi quae usus evidenter arguit, stari malunt.

Vulgus amat stultum mores servare vetustos
 Et nihil antiquo sanctius esse putat.
Parcite consulti proceres antiqua movere,
 Non populi plausus illud habebit opus.
Mavult, quod patrum sanxit sapientia, stare,
 Si non exemplis ad meliora sapit.

163

Quinctius, Imperator Rom. ultimum adloquitur Graecos.

Praefatus, sibi in Italiam proficisci, atque omnem exercitum ex Graecia deportare in animo esse, adjecit:

se monere civitates, ut ex factis, non ex dictis amicos pensent, intelligantque, quibus credendum et à quibus cavendum sit. Libertate modice utantur; temperatam eam salubrem et singulis et civitatibus esse; nimiam et aliis gravem et ipsis, qui habeant, effrenatam et praecipitem esse. Concordiae in civitatibus principes et ordines inter se, et in commune omnes civitates consulerent. Adversus consentientes nec regem quenquam satis validum, nec tyrannum fore. Discordiam et seditionem omnia opportuna insidiantibus facere, quum pars, quae domestico certamine inferior sit, externo potius se adplicet, quam civi cedat. Alienis armis partam, externa fide redditam libertatem sua cura custodirent, servarentque ut populus Romanus dignis datam libertatem ac munus suum bene positum sciret. Has velut parentis voces quum audirent Graeci, manare omnibus gaudio lacrymae, adeo ut ipsum quoque confunderent dicentem. Postea monebant alii alios, ut eas voces, velut oraculo missas, in pectora animosque demitterent.

Factis, non dictis, certos pensabis amicos;
 Inde, quibus credas quos fugiasve, scies.
Pulchra quidem res est libertas, sed tamen anceps;
 Convenit, illius posse tenere modum.
Civibus illa dabit certam populisque salutem,
 Si fines rectos transiluisse fugit.
Sed dabit exitium multis, quibus ipsa favebat,
 Si temere in praeceps lege soluta ruit.
Vobis, o proceres, bona sit concordia curae,
 Haec sancta jungat pectora cuncta fide.
Adversus Graecos concordi foedere junctos
 Non satis armorum Persia magna tulit.
Insidiis faciles aditus discordia praebet,
 His portas aperit seditiosa manus.

164

Senatui placuit, *Postumium* Consulem ad agrum publicum à privato terminandum in Campaniam ire, cujus ingentem modum possidere privatos, paulatim proferendo fines, constabat. Hic iratus Praenestinis, quod, cum eo privatus sacrificii in templo fortunae faciendi causa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice neque privatim factum esset, priusquam ab Roma proficisceretur,

literas Praeneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet ubi deverteretur, jumentaque, quum exiret inde, praesto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumtui fuit. Ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. Privata hospitia habebant, ea benigne comiterque colebant; domusque eorum Romae hospitibus patebant, apud quos ipsis deverti mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida iter qua faciendum erat, imperabant; aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Ira Consulis, etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, et silentium nimis aut modestum aut timidum Praenestinorum, jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.

Postumius Consul quantum distabat ab illo,
 Urbibus ignotum qui faciebat iter!
Huic proprii muli gestabant vasa domumque;
 Impositum, quicquid posceret usus, erat.
Littera non illum praedixit missa venire;
 Non illi sumtus oppida amica dabant.
Hospitis ille sui communia tecta subibat,
 Janua cui Romae nota patebat item.
Unum jumentum socia legatus ab urbe
 Poscebat, celeri pergere jussus equo.
Tam parvo sumtu socios tum Roma gravabat;
 Heu, cur non stabat mos bonus ille diu?

165

Poëtis haec duo proposita esse debent, ut et delectent et prosint. Hoc quidem antiquissimi graecorum poetae maxime faciendum putaverunt, quod sapienter dicta declarant, carminibus interposita. Quod exemplum utinam nostri poëtae imitari voluissent! Quam multum mali, lasciviente multorum ingenio illatum, ita cautum fuisset! Post Homerum, qui poëtarum parens dicitur, illi, si excelso erant animo, in id maxime incumbebant, ut pietatem in Deum et studium recti honestique vulgo persuaderent. In his primum *Hesiodus* per occasionem sui poëmatis de re rustica, multa scita morum praecepta interseruit eaque poëtico lepore induens suasit. Cui non videantur valde

egregiae hae sententiae: *Sudore ac labore pervenitur ad virtutem; quae via ut initio longa et ardua est, ita minus impedita est, ubi in summa evaseris. Ille est optimus, qui ipse ubique consulit, quod in rem est; bonus et ille, quem non pudet, bene monenti obedire; qui autem neque ipse consulere scit neque alteri parere, homo nullius frugis est.* *Pindarus*, alius poëta, verecundiam Deorum caritatemque patriae et alias virtutes ardenti studio commendat; cujus sententiae quam sint sublimes, argumento sunt illa scite dicta: Fallitur, quisquis sperat, fore ut acta à se Deum lateant. Duce Deo multis viis itur ad felicitatem.

Arduus hic labor est, virtutis quaerere palmam;
 Plurimus hinc toto sudor ab ore fluit.
Longa via est, fateor, salebrosaque et horrida dumis;
 Sed facili tactus tramite sistit apex.
Optima quaeque sibi qui consulit, optimus ille est;
 Et bonus est, alius cui bonus auctor erat.
Qui sibi non sapiens claudit monitoribus aures,
 Hunc ego terrarum judico pondus iners.
Acta Deum nunquam fallunt mortalia summum;
 Hoc fore si speras, te malus error habet.
Auspice vade Deo per tot discrimina vitae;
 Tum dabitur varium prosperitatis iter.

166

Quam sit non modo dignum viro, qui in magistratu est, sed ad quaedam tempora quam opportunum, scire quae species coelestes incidunt, *Pericles* Atheniensium clarissimus probavit, qui objecto ad os illius amiculo gubernatorem solis defectione perculsum docuit, quomodo fiat, ut sol deficiat. Pariter Romano homini, cum idem eveniret, illa scientia profuit. Bello adversus *Persea* Macedonum regem, *Sulpicius Gallus* tribunus militum, qui praetor superiore anno fuerat, Consulis *Aemilii* imperatoris permissu ad concionem militibus vocatis, pronunciavit: Nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Id quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunaeque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo

cornu fulgere lunam non mirarentur, ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terrae, trahere in prodigium debere. Nocte, edita hora luna quum defecisset, Romanis militibus *Galli* sapientia prope divina videri; Macedonas ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens movit; clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit.

Digna viro res est, coeli perdiscere morem,
Et quiddam ad casus utilitatis habet.
Cura sit haec potior vobis, quos Curia legit
Quosque praeire videt credula turba duces.
Quid fuit, ut solis pavidus modo nauta labores
Denique vulgari cerneret absque metu?
Nempe quod hunc docta sapientior arte *Pericles*
Se nihil hic docuit posse videre mali.
Olim cum lunam telluris condidit umbra,
Non id Romano causa pavoris erat.
Hoc dedit unius rerum sapientia *Galli*
Cum rara vanum tolleret arte metum
At Macedo moerens illis ululabat in horis,
Lunam triste suis omen habere ratus.

167

Ante bellum adversus Macedones, cum id agebatur, utri se adjungerent reges populique, Romanis an regi Macedonum, cum hoc sentiebant plures regum magno suo malo. In liberis gentibus populisque plebs omnis ferme ut solet, deterioribus erat inclinata. Principum diversa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent; pauci ex iis justitia imperii Romani capti; plures ita si praecipuam operam navassent potentes sese in civitatibus suis futuros rati. Pars altera regiae adulationis erat, quos aes alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente statu, praecipites ad novanda omnia agebat; quosdam ventosum ingenium, quia *Perseus* magis aurae popularis erat. Tertia pars optima eadem et prudentissima, si optio domini potioris daretur, sub Romanis quam sub rege malebat esse. Si liberum inde arbitrium fortunae esset, neutram partem volebant, potentiorem altera oppressa fieri; sed illibatis potius viribus utriusque partis pacem ex eo

manere. Ita inter utrosque optimam conditionem civitatum fore, protegente altero semper inopem ab alterius injuria.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus
 Quod solet in dubio deteriora sequi.
Non est certa magis, quid malit, turba potentum,
 Nescia, quo venti vela ratemque ferant.
Principis ad nutum se pars componit in aula;
 Agmen adulantum quisque tyrannus alit.
Terror vexat eos alieno pallidus aere.
 Quos non securos creditor esse sinit.
Hi nullam cernunt sibi spem superesse salutis,
 Si maneat regnis, qui fuit ante, tenor.
Ergo praecipites agit hos insana libido
 Quae poscit turbis omnia mista novis.

168

Annibalem transeuntem Apenninum adeo atrox adorta tempestas est, ut Alpium foeditatem prope superaverit. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, primo, quia aut arma omittenda erant aut contra enitentes vertice intorti adfligebantur, constitére: dein, quum jam spiritum intercluderet nec reciprocare animam sineret, aversi à vento parumper consedére. Tum vero ingenti sono coelum strepere et inter horrendos fragores micare ignes; capti auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem effuso imbre quum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo, quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est. Id vero laboris velut de integro initium fuit. Nam nec explicare quicquam nec statuere poterant, nec, quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente. Et mox aqua levata vento, quum super gelida montium juga concreta esset, tantum nivosae grandinis dejecit, ut omnibus omissis procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti. Tantaque vis frigoris insecuta est, ut ex illa miserabili hominum jumentorumque strage, quum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret, quia torpentibus rigore nervis vix flectere artus poterant. Deinde ut tandem agitando sese movere ac recepére animos et variis locis ignis fieri est coeptus, ad alienam opem quisque inops tendere.

169

Flaccus, Censor, aedem Fortunae, quam in Hispania Praetor voverat, faciebat enixo studio, ne ullum Romae amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum se templo ratus adjecturum, si tegulae marmoreae essent, profectus in Bruttios, aedem *Junonis* ad partem dimidiam detegit, id satis fore ratus ad tegendum quod aedificaretur. Naves paratae fuerunt, quae tollerent atque asportarent; auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam Censor rediit, tegulae expositae de navibus ad templum portabantur. Quanquam unde essent silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est; ex omnibus partibus postulabatur, ut Consules eam rem ad Senatum referrent. Ut vero arcessitus in Curiam Censor venit, multo infestius singuli universique praesentem lacerare: templum augustissimum regionis ejus, quod non *Pyrrhus*, non *Annibal* violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset foede ac prope diruisset. Quum, priusquam referretur, adpareret, quid sentirent Patres, relatione facta in unam omnes sententiam ierunt, ut hae tegulae reportandae in templum locarentur, piaculariaque *Junoni* fierent. Tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemtores nunciarunt. Hic foeda morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum, alterum descisse, alterum gravi et periculoso morbo aegrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Vulgo *Junonis* iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant.

170

Romae tibicines quia prohibiti à proximis censoribus erant in aede *Jovis* vesci, quod traditum antiquitus erat, aegre passi, Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis praecineret. Ejus rei religiò tenuit Senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti primum, accitos eos in curiam hortati sunt, uti reverterentur Romam; postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum, eos

adgrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum causa invitant, et vino, cujus avidum ferme genus est, oneratos sopiunt; atque ita in plaustra somno victos conjiciunt ac Romam deportant. Nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulae eos lux oppressit. Tunc concursus populi factus, imperatoque ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu atque licentia per urbem vagarentur, restitutumque in aede vescendi jus iis, qui sacris praecinerent. Haec inter duorum ingentium bellorum curam gerebantur. Quaedam his adjiciamus. *Livius* hanc rem dictu parvam ait se praeteriturum fuisse, nisi ad religionem visa esset pertinere. Ita semper servat hic rerum scriptor, ut nihil omittat, quod ad opinionem vulgi de religione pertineat, etiamsi pro ridicula habeatur superstitione. Ipsum credibile est, observantem religionis sive reverentem Dei fuisse; alioqui hanc rem non quovis loco tacturum. Admiranda est etiam in ea re gravitas et moderatio Senatus, quem non puduerit, leniter agere, vi acturis aliis, quique in eos, qui secessissent, non animadverterit, sed antiquum jus illis restituerit.

171

Animantium terrae supremum obtinet locum homo. Agnoscas dominum terrae, viribus ornatum iis, quae omni genere animantium reddunt superiorem. Habet corpus adfine pecudum generi; sed idem corpus animi maxime domicilio aptum, cui tam alta sunt proposita et per quem omnes animantes subigit homo. Qui si non esset, terra quamvis vario animantium genere culta, inchoato similis futura esset operi. Novum ab homine orditur genus animantium, illud naturarum intelligentium, quae quales sint, necdum pro dignitate animo fingere possumus. Homo apparet quasi in limine mentium mortales effugientium oculos. Hominem esse, neque Deum ipsius satorem et dominum, id quidem assequi mens nulla cogitatione potest, eoque nihil amentius cogitare homo ausit. Huic ad beate vivendum opus est probitate; quam quis animo fingat sine Deo, qui suis praeceptis eam excitet, excitatam admotis stimulis maximeque propositis praemiis propellat? Ea est rationis nostrae indoles, ut ea impulsi facere non possimus, quin naturam esse divinam credamus, in qua quicquid hominis rectum honestumque dicitur, labefactari

non potest, et quae valet hominem ad recta tendentem tueri et quae ita progredienti damna facienda sunt, horum fructum ei ferendum dare.

172

Secutus est tranquillitatem rerum annus multiplici clade ac periculo insignis; seditionibus, fame, regno prope per largitionis dulcedinem in cervices accepto. Coepere à fame mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum et urbis deserto agrorum cultu. Patres plebem desidem et tribuni plebis nunc fraudem nunc negligentiam consulum accusabant. Postremo perpulere Plebeji haud adversante Senatu, ut *Minucius* praefectus annonae crearetur; felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui; quanquam postremo annonae quoque levatae haud immeritam et gratiam et gloriam tulit. Qui quum multis circa finitimos populos legationibus terra marique necquicquam missis, nisi quod ex Etruria haud ita multum frumenti advectum est, nullum momentum annonae fecisset, revolutus est ad dispensationem inopiae profiteri cogendo frumentum, et vendere quod usui menstruo superesset fraudandoque parte diurni cibi servitia. Criminando inde et objiciendo irae populi frumentarios cum acerba inquisitione aperiret magis quam levaret inopiam, multi ex plebe spe amissa potius quam ut cruciarentur trahendo animam capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverunt.

173

Fox adolescentulus.

Celeberrimum hunc hominem genuit ex se alterum *Hollandius*, Senator Patricii generis. Pater eum ita educabat, ut nulla disciplina adstringeret ingenii cultum. Puero utique licebat, serere sermones cum viris, id facere non dedignantibus, cum lumen ingenii in puero fulgens cernerent. Ibi ille maturè exercebat animum facultate, verba liberè faciendi in concionibus, sui ita ingrediens ingenii curriculum. Matrem aliquando inepta quaedam de rebus Romanis memorantem puer, qua scholastici solent arrogantia et modo libatae scientiae aestimatione, magnos sibi spiritus sumens interrogavit, quid tandem

ipsa antiquitatis romanae didicisse sibi videretur, omnemque doctrinae copiam ostentavit, patre jactantem non interpellante. Equidem hoc loco sententiam, quae est apud *Ciceronem*, interserendam putavi, ne quis vestrûm audeat, eandem sibi in matrem sumere verborum licentiam, neve arbitretur, quod puerum Anglum, qualis erat *Foxius*, idem se decere. Neminem ait *Cicero*, hoc errore duci oportet, ut, si quid *Socrates* aut *Aristippus* contra morem consuetudinemque civilem fecerint locutive sint, idem sibi arbitrentur licere. Magnis illi et divinis bonis hanc licentiam adsequebantur. *Hollandius* cum erat sanctioris scriba consilii, jam tum puer, quae pater esset commentatus, legebat. Necdum egressus annum decimum, commentariolum, cujus legendi potestatem pater fecerat, in ignem misit, minus inesse nervorum dicens. Pater nihil aliud, quam illud à se conscriptum mutavit.

174

Hactenus eà ratione educatus erectae indolis puer est, quae reprehendi non quidem possit; nulla disciplina adstringente ingenii cultum. Sed quis neget, vitiorum alimenta praebuisse patrem, qui filium quatuordecim annorum Tungrorum Fontem secum duxerit, ibique quinos in vespertina otia aureos Anglicos dederit, quos lusu, quem *Pharao* vocant, perdendi haberet potestatem. Ita insitus animo filii amor ludendi, eidemque pater pecuniae prodigus puero auctor fuit, ut genio nimium indulgeret. Neque tamen haec obstabant, quo minus adolescens ludum literarum, qui Etoni est, frequentans et ingenio et doctrinae incremento superaret aequales eumque cum stupore admiraretur Oxonia. Lectitabat adolescens perquam expeditè *Aristotelis* libros de moribus et republica; libentissimè utebatur consuetudine *Demosthenis* et *Homeri*. Qua ex consuetudine tam familiares habuit istos Graecos, ut postea, cum quondam sacri ordinis homo versum quendam *Homeri* arguisset adulterinum esse, quod metrum haberet, *Homero* nusquam usurpatum, adolescens non cunctàtus viginti versus ejusdem metri referret. Principis poëtarum orationem et sententiam aequè cognitam habens, ut accuratè doctum decet, de illa disputabat, de hac ita, ut penitùs animo sentire adpareret. Historia, mores, artes pacis, haec studia graviora erant curricula solertis

ingenii. Comparabat ab adolescentia, unde artes pacis olim tractaret; iter vero per Europam ita fecit, ut de statu, legibus, imperio, artibus et disciplina gentium, quas adibat, plura addisceret, quanquam praecox ferventioris aetatis maturitas inter amoenitates terrarum, quae ad meridiem vergunt, omnis luxuriae copia adfluentium peregrinantem saepe impetu luxuriosae licentiae praecipitem agebat. Viginti annorum juvenis in Senatum Britannicum lectus primum ingressus hoc curriculum adeo insigni ingenio eminuit, ut clarissimum quemque virum in se converteret.

175

Spurius Maelius ex equestri ordine, ut illis temporibus praedives, rem utilem pessimo exemplo, pejore consilio adgressus est. Frumento namque ex Etruria, privatà pecunià, per hospitum clientiumque ministeria emto, largitiones frumenti facere instituit, plebemque hoc munere delinitam, quacunque incederet conspectus elatusque supra modum hominis privati, secum trahere, haud dubium consulatum favore ac spe despondentem. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere, et quoniam consulatus quoque eripiendus invitis patribus esset, de regno agitare: id unum dignum tanto adparatu consiliorum et certamine, quod ingens exsudandum esset, praemium fore. Jam comitia consularia instabant; quae res eum necdum compositis maturisve satis consiliis oppressit. Consul sextum creatus *T. Quintus Cincinnatus*, minimè opportunus vir novanti res. *Minucius* eandem publicè curationem agens, quam *Maelius* privatim agendam susceperat, quum in utraque domo genus idem hominum versaretur, rem compertam ad Senatum refert. Tela in domum *Maelii* conferri eumque conciones domi habere, ac non dubia regni consilia esse; tempus agendae rei nondum stare, cetera jam convenisse, et tribunos mercede emtos ad prodendam libertatem et partita ducibus multitudinis ministeria esse; serius se paenè quam tutum fuerit, ne cujus incerti vanique auctor esset, ea deferre.

176

In tam trepidis rebus Q. *Cincinnatus* quamquam diu abnuens, dictator à Consule dictus est, qui deinde *Servilium Ahalam* magistrum equitum dixit. Postero die dispositis praesidiis quum in forum descendisset, conversa in eum plebs novitate rei ac miraculo erat, et *Maeliani* atque ipse dux eorum in se intentam vim tanti imperii cernebant. Expertes consiliorum regni, qui tumultus, quod bellum repens, aut dictatoriam majestatem aut *Quintum* post octogesimum annum rectorem reip. quaesisset, rogitabant. Missus ab dictatore *Servilius*, magister equitum, ad *Maelium*, vocat te, inquit, dictator. Quum pavidus ille, quid vellet, quaereret, *Servilius*que causam dicendam esse proponeret, crimenque à *Minucio* delatum ad Senatum diluendum, tunc *Maelius* recipere se in catervam suorum et primum circumspectans tergiversari; postremo quum apparitor duceret, ereptus à circumstantibus fugiensque fidem plebis romanae implorare et opprimi se consensu Patrum dicere, quod plebi benignè fecisset; orare, ut opem sibi in ultimo discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari sinerent. Haec eum vociferantem assecutus *Servilius* obtruncat, respersusque cruore obtruncati, stipatus catervà patriciorum juvenum, dictatori renunciat, vocatum ad eum *Maelium*, repulso apparitore, concitantem multitudinem, poenam meritam habere. Tum dictator, macte virtute, inquit, *Servili*, esto, liberata republica. Tumultuantem deinde multitudinem, incertà existimatione facti, ad concionem vocari jussit, et *Maelium* jure caesum pronunciavit. Post habitam orationem domum *Maelii*, ut area monumento esset oppressae nefariae spei, dirui extemplo jussit.

177

Legati *Christi* quamvis parum idonei praeclaro muneri suo viderentur, tamen iidem tales erant, quales esse ad exequendas officii sui partes et maximè oportebat et perutile erat. Vigebant illi aetatis flore, ut per multos annos fundamenta coetus christiani constituere, et, qui eam rem sequebantur, labores sustinere possent. Quantum vero interfuit, hos viros, qui *Jesum* tot editis miraculis insignem, cruci affixum et vitae redditum praesentes vidissent, fato non prius fungi, quam multos et omni

dubitatione liberatos sectatores instituissent, qui ipsorum operi succederent. Inter quae, si testes illos neci dedissent Judaei, profligata haud dubiè jacuisset formula christiana. Praeterea illi viri laborum, vigiliarum, tempestatum patientes, quorum plerique antea asperam vitae conditionem toleravissent, prae aliis idonei erant, qui doctrinam de restituta per Christum salute ad gentes quam maximè longinquas terrà marique nec morbis ex mutato coelo ciboque contractis perferrent. Erant iidem probi homines vitaeque innocentia conspicui, quibus ab omni fraude alienis nemo non judicii haud corrupti facilius fidem habere et poterat et debebat. Paupertas eorum et probitas valde erant favoris conciliandi, qui si nobili genere orti, aut accuratà doctrinà ornati fuissent, multi, ut ipsorum beneficio crescerent, eorum lateribus se adjunxissent. Nobiles eorum propinqui, servique et sectatores armis fuissent pro illis dimicaturi; alii vero argumentandi arte et facetae orationis lenocinio inescati haesissent; rebus autem ita comparatis, num tandem doctrina *Jesu* per se victrix animos hominum expugnasset?

178

Illud navale proelium, quo *Nelsonus*, praefectus classis, Francorum classiarios cum summo suo et Anglorum decore ad Alexandriam vicit, aeterno monumento est, quanto plus bello navali polleant Britanni. Pugnari ab occasu solis coeptum est incredibili animorum ardore et vi dimicantium. Quatuor omnino naves aliae ad Corcyram, aliae ad Melitam evaserunt. Reliquae undecim naves majoris modi et duae celoces à Britannis captae, aliae demersae, aliae concepto igne disjectae. Nostrà quidem memorià, ne fando quidem audita est similis clades, qua rei Gallorum maritimae gravissimum vulnus inflictum est, effectumque ut Britanni, modo omnibus portubus, quos habet mare mediterraneum, prohibiti nunc recuperatum haberent illius maris imperium. In hoc casu iis, qui pietati in Deum aliquid tribuunt, memorabile videtur id, quod de eo scriptum prodidit quidam Anglorum: cum maxime praefectus classis omnesque ductores operam darent, ut damna navium resarcirentur et captae naves in potestate essent, tamen vir ille magnus et probus non praetermittendum ratus, quin supremo Deo, qui rei pro patrià gerendae tantum momentum

dedisset gratum animum profiteretur, hanc brevem epistolam dedit ad duces: Postquam victricia esse regis arma benigne voluit Deus, omnium rerum arbiter, ego praefectus classis decrevi, supplicationem hodie horà secundà habendam, idemque ut omnes classiarii quam primum faciant, hortor. Ac statuto tempore super tabulato navis praetoriae Deo publicè honores habiti et pariter à ceterorum navium hominibus. Hoc spectaculum publicè gratias agentium Deo videbatur complurium à nobis captorum ductorum pariter ac militum animos vehementer adficere. Erant ex istis, qui prae se ferrent, non esse mirandum, quod apud nos ea vigeret disciplina qui secundum victoriam tam nobilem, cum omnia perturbata crederes, ad eam pietatem declarandam nostros exhortaremur.

179

Etsi eundem tenorem constanter servat natura, sibique constanter succedunt anni tempora, hiemi ver, veri aestas, aestati auctumnus; tamen accidit interdum, ut mirum discrimen intercedat inter diuturnitatem vel initium et finem istorum quatuor temporum. Quam solito longius hujus anni hiemalis asperitas prolata adventantem veris amoeni talem retardavit, et quasi in latebris opperiri coëgit! Quanto tardius quam aliis annis parturiens tellus viride gramen floresque et herbas progenuit! Quot dierum intervalla à prima spe veris morata sunt arbores pomiferas, quo minus gemmas enodarent et ramos fronde convestirent! Neque tamen unquam spem fallit natura. Hiemis frigori et asperitati nunquam non succedit redeuntis veris suavitas. Haec ut interdum diutius et magis anxio metu, ita nunquam irrita spe exspectatur. Deus, qui infinità potestate et benignitate, quicquid rerum est, fecit, etsi interdum pro suà sapientià aliquid praeter consuetudinem fieri sinit, et nos diutius, quam optabamus et solebat contingere, quoad benigne nobis faceret, exspectare voluit, tamen ab eà, quam pro animantium salute in terris fecit, ratione ac lege nunquam deflectit. Pari ratione Deus res humanas gubernat et casus hominum regit. Non interrupto consilio res Deus facit efficaces ad magnam et sempiternam hominum salutem, quam illis per filium dare constituit et quà suam majestatem vult in illis ostendere. At saepe tantarum rerum spem subducit oculis caligo; saepe pro salute promissa undique imminere videtur pestis et cala-

mitas; sperantibus laetiora undique occurrunt incerta et dubia; neque tamen exspectationem fallunt, quae Deus constans et verax promisit. Tandem vero illa eveniunt, quo facto omnes, qui aequis animis confisi sunt Deo, palam dictitabunt:

Mira fecit nostrà causà Deus!

180

Patres bello persequendos Tusculanos censuerunt. Hi pace constanti vim Romanorum arcuerunt, quam armis non poterant. Intrantibus in fines Romanis, non demi gratum ex propinquis itineri locis, non cultus agrorum intermissus; patentibus portis urbis togati obviam frequentes imperatoribus processére; commeatus exercitui comiter in castra ex urbe et ex agris devehitur. *Camillus*, castris ante portas positis, eademne forma pacis, quae in agris ostentaretur, etiam intra moenia esset, scire cupiens, ingressus urbem, ubi patentes januas et tabernis apertis proposita omnia in medio vidit, intentosque opifices suo quemque operi, et ludos literarum strepere discentium vocibus, ac repletas semitas, inter vulgus aliud puerorum et mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum causae ferrent; nihil usquam non pavidis modo, sed ne mirantibus quidem simile: circumspiciebat omnia, inquirens oculis, ubinam bellum fuisset; adeo nec amotae rei usquam nec ablatae ad tempus vestigium ullum erat; sed ita omnia tranquilla constante pace, ut eo vix fama belli perlata videri posset. Victus igitur patientia hostium, senatum eorum vocari jussit, ibique professus est, solos adhuc Tusculanos vera arma, quibus ab ira Romanorum sua tutarentur, invenisse; irent Romam ad Senatum. Ibi illi tanto successu verba pro se fecerunt, ut pacem in praesentia, nec ita multo post civitatem etiam impetraverint.

181

Legati ab Ardea Romam venerunt, pro veterrima societate renovatoque foedere recenti auxilium prope eversae urbi implorantes. Frui namque pace optimo consilio cum populo Rom. servata, per intestina arma non

licuit, quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum quae fuére eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quaeque alia sunt ultima publicorum malorum. Virginem plebeji generis maxime formà notam petiére duo juvenes, alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipsi ejusdem corporis erant; nobilis alter nulla re praeterquam forma captus. Adjuvabant eum optimatium studia, per quae in domum quoque puellae certamen partium penetravit. Nobilis superior judicio matris esse, quae quam splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat; tutores in ea quoque re partium memores, ad suum tendere. Quum res peragi intra parietes nequisset, ventum in jus est. Postulatu audito matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum, sed vis potentior fuit; namque tutores inter suae partis homines de injuria decreti palam in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt, adversus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum injuria juvenem; fit proelium atrox. Pulsa plebs, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit. Urbem quoque omnis expertem ante certaminis, multitudine opificum ad spem praedae evocata, obsidere parat, nec ulla species cladesve belli abest; velut contacta civitate rabie duorum juvenum funestas nuptias ex occasu patriae petentium.

182

Nullum animantium genus largiente Deo benignissimo tanta rerum copia fruitur, quanta nos homines. Nos solos suaviter adficit cantus lusciniae; nobis ostentant decus suum prata, regalem cultum aves et papiliones, versicolorem ornatum flores, nobis adflant jucundos odores; in nostram potius spem nata maturescunt poma, eaque singula opportuno tempore, ut male nobiscum ageretur, si cerasa refrigerando sanguini apta in id tempus rejicerentur, quod prunis pruinâ obsitis est datum. Denique omnis pulchritudo, consensusque partium et rerum inter se aptarum convenientia solum movet hominem; tam excelsarum rerum fructus ad pecudes nihil pertinet. Quae quanquam ita se habent, tamen non possumus non fateri, nos simul esse solos animantium, qui rerum, quascunque natura gignit, magna parte ad

usum vitae cultumqne egeamus. Nos ferri materiam prius ex terrae visceribus elicere oportet, vitae adeuntes discrimen, quam tellurem duram aratro proscindimus. Nobis aër et terra, aqua et ignis, facile exitio sunt, nos solos, dum vivimus, adfligit mortis imminentis cogitatio. Pecudes autem videntur non esse ejusmodi, quae suam aliarumque rerum futuram conditionem cogitent. Eas, quid opus sit naturae, praesens sensus admonet, quemadmodum illud consequantur, insita monet solertia. Id libenter faciunt, quod opus est, eo potiuntur, idque laetis aequisque animis percipiunt. Neque crastina dies subit animos, neque venturà anguntur fortunà. Mors quoque nec prospicientes, nec dolorem ex ea capientes opprimit.

183

Fuit *Papirius* Cursor vir haud dubiè dignus omni bellica laude, non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit, victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt, et, seu virium vi seu exercitatione multa, cibi vinique eundem capacissimum, nec cum ullo asperiorem fuisse militiam pediti pariter equitique. Equites etiam aliquando ausi ab eo petere, ut sibi pro re benè gesta laxaret aliquid laboris, quibus ille, ne nihil remissum dicatis, remitto, inquit, ne utique dorsum demulceatis, quum ex equis descendetis. Vis erat in eo viro imperii ingens, pariter in socios civesque. Praenestinus Praetor per timorem segnius ex subsidiis suos duxèrat in primam aciem. Quem quum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securim jussit. Ad quam vocem exanimi stante Praenestino, agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus, perfusumque ultimi supplicii metu multà dictà dimisit. Haud dubiè illà aetate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana staret. Quin eum Romani parem destinabant animis Magno *Alexandro* ducem, si arma, Asià perdomità, in Europam vertisset. Odio illius quondam à militibus cessatum est de industrià et impedita victoria. Sensit peritus dux, quae res victoriae obstaret; temperandum suum ingenium esse et severitatem miscendam comitati. Itaque adhibitis legatis ipse circum saucios

milites, inserens in tentoria caput, singulos ut sese haberent, rogitans, curam eorum nominatim legatis tribunisque demandabat. Rem per se popularem ita dexter egit, ut medendis corporibus animi militum multo prius imperatori reconciliarentur, nec quicquam ad salubritatem efficacius fuerit, quam quod grato animo ea cura accepta est.

184

Si vetustas ab ultimis temporibus repetita et perpetuitas nullo aevo interrupta aliquid momenti habent ad auctoritatem religioni cuidam conciliandam, profecto ea, quam nos profitemur, librorum sacrorum auctoritate nixam, ceteris omnibus, quascunque colunt homines, istà excellentià praestat. Illi quidem, de quibus modo diximus, libri sacri, quibus non antiquiorem librum exstare, nemo dubitaverit, omnia à prima rerum origine repetunt, et prope incunabula mundi, de quibus temporibus humani ingenii scriptores nihil nisi ineptas fabulas, aut, si praeclarè agitur, abruptas rerum gestarum particulas adferunt, illi casus maximè memorabiles temporum ordinem diligentissimè servando enarrant, omnia ad Deum, omnium rerum conditorem, revocantes. Iidem originem rerum generatim, orbis autem et hominis, qui ratione eum subigit, originem singulatim et accuratius nobis exponunt. Ii nobis commemorant, quam beata fuerit ejus prima conditio, quid sit, quod laboribus et aerumnis premi coeperit, unde vulgata sit per hominum genus morum labes, quae deinde orbem latè oppresserit aquarum diluvies. Postremo ii libri de artium gentiumque ortu pariter atque de aliis insignibus rerum vicibus et momentis nos edocent, de quibus dici non potest, quam perplexè referant, qui humano scripsêre ingenio. Igitur ex hoc libro scientiam haurimus ejus religionis, quae à principio rerum ita integra quoad partes ad ipsius indolem maximè necessarias adhuc stetit, ut neque fictorum Deorum cultores neque vulgus impium, undique illam assiduis ictibus feriendo, neque crudeles gentium domini eam premendo neque perfidi, turpiter eam deserendo, neque indigni sectatores, flagitiis eam polluendo, nec denique vetustas, quae omnia hominum opera per se consuevit profligare, ad hanc usquè memoriam valuerint eam vitiare, ne dicam, terris exterminare.

185

Lucius Aemilius in bellum adversus Macedonum regem jam iturus, orationem habuit in concione, in qua hae sententiae produntur, quae nostra etiam aetate à quodam hominum genere aestimandarum rerum cupidissimo sint ad animum revocandae. Ait ille: Vos, quae scripsero Senatui aut vobis, credite; rumores credulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo exstabit. Nam nemo tam famae contemtor est, cujus non debilitari animus possit. In omnibus circulis atque etiam conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant; qui, ubi castra locanda sint, sciant, quae loca praesidiis occupanda; quando aut quo saltu intranda Macedonia, ubi horrea ponenda, qua terra, quo mari subvehantur commeatus, quando cum hoste manus conserendae, quando quiescendum sit. Nec, quid melius faciendum sit, modo statuunt; sed si quid aliter, quam ipsi censuére, factum est, consulem velut dicta die accusant. Haec magna impedimenta res gerentibus sunt. Nec enim omnes tam firmi et constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quam *Fabius* fuit. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse; imo eum, qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum judico magis quam sapientem. Quid ergo est? Primum à prudentibus et propriè rei militaris peritis et usu doctis monendi imperatores sunt, deinde ab his, qui intersunt gerendis rebus, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui, quod è republica sit, suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat, ne deneget operam reip. et in Macedoniam mecum veniat; nave, equo, tabernaculo, viatico etiam à me juvabitur. Si quem id facere piget, et otium urbanum militiae laboribus praeoptat; è terra ne gubernaverit. Sermonum satis ipsa praebet urbs; loquacitatem suam contineat; nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat.

186

Transgressus Anienem *Annibal* in aciem omnes copias eduxit, nec consules certamen detrectavére. Instructis utrimque exercitibus in ejus pugnae casum, in qua urbs Roma victori praemium esset, imber ingens grandine

mistus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore quam hostium metu. Postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. Ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Poenos versa est, auditaque vox *Annibalis* fertur: potiundae sibi urbis Romae modo mentem non dari, modo non fortunam. Minuére etiam spem ejus et aliae, parva magnaque, res: magna illa, quod, quum ipse ad moenia urbis Romae armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniae profectos audivit; parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse, nihil ob id deminuto pretio, cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romae emtorem, ut extemplo vocato praecone tabernas argentarias, quae circa forum Rom. tunc essent, jusserit venire. His motus castra retulit, sex millia passuum ab urbe; inde ad templum pergit ire eà tempestate inclutum divitiis. Id omnibus donis spoliatum; aeris acervi, quum rudera milites religione inducti jacerent, post profectionem *Annibalis* magni inventi.

187

Illa aetas ab omni humanitatis cultu aliena, quà propemodum jacebat legum magistratuumque auctoritas, vanum simul et infelicem errorem genuit, nobili hominem genere, quem ex suo corpore aliquis injuria aut contumelia adfecisset, non ita immemorem sui esse debere, ut magistratuum vindictam aut satisfactionem imploret, eique potius licere, armis illum ultro petere. Sic orta certamina singularia, manifesta veteris immanitatis feritatisque legum contemtricis vestigia. At nunquam gentes humanitate et ingenio maximè cultae, inprimis Graeci et Romani, qui incorrupto judicio plurimum tribuebant existimationi, fortitudini et partae egregiè factis nobilitati, indignum et turpe viro forti existimaverunt, si injuriam à quoquam acceperit, ad legum tutelam decurrere; quibus ut certissimis publicae incolumitatis disciplinaeque et fortunae custodibus, utique omnes, ne principe quidem excepto, obnoxii sunt; eoque magis dignum esse, et nobilitatis suae argumentum, omissa legum, magistratuum-

que verecundia, ab eo, qui injuriam intulerit poenas ultro sumere, suam simul vitam discrimini pugnae objicientem. Qui autem error singularia certamina apud Europae populos instituit, is non poterat oriri nisi apud eas gentes et inter ea secula, quae artem digladiandi in summa et prope una laude ponebant.

188

Poeni à *Scipione* victi, et capto *Syphace*, in quo plurimum spei reposuerant, eo erant redacti, ut pacem petendam censerent, et nullas conditiones recusandas. Per eosdem dies Romam allatum est, *Annibalem* Italia excessisse, revocatum à civibus, et in Africam trajecisse. Haec etsi laeta nunciabantur, laetitia Romae non ut assolebat, in supplicationes Deorum versa videtur fuisse. Nam mentio à senioribus Patrum facta est: segnius homines bona quam mala sentire. Transitu *Annibalis* in Italiam sese meminisse, quantum terroris pavorisque, quae deinde clades, qui luctus inciderint. Visa castra hostium è muris urbis; quae vota singulorum universorumque fuisse! Quoties in conciliis voces, manus ad coelum porrigentium, auditas! An unquam ille dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent? Dedisse tandem id Deos sexto decimo demum anno; nec esse, qui Diis grates agendas censeant. Adeo ne advenientem quidem gratiam homines benignè accipere; nedum ut praeteritae satis memores sint. Conclamatum deinde ex omni parte Curiae est, uti referret *Aelius* praetor, decretumque ut quinque dies circa omnia pulvinaria supplicaretur victimaeque majores immolarentur centum viginti.

189

Bellum illud per triginta annos tractum aliquoties centena millia hominum sanguinis Germanici absumsit, ferro, incendio, fame et omni calamitatum genere peremtorum. Ingentes tractus ita vasti relinquebantur, ut nihil culti agri, nusquam pagos et per oppida vix aliquid incolarum vidisses. Necdum Germani omnino satis didicerant, quae humanitati debentur officia, etiam in bello vereri. Duces interdum eas regiones, unde commeatum militibus petere debebant, foedissima clade vastabant.

Incendio et caede saeviebant, nemine vim repellente, ira utique in hostilem agrum incensi. Ad haec cum, in Germanici nominis ignominiam, intra ipsorum fines multa millia peregrinorum militum utrinque hoc bellum maximè persequerentur, et simul Germanos Germanis bellum inferentes ducerent, non aliam ob causam, quam quod his inter se de jure sacrorum et civili non convenisset, facile id consecuturis, ut omnes peregrinas copias suis finibus arcerent; non quidem mirandum erat, quod peregrini nequaquam parcerent Germaniae. Accedebat odium ex dispari sacrorum formula incensum, quo imbuti mortales non dubitant, quaevis indigna et contumeliosa in eos statuere, quos à sincera formula arbitrantur abhorrere. Major pars Germanorum opinabantur, se pro aris dimicare; sed sensim magis ob id dimicabatur, utrorum opes augendae, utrorumve minuendae sint.

190

Aerumnis, quibus obsessi à *Marcello* Syracusani premebantur, accessit et pestilentia, commune bello malum. Tempore auctumni et locis natura gravibus, multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, intoleranda vi aestus per utraque castra omnium fermè corpora movit. Primo temporis ac loci vitio et aegri erant et moriebantur; postea curatio ipsa et contactus aegrorum vulgabat morbos, ut aut neglecti desertique qui incidissent, morerentur, aut adsidentes curantesque, eadem vi morbi repletos secum traherent; quotidianaque funera et mors ob oculos esset, et undique dies noctesque ploratus audirentur. Postremo ita assuetudine mali efferaverunt animos, ut non modo lacrymis justoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent, jacerentque strata exanima corpora in conspectu similem mortem expectantium; mortuique aegros, aegri validos cum metu tum tabe, ac pestifero odore corporum conficerent, et ut ferro potius morerentur, quidam invadebant soli hostium stationes. Multo tamen major vis pestis Poenorum castra quam Romana adfecerat. Ex hostium exercitu Siculi ut primum vidére ex gravitate loci vulgari morbos, in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt. At Carthaginenses, quibus nusquam receptus erat, cum ducibus ad internecionem omnes periérunt. *Marcellus*,

ut tanta vis ingruebat mali, traduxerat in urbem suos; multi tamen ex Rom. exercitu eadem peste absumti sunt.

191

Qui sapientiae vacant, soli vivunt; nec enim suam tantum aetatem benè tuentur, omne aevum suo adjiciunt. Illi clarissimi sacrarum opinionum conditores nobis nati sunt, nobis vitam praeparaverunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas, alieno labore deducimur, nullo nobis seculo interdictum est. Disputare cum *Socrate* licet, dubitare cum *Carneade*, cum *Epicuro* quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere. Quidni in illa nos toto demus animo, quae cum melioribus sunt communia? Illos antistites bonarum artium velimus nobis esse quam familiarissimos; nemo non venientem ad se beatiorem amantioremque sui dimittet; nocte conveniri et interdiu ab omnibus mortalibus possunt. Feres ex his, quidquid voles. Quae illum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit! Habebit, cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se quotidie consulat, à quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes, forte nobis datos; nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet, nobilissimorum ingeniorum familiae sunt. Elige, in quam adscisci velis, non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona, quae non erunt sordidè nec malignè custodienda.

192

Plinius minor unum ex familiaribus, cum in provinciam Achajam mitteretur, datà epistolà haec monuit: cogita, te missum in veram Graeciam, in qua primum humanitas, literae, etiam fruges inventae esse creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est, ad homines maximè homines, ad liberos maximê liberos, qui jus à natura datum virtute, meritis, foedere et religione tenuerunt. Reverere conditores Deos; reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus Sacra. Sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque; nihil

ex cujusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil ex jactatione decerpseris. Habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis miserit jura; Athenas esse, quas adeas; Lacedaemonem esse, quam regas; quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere, durum, ferum barbarumque est. Vides à medicis, quanquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Recordare, quid quaeque civitas fuerit; non ut despicias, quod esse desierit. Absit superbia, asperitas, nec timueris contemtum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet, nisi humilis et sordidus et qui se primus ipse contemnit? Malè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur; malè terrore veneratio acquiritur; longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor. Nam timor abit, si recedas, manet amor; ac sic ut ille in odium, hic in reverentiam vertitur.

193

Videamus, quid sit exilium! Nempe loci commutatio est. Angustare videor vim ejus et quicquid pessimum in se habet, subtrahere. Hanc commutationem loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemtus. Adversus ista postea confligam. Interim primum illud intueri volo, quid acerbi afferat ipsa loci commutatio. Carere patria, intolerabile est. Adspice hanc frequentiam, cui vix urbis immensa tecta sufficiunt; maxima pars illius turbae patrià caret; ex municipiis et coloniis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adduxit ambitio, alios necessitas officii publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum et opportunum vitiis locum quaerens, alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula. Quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendae virtuti nacta materiam; quidam venalem formam suam attulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem, et virtutibus et vitiis magna pretia ponentem. Jube omnes istos ad nomen citari, et unde domo quisque sit, quaere. Videbis majorem partem esse, quae relictis sedibus suis venerit in maximam et pulcherrimam urbem. Invenio qui dicant, inesse naturalem quandam animis irritationem, commutandi sedes et transferendi domicilia. Mobilis enim et inquieta mens homini data est. Nunquam se

tenet, spargitur, et cogitationes suas in omnia nota et ignota dimittit, vaga et quietis impatiens novitate rerum laetissima.

194

Proximè quum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius praetextatus. Huic ego, studes? inquam. Respondit: Etiam. Ubi? Mediolani. Cur non hic? Et pater ejus, erat enim unà, quia nullos hic praeceptores habemus. Quare nullos? Nam vehementer intererat vestra, qui patres estis, liberos vestros hic potissimum discere? Ubi enim aut jucundius morarentur quam in patria, aut pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? aut minore sumtu, quam domi? Quantulum est ergo, collatà pecunià conducere praeceptores? Quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quae peregrè emuntur, impenditis, adjicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro rep. nostra quasi pro filia vel parente tertiam partem ejus, quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, ut accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publicè conducuntur. Huic vitio uno remedio occurri potest, si parentibus solis jus conducendi relinquatur, iisdemque religio rectè judicandi necessitate collationis addatur. Proinde consentite, conspirate! nihil honestius praestare liberis vestris, nihil gratius patriae potestis. Educentur hic, qui hic nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare consuescant. Atque utinam tam claros praeceptores inducatis, ut finitimis oppidis studia hinc petantur; utque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant!

195

Catonem constat, ne in potestate esset *Caesaris*, Uticae, postquam sermonem *Platonis* de immortalitate animi legisset, mortem sibi ipsum conscivisse. Sapientissimi Romanorum arbitrabantur honestum esse, semet vita privare, si non liceret ulterius vivere, sua dignitate et libertate fruentem; si ejusmodi calamitosa tempora inciderent, quibus legum virtutumque auctoritas propemodum jaceret neque ulla spes ostenderetur, eas restituendi. Talis opinio

etiam nunc multos decipit. Ubi non omnia ex sententia fluunt et res videntur desperatae, illico morte ex vita auferri quam illa frui malunt; acti vero quodam furore semet interimunt. Facile est intellectu, illud amentiae esse, atque etiam ingratae impietatis. Hac anima cum non per nos fruamur, nec licet nostro arbitrio in illam consulere, sed, quoad Deo visum fuerit, eam debemus conservare. Nec magis aequum est nos ab eo postulare, ut nullum casum acerbum nobis evenire jubeat. Ille vero longe plura bona quam mala nobis sinit accidere. Denique falso opinantur, ea se conditione esse, in qua nec sibi nec aliis prosint; nam facultas, in medium conferendi suas utilitates, cum anima demum tollitur. Dolemus vicem *Catonis*, qui, de Deo et suis officiis minus recta sentire doctus, quam homo Christianus, patriae suae se eripuerit, cui etiam oppressae valde usui esse potuisset.

196

Paucis abhinc diebus efferri vidimus feminam, quae ad centum annos et unum perduxit aetatem. Quam multos stultorum censetis hoc audito secum cogitasse vel etiam verbis declarasse: o longam aetatem! tam diu vivere, optabile est! O fortunatam mulierem, cui tam diu in terris esse licuerit! Fortunatam vero mulierem, quae non solum ad aetatem, quae paucissimis contingit, pervenerit, sed, quod majus est, idem quod *Cyrus* apud *Xenophontem*, gloriari potuerit, se nunquam sensisse, senectutem suam imbecilliorem factam, et ad extremum tempus animi facultates maximè necessarias tenuerit. Ejus finis vivendi erat is, qui *Ciceroni* videtur optimus, cum integris sensibus opus suum natura ipsa dissolvit. Non erat, quod mortem optaret, nec quod eam timeret. Ob id maximè beata mulier existimanda est. Stultis quidem et impiis ne centum quidem anni sufficiunt, qui etiam tum inviti ex hac vita discessuri essent, ultra quam nihil videbant, quod desiderarent. Qui si diu vivendo multa, quae nollent, viderent, tamen vitam talem morti longè anteponerent. Etiam centesimum agentes annum mors deprehenderet imparatos. Habet nostra aetas libros, qui de vitá proferenda praecipiunt. Modo ne ista praecepta abstinere iis rebus juberent, quas etiam vivendi amor aegre praetermittit. Tum ejusmodi libri essent stultis gratiores,

quam quaelibet praecepta, sapienter honestéque vivendi, et quo sapientes decet, aequoque animo moriendi.* At quis non veneratur morientem tali senectute, qui à statione tam libens discedit, quam miles stando fessus? Haec est invidenda felicitas, potius, quam longa aetas, quovis pretio redimenda.

197

Pythagoras, à quodam Principe interrogatus, quam artem sciret, unde pecuniam faceret, nullam, inquit. Alii vendunt, alii emunt; ego vero nihil aliud, quam philosophiae operam do, sive spectator sum rerum, quae in mundo fiunt. Nec vero ille innuebat spectatorem otiosum, sed eum, qui, dum major pars hominum potius studeret pecuniae, bonis et deliciis, acute inquirendo omnia, mentem suam magis instrueret, in dies plus sapientiae compararet, easque res animo reconditas ad usum aliorum libens impertiret. Atque hoc per illum se consecutos multi profitebantur, qui unum illum secuti erant ducem. Nam illis non solum variarum rerum scientiam impertivit, sed eosdem tales effecit, qui emendatis moribus aliorum gratiam mererent. Omnino ille jure arbitrabatur, ad eruditionis laudem non tantum pertinere, ut plurimas res egregias scias et intelligas sed etiam animo, moribus et vita longe antecedas alios homines. Ideo eorum animos diligenter explorabat, qui ejus doctrina uti se velle profitebantur, num iidem spem praeberent patientiae constantiaeque, animique ad verum propensi et continentiae. Oportebat eos, qui audiebant, non modo frugalitati valde studere, sed etiam aliquandiu silentium coram ipso tenere, ut discerent, adolescentes coram viris sapientibus admodum raro loqui, et nihil aliud quam auscultare oportere, qui paucissimarum rerum essent gnari. Summum arbitrabatur philosopho quaerendum esse illud, ut in dies propius accederet ad similitudinem Dei. Caeterum censebat, nequaquam quemlibet mortalium dignum esse, qui, quae maxime sublimia tradantur de Deo et hominibus, cognosceret. Ille multiplici doctrina instructus, tamen verecundiam tenuit, ideoque nomine philosophi repudiato professus est, hoc nomen arrogantius sumi ab homine, cum nemo sit tam sapiens, quin admodum laboret erroribus ac vitiis.

198

Arva hoc anno tantà copià, tamque solidum frumentum reddiderunt, ut similem agrorum ubertatem vix fando audiverimus, et patria nostra de alendis et suis incolis, et tam multis, quos bellum adduxit, exterarum gentium militibus angi non debeat. Quo major à nobis gratia habenda est Deo, sapienter providenti, cujus sine cura de iis, quae ad victum necessaria sunt, miserrimè timere nos oportuisset. Vinearum quoque, quas hiemis supra modum inclementis clades non adflixit, uberioris vindemiae spem ostendunt, si uvas, quae relictae sunt, ad maturitatem perduxerit coeli clementia. Ceterae, quas terra gignet, fruges laeto arrident incremento, satis magnae copiae spem praebentes. Jam arbores ramis pondere pomorum prope ad humum curvatis, speciem ostendunt laetissimam. Omnia circa nos spem conceptam vel impleverunt, vel etiam superàrunt. Nostrum quoque agrum erunt qui propediem visant, quos hoc anno fructus reddiderit. Quid est, quod sperent, qui illum favente Deo coluerunt? An aequè benignam messem, aequè liberalem operae mercedem? Nostri quidem soli ea natura est, cui nec hiemis asperitas, nec adversa tempestas officiat. Videte, ne vos in culpa sitis, si auctae doctrinae vestrae expectatio, et eorum qui docent, desiderium et eorum, qui praesunt, spem fefellerit.

199

Ante biennium publica liberorum institutio quam maxime erat confusa et incondita. Adolescentes, sui juris, nullo rectore, sive ea utentes doctrina, quae esset reip. pestifera, densissima caligine inscitiae pravarumque opinionum et erroris mersi agebant; fanaticorum modo studiis vigentibus, qui diluculum exorientis philosophiae taciti speculabantur, in aeternum eam extincturi. Vos prope extinctam facem iterum accendistis. Vos lumen veri passim fudistis. Lumen philosophiae undique sparsum simul omnes partes reip. circumfulsit; egregiae aemulationis ardor omnium animos inflammavit; ubique tanquam è somno excitantur adolescentes; avidissimi literarum, postquam adeo rudes et indoctos esse puduit, nihil potius sibi opus esse intelligunt, quam ut animum excolant

doctrina. Id quidem necesse erat effici sublato regno et reddita juris aequabilitate. Jam non ut olim locupletibus splendorem conciliat pecuniae profusio; tenuiores autem, si doctrina et probitate sint ornati, non est, quod poeniteat tenuis fortunae; jam non vana specie excellentiae conspiciuntur homines; ubi imperium penes populum est, ibi non per manus traditur gloria. Ibi tantum tribuitur homini, quantum debetur; ex editis à se operibus aestimatur, et publicum honorem sola virtus jure postulat.

200

Verba nos deficiunt acturos gratias Deo, qui cumulatissimè nobis dat beneficia, victumque suppeditat, quod adeo insignem ubertate annum nobis dedit. Nec pecudibus nostris deest pingue et salubre gramen, et in hiemem parata est aridi pabuli copia. Juvabat cernere segetes nostras flavum trahentes colorem, pinguibus et solidis spicis uberrimae messis spem ostendentibus, messoresque jam falcem immittentes, mox graves manipulos colligatos, convectisque omnia horrea distenta. Cetera quoque genera alimentorum, quibus agri hortique conseruntur, maximam partem laetum edidére proventum. Vitem etsi valde adfecit hiemis inclementia et vis frigoris fando vix audita, tamen supersunt regiones, quarum incolae, si tempestas non fuerit adversa, satis magnam copiam vini non fastidiendi sperant se percepturos. Musti autem uvis expressi quod deficit, id pomi, quas habemus innumeras, ramis pomorum pondere depressis, facile expleant.

201

Bestiarum quamvis ingens sit numerus et mira varietas, tamen singula genera paratam habent cibi naturae ipsarum accommodati copiam. Earum major pars plantis vescitur et frugibus. Natura, quo major sit ex varietate fruendi voluptas, non tantum bona et jucunda gustatu specieque amoena sua munera nobis suppeditat, sed miro distincta discrimine. Illa fruges non simul ad maturitatem perducit, ne tumultuaria opus sit perceptione; earumque maxima pars ejusmodi est, ut in usus futuros possint reponi. Mirabili ratione evenit, ut, quanquam variantibus tempestatem annis omnibus, tamen nullus annus non

tantum habeat proventum, quantus alendo hominum et pecudum generi suppetat. Quo magis intelligimus quid ab auctore rerum provisum sit, ad ortum et incrementum, ad eas nutriendas, maturandas, arcendum ab iis frigus aestumque, ad eas propagandas augendasque, quamque mira arte idem fecerit corpora bestiarum, ut cibos contingant, contactis vescantur, eosque concoquant; eò magis crescit nostra admiratio.

202

Olim multi Christianorum falsò opinati sunt, Turcarum omnium mores esse incultos et humanitatis expertes. Nos quidem saepe iniquus judicamus de iis populis, qui neque formulae Christianorum addicti neque satis cogniti et variis rumoribus tales perhibentur, ut etiam nomen terrori sit. Utique Turcarum principes proceresque et milites violentiae saevitiaeque quasi adsueverunt. Illi saepe olim filios, maximèque imperium ingressi omnes fratres suos, metu illorum suspicioso, ut tutior esset dominatio, supplicio dederunt. In bello et pace apud Turcas non raro caedes, nocentes pariter ac innoxios promiscuè traxit. Sed plerique Asiae populi olim non tanti fecerunt animam, quanti illam nos meliora de Deo sentire edocti faciendam putamus. Nec parvi momenti est illud, quod Turcarum princeps quodam modo in sua potestate habet corpora bonaque et vitam eorum, quibus imperat. Veruntamen non pauci reperiuntur Turcae miti et liberali ingenio. Fuére quoque ex eorum principibus, qui non tantum cruenta caede gentes subigerent, sed multi, qui sapienter regerent imperium, bonasque leges conderent et literarum cultui faverent.

203

Hodie efferetur juvenis, cujus probi parentes vix admittunt solatium. Ille cum à puero pulcherrimam sui spem fecisset essetque deliciae patris, decus matris, parantem exteras gentes adire ad artem magìs perficiendam, viginti annos natum mors rebus humanis eripuit. Audite, quae matri, egregio filio orbatae, solatia adhibuerit *Seneca*. Quereris, *Martia*, non tam diu vixisse filium tuum, quam potuisset. Unde scis, an diutius illi expedierit, annon

potius illi hac morte consultum sit? Quem invenire potes, cujus res tam bene positae sint, ut nihil illi procedente tempore timendum sit? Labuntur humana ac fluunt. Nulla pars vitae nostrae tam obnoxia est, quam quae maxime placet. Ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum nihil, nisi quod praeteriit, certum est. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filii tui corpus in summa custodia pudorem inter luxuriosae urbis oculos conservaturum? Cogita animi mille labes. Non semper recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem protulerunt. Quicquid ad summum venit, ad exitum prope est. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus. Ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur. Si virtutibus illum, non annis aestimaveris, satis diu vixit. Imago duntaxat filii tui periit, non simul animus ipse, qui quidem aeternus meliorisque nunc status est. Non est, quod ad sepulchrum filii tui curras; istic jacent ossa cineresque, non magis illius partes quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit.

204

Desiderat aetas nostra in plerisque hominum fidem in faciendo, quod cuique mandatum est; qua virtute olim res maximae et honestissimae tam pro rep. quam pro singulorum salute gerebantur. Qua re alia eam, quam nunc quoque cum stupore admiramur, amplitudinem Romana civitas et peperit et conservavit, nisi ducum et magistratuum tanta fide in remp. cujus causa quaevis alia commoda ac vitam quoque perdere se debere arbitrabantur? Quid autem duces et magistratus utile ac praeclarum gerant, nisi ii, quibus praesunt, omnia imperata suo quisque loco, summà fide exequantur? Quam multos dominos morti eripuit fides servorum? Quam multi imperantium sola fide populi suum obtinuere imperium? Qui pueros susceperunt erudiendos educandosque, hos inprimis pia fide fungi suo munere necesse est, eoque magis, quo majorem trahit perniciem eorum improbitas. Talis autem fides neque excitatur pretio neque alitur; eà nemo quisquam uti potest nisi qui animo ad Deum erecto omnia consilia ad officii sui partes referat. O fortunatos pueros, quos doceant educentque memores officii viri! magis etiam fortunatos, si cum fide in fungendis

officiis tempusque collocare et adhibere vires illorum exemplo didicerint! Quod utinam vos quoque eorum exemplo virorum discatis, quos suum munus cernitis cum pia fide exequi! In tanta paucitate talium hominum vos tales quondam libenter agnoscet patria.

Sancta fides aevo res intermortua nostro
 Pollutam vitiis paene reliquit humum.
Rarior haec virtus in multo pectore friget;
 Torpet in officio languida cura pio.
Magnarum tamen est genitrix pulcherrima rerum,
 Et pia facta jubet sancta patrare fides.
Quid fuit, ut totum septem de montibus orbem
 Flecteret imperio Roma superba suo?
Nempe tulit claros fida pietate *Camillos*
 Et *Cincinnati* jura dedere boni.
Quot dominos texit servorum cura fidelis
 Arcens à meritis tela parata neci?
Quam multus princeps solio bene sedit avito,
 Dum mansit populis intemerata fides?

205

Cum videris, bonos viros acceptosque Deo laborare et sudare, malos autem voluptatibus fluere, cogita illos disciplina tristiori contineri. Bonum virum, quem in deliciis habet Deus, experitur, indurat, sibi praeparat. Bonus vir omnia adversa exercitationes putat. Quis autem vir, modo erectus ad honesta, non est justi laboris appetens? Cui non industrio otium poena est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere. Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantumque polleat, cum, quid possit patientia, ostendit. Idem bonis viris est faciendum, ut dura ac difficilia non formident, nec de fato querantur. Quicquid accidit, boni consulant. Non quid, sed quemadmodum feras, interest. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres utantur liberis? Illi exercitari jubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, sudoremque illis et interdum lacrymas excutiunt. At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam contristari, nunquam laborare. Paternum Deus habet adversus bonos viros animum et illos fortius amat; et operibus, doloribus

ac damnis exagitat, ut verum colligant robur. Miraris, si Deus bonorum amantissimus, qui illos quam optimos vult, fortunam illis, quà exerceantur, adsignat?

Cura bonos agitat durique aerumna laboris,
Contra deliciis improba turba fluit.
Ut solidum lentis spectatur in ignibus aurum,
Sic tentant fortem tempora dura virum.
Hos Deus in rigida solet exercere palaestra,
Hoc illi egregii pignus amoris habent.

206

Jus belli seu victoris non est aliud quam ejus, qui vincit viribus. Hoc quidem valebat ante institutas bonas leges et conditas civitates. Quod habebant, non erat cujusque suum, sed ejus, qui praestabat viribus. Eadem est ratio belli. Illa vox: vae victis! ut miserrima est auditu, ita non habent victi, quod obloquantur. Victa pars in potestate victoris est. Qui si animo est ad crudelitatem avaritiamque proclivi, nihil erit morae, quin ad diripiendas domos discurrere jubeat milites; sin humanitati aliquid tribuit, jurisque et aequi habet rationem, clementer idem utetur victoria. Neque vero semper penes ducem est, militum coërcere licentiam. Quae terra belli incendio ardet, ea calamitatibus, quae bellum sequuntur, vacare non potest. Non est quod queratur, hostilia ab hoste se passam. Quaedam esse belli jura, ait *Livius*, quae ut facere ita pati fas sit; sata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque agi; haec misera esse magis, quam indigna patienti. Quod victis victor relinquit, nisi pactis conditionibus venerint in deditionem, id accipiunt munus; anima etiam, quam relinquit, pro beneficio est habenda.

Hic, ubi victa jacent violento jura sub hoste,
Jus, quod victori tela dedere, valet.
Tum, quod habes, ne crede tuum; tum cede potenti
Et tua victori subjice colla jugo.
Omnia sunt hostis, pecus et stridentia plaustra
Et quas divitias incola pauper habet.
Praeda manus sequitur victrices aeris acervus;
Id quoque, quod spiras, non leve munus erit.

207

In tanta paucitate eorum hominum, qui mentem itâ habent perfectam, ut virtutem per se ament, et, quae recta sunt, nihil praemii sperantes faciant, id unum relinquitur, ut segnes ad facienda officia animi aut proposita mercede, aut certe spe praemiorum ad id, quod naturà facere debebant, stimulentur et impellantur. Qui enim stimuli acuunt vestrum laborem in addiscendis bonis artibus? An assidua cogitatio, eà conditione vos esse natos, ut ad hominum vitam suas quisque adferat utilitates? an istà, quae invitos trahit, literarum ipsarum gratia? Hoc à vestra quidem aetate quis speret? Nonne potius quisque vestrûm se vult laudatum aut donatum? Neque tamen vos soli ita sentitis, sed plerique mortalium aequè judicant. Qui non ita angusto animo est, ut arduam rem exequi jussus, statim et potissimum quaerat: quid inde feram pretii? qui nec pecunià movetur, is alia incensus cupidine percontatur, quam opere suscepto gloriam sit habiturus mercedem? Equidem nescio, utrum hoc industriae hortamentum in viribus ad hominum salutem conferendis multo sit honestius, quam illud. Sed illud nemo ignorat, sola pecuniae aut gloriae cupiditate incensos plerosque hominum vires suas intendere. Qui fons etsi minime sincerus est, tamen multa salubria ex eo in hominum vitam emanant. Dum erunt homines, illi, quamvis valde annitentibus philosophis, duobus istis studiis obsequentes ad exercendas et corporis et animi vires impellentur.

Rarus homo bonus est rectique fidelis amator,
 Virtutem pretium quod putat esse sui.
Languet pectus iners ad gnavae munera vitae
 Et facit, ut jussus pes quoque tardus eat.
Quid stimulos addet pigris, ne currere cessent?
 Tam lentos animos praemia sola movent.

208

Quae tu vocas aspera, quae adversa, haec sunt pro ipsis, quibus accidunt. Pro ipsis est, inquis, in exilium projici, in egestatem deduci, liberos, conjugem efferre, ignominia adfici, debilitari? Si miraris, hoc pro aliquo

esse, miraberis, quosdam ferro et igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et laedi venas, et quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant, hoc utique patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt.

Demetrius ajebat: nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam aliquid evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri, ubi ex voto illi fluxerunt omnia. Fortuna contumacissimum quemque adgreditur, adversus quem suam vim intendat. Ignem experitur in *Mutio*, paupertatem in *Fabricio*, exilium in *Rutilio*, tormenta in *Regulo*, venenum in *Socrate*. Infelix est *Mutius*, quod dextra ignes hostium premit? quod regem, quem armata manu non potuit, exusta fugat? Infelix est *Fabricius*, quod rus suum, quantum à rep. vacavit, fodit? quod bellum tam cum *Pyrrho*, quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas radices, quas triumphalis senex evulsit? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum longinqui litoris pisces et peregrina aucupia congereret? Infelix est *Rutilius*, quod, qui illum damnaverunt, causam dicent omnibus seculis? quod *Sullae* dictatori solus aliquid negavit, et revocatus longius fugit?

209

Magnus es vir; sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? Miserum te judico, quod non fuisti miser; opus est ad notitiam sui experimento; quid quisque possit, nisi tentando non didicit. Militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem meliore casu sanguinem ostentant. Iis Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Unde possum scire, quantum adversus paupertatem animi tibi sit, si divitiis diffluis? Unde possum scire, quantum adversus ignominiam et infamiam odiumque populare constantiae habeas, si inter plausus senescis? Unde scio, quam aequo animo laturus sis orbitatem filiorum, si, quoscunque sustulisti, vides? Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt. Quicquid illis inciderit, novum veniet. Grave est, non assuetis ferre cervicibus jugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit,

audacter veteranus cruorem suum spectat. Hos Deus, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem, quibus parcere videtur, venturis malis servat. Erratis enim si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio.

210

Zeno, celeberrimus philosophus erat Agrigenti, quo tempore hanc urbem dominatu premebat *Phalaris*. Hanc immanem belluam ut domaret, quidquid in philosophia esset opis, vano conatu expertus, honestum et anceps consilium, quo illam à se depelleret, juventuti persuasit. Qua de conjuratione certior factus *Phalaris* comprehensum *Zenonem* foedissimis objecit lacerandum cruciatibus, sperans fore ut vi doloris victus conscios facinoris nominatim proderet. Id ne futurum speraret *Phalaris*, mordicus ablatam sibi linguam philosophus in os foedissimi monstri ejecit. Sed ante hoc facinus viro forti dignum sua eloquentia id consecutus erat, ut ignavia Agrigentinorum, qui foedo supplicio morientem spectassent, tanquam ê sopore suscitata, hi pudore correpti, quod sibi deessent, homine peregrino, quia servitutem à cervicibus suis depellendam suscepisset, in suo conspectu neci dato, violentam moverent seditionem, inter quam ille homo immanis conjectis lapidibus obrutus interiit.

211

Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut luctu aut incommodis adficit? Quia in castris quoque periculosa fortissimis imperat dux. Lectissimos mittit, qui nocturnis hostes adgrediantur insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit, malè de me imperator meruit! sed: bene judicavit. Idem dicant, quicunque jubentur pati ignavis flebilia: digni visi sumus Deo in quibus experiretur, quantum humana natura possit pati. Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, qua animi marcescunt et, nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia semper à flatu vindicaverunt, cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuérunt, cujus coenationem parietibus circumfusus calor temperavit, hunc levis aura non sine periculo stringit.

Cum omnia, quae excesserint modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum et verum mediae caliginis fundit. Hanc rationem Deus sequitur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem, publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant.

212

Quo tempore *Vespasianus* se principem Romanorum fecit, Roma, ista superba civitas, olim genitrix et ostentatrix omnium virtutum, omni genere flagitiorum, ultimaque morum labe erat mersa. Ita corruptis omnium moribus, spretaque honestate, cujus utique vis jam nulla erat, *Helvidius Priscus* antiquos mores constanter tenuit, et miserorum civium animos ad illos revocare necquicquam studuit. Is cum adolescentiam in cognoscenda philosophia consumsisset, ab iis, quibus utebatur doctoribus, haec praecepta hausit: honestatem esse unam in bonis, improbitatem unam in malis habendam; in voluptate animi, bonaque sui conscientia, positam esse hominis felicitatem, divitias autem amplosque honores, animam quoque non esse ejusmodi, quibus totum se det homo sapiens. Videtisne, quem ille fructum ex his praeceptis, quibus juvenilem informavit animum, retulerit? cum homines perditi, quos impigre insectabatur, eum apud principem essent criminati, cujus jussu postea interfectus est, comminationes ea constantia contemnere sustinuit, quae veram innocentiam decet. Qui quidem principi minitanti, mene, inquit, immortalem esse tibi dixi? Tu fungeris officio domini crudelis, duci me jubens; ego meo civis officio, cervicem intrepidam securi subjiciens.

213

Quid mirum, si durè generosos spiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum est. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Sunt nautis corpora ferendo mari dura; agricolis manus tritae;

ad excutienda tela militares lacerti valent. Agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum patientiam, animus patientià pervenit; quae quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis labor praestet. Considera Germanos, et quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste coelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. Paulatim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia, nullaeque sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit. Vilis et hic quaerendus manu victus, horrenda iniquitas coeli, intecta corpora; hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est. Quid miraris, bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt.

214

Erat *Helvidii Prisci* socer *Paetus Thrasea*. Is cum virtute aequaret generum manifestoque odio latronum, qui ista temporum iniquitate terras direptionibus et vastitate exhauriebant, insidias invidorum, quibus erat odio, et improborum, à quibus metuebatur, effugere non potuit. Quum ille eo die, quo *Nero* orationem ad diluendum crimen matris suo jussu necatae scriptam recitari jussit, ex Senatu discessisset, ac consecrationi amicae *Neronis* interesse noluisset, inimici eum accusarunt, quod res Romae aliter ordinatas aspernaretur, et contra reip. pacem ac disciplinam clandestina moliretur consilia. Igitur capitis damnatus, coram amicis venas secari jussit, ex quibus primas guttas sanguinis cum videret manantes, has, inquit, libo *Jovi* Liberatori, sive Deo, qui ex hominum colluvie probis moribus infensa discedendi potestatem sibi daret. Quo facto *Helvidium* rogavit, ut propius accederet, eique, respice me, inquit, juvenis! In haec tempora, in quae aetas tua incidit, animum exemplis constantiae corrobores necesse est. Expiravit, de natura animi et immortalitate cum celebri quodam philosopho disserens.

215

Quare bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis removit, scelera et flagitia, cogitationes improbas, et avida consilia et libidinem caecam et alieno imminentem avaritiam. Boni viri externa contemnunt; *Xemocritus* divitias projecit, onus illas bonae mentis existimans. Filios amittunt viri boni. Quidni? cum aliquando et ipsi occidant? In exilium mittuntur. Quidni? cum aliquando et ipsi patriam non repetituri relinquant? Quaedam dura patiuntur, ut alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Puta itaque, Deum dicere: quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi et animos inanes velut longo fallacique somno lusi. Auro illos argento et ebore adornavi, intus boni nihil est. Isti quos pro felicibus adspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti: Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare et ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt; cum aliquid inciderit, quod disturbet ac detegat, tunc adparet, quantum altae ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura; quanto magis versaveritis et undique inspexeritis, tanto videbitis meliora majoraque: Non fulgetis extrinsecus; bona vestra introrsus obversa sunt. Non egere felicitate, vestra felicitas est.

216

Romam expugnaverant Gothi. Ductor ordinum apud Romanos, cui nomen erat *Pauli*, parvum agmen hominum ducens, cum ex urbe egressus collem communiisset, ibi ab hoste est circumventus. Nemo dubitabat, quin fame victus sese esset dediturus; atque ipse omnium rerum inopia laborabat. Hac necessitate urgente, ad agmen suum conversus, mei commilitones, inquit, aut moriendum nobis est aut serviendum. Vos quidem credo, non cunctaturos; sed parum est mori; nos oportet mori, ut viros fortes decet. Ignavorum est, fame absumi et mortis acerbae lentaeque metu confici. Nos quidem, qui inter proelia adulti armis uti didicimus, mortem honestam appetamus:

moriamur, at non inulti, moriamur conspersi sanguine hostium; per risum insultaturis materiam flendi praebeat caedes nostra. Quid inde ferremus, si, ut paucorum annorum accessio fieret, famam macularemus, quibus brevi esset moriendum? Haec locuto succlamant milites, se paratos esse eum sequi. Agmen incedit; cujus ex constanti habitu judicans hostis, cum impetu desperantium adversus se venire, non expectato eorum adventu misit, qui salvos et incolumes fore pollicerentur.

217

Quantam habet varietatem magnificentiae et tenuitatis oratio eorum, qui de *Jesu* nascente referunt! Primum commemorato Principe orbis terrarum maximo, deinde ad miseram speciem nascentis pueri in praesepi vagientis demissa, mox ita assurgit, ut magnifico coelitum hymno finiatur. Hic quam nova magnarum parvarumque rerum vicissitudo nobis occurrit! Parentes egeni, sed ii regia stirpe oriundi. Mater virgo, eademque vatum praeconiis antea celebrata. Pater, tutoris gerens personam, qui natum deserere parans dignus habetur, cui Deus per visum se offerat. Puer in hospitio et in latebris partus, sed cujus adventum *Elisabetha* et *Zacharias*, denique Angelus *Gabriel* paulo ante indixissent, et ad quem pertineret jussus à Principe *Augusto* census. Nascentem neque Romani neque Judaei respiciebant; eundem Angeli, pastores, *Simeon* et *Hanna* supplices venerabantur. Pauperem et inopem Magi ex Oriente pro Deo colebant, trepidabat pavore potens *Herodes* et cum eo quicunque habitabant Hierosolymis. Filius fabri lignarii oblivioni dandus videbatur; at facta Bethlehemi puerorum caedes mox omnium movebat animos. Iram *Augusti* meruerat *Herodes* rex, ceterum ipsi valde carus. Hic ultro illato Arabiae bello, cum majestatem Romani Imperii laesisset, missus à Principe dux *Quirinius* omnes Judaeos tributim censeri jussit, ut insolens *Herodes* se Romano Imperio obnoxium esse disceret. Ita illud, quod praedictum erat, fore ut *Jesus* in lucem ederetur Bethlehemi, evenit.

218

Nos, si quidem ita sapimus, ut homines sanae mentis et christiani nominis decet, ea, quae per annum proxime

elapsurum nobis potiora evenerunt, circa hoc tempus ad animum revocamus. In eo est, ut discedentem amicum, posthac non visuri, ultimum alloquamur. At hunc vitae comitem non dimittamus, quin os ejus, ut ita dicam, sedulo intueamur. Sicut fessus itinere homo, jam vesperascente coelo de loco edito viam à se hac die confectam oculis repetit; omnia etsi jam habet procul posita et crepusculo circumfusa, tamen passim agnoscit collem arduum, hodie anhelo spiritu superatum, et locum circa rivum, cujus aqua animam refrigeravit. Lappas quidem et spinarum aculeos portat vestimento haerentes, at idem aliquot flores decerpsit, qui quanquam prope marcentes, tamen habent, quo illum reficiant. Ita, qui sanae mentis est, casus inclinantis anni laetos aut adversos animo perlustrat. Vos si respexeritis, fatendum vobis erit, plus laetarum rerum quam incommodarum vobis contigisse. Utinam pariter videatis, majorem temporis partem bene quam male à vobis collocatam, vosque pariter doctrinà et moribus ac longius anno bonae aetatis vestrae processisse. Quod qui non viderit, eum pudeat pigritiae, isque sedulo animum inducat, annum quem ingressurus est, ita in suam rem convertere, ut intentiori curà suae saluti consultum velit.

Annus abire parat, meus ille fidelis amicus,
 Quem non ad vultum cerno redire meum.
Haereat ut comitis species in pectore fixa,
 In noto lumen figitur ore diu.
Omnia nunc redeunt animo, quae laeta videbam,
 Omnia, quae miseri plena doloris erant.
Felicem quotiès duxit per amoena viarum?
 Raro laeserunt aspera saxa pedem.
At cui me comiti fugiens nunc ille relinquit?
 Nescio, quod jubeat nunc novus annus iter.

* *

Sol fugit, atra parat nox almam condere lucem,
 Et coeli accendens lumina vesper adest.
Jamque via fessus, residens in colle viator
 Metitur longam post sua terga viam.
Inde procul cernit vestigia longa diei
 Et primis tenebris arva sepulta jacent.
Sed tamen agnoscit collis praerupta supini
 Quem meminit tardum vix superasse pedem.

Sed tamen agnoscit, quae rivulus arva pererrat
Qui siccam faucem posse levare dedit.
Lappa tenax, quae vasta habitat loca, vestibus haesit,
Aut lusit notis aspera spina dolis.
At flores carpsit per prata virentia, sparsos,
Quos marcere dolet; sed juvat haustus odor.
Non aliter, sanam qui gestat pectore mentem,
Anni vergentis mente recenset iter.
Tum meminisse dies multos juvat isse serenos,
Aut texisse dolet nubila saepe diem.

219

Honesta res est paupertas laeta. Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non, qui parum habet, sed, qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum pascat aut foeneretur, si alieno imminet? Qui sit modus divitiarum, quaeris? Primo, habere quod necesse est, secundo, quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de re producenda nimis cogitat. Nullum bonum juvat habentem, nisi ad cujus amissionem praeparatus est animus. Magnae divitiae sunt lege naturae composita paupertas. Lex autem naturae scis quos terminos nobis statuat: Non esurire, non sitire, non algere. Non est necesse superbis assidere liminibus, non est necesse maria tentare, nec castra sequi; facile est, quod natura desiderat et appositum. Ad supervacua sudatur. Ad manum est, quod satis est. Nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quam minimum in corpore tuo sit spoliorum. Nudum latro transmittit; etiam in obsessa via pauperi pax est. Is maxime divitiis adfluit, qui minime divitiis indiget. Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, immensum opinio. Si congeratur in te, quicquid multi locupletes possederunt, si ultra privatum pecuniae modum fortuna te provehat, auro tegat, purpurà vestiat, eò deliciarum perducat, ut terram marmoribus abscondas, si accedant statuae et picturae, et quicquid ars ulla luxuriae auro et argento elaboravit, majora cupere ab his disces.

220

Lapponum gens ut est egena et omnibus nudata, quae ad vitae cultum pertinent: ita satis magnam habet rerum copiam, quae non aliis rebus se egere sciat, quam quibus facile potiatur. Illa solem per aliquot menses non videt, sed eidem, ut tenebrae noctium mitigentur, lumen boreale et luna lucis aliquid impertiuntur. Neque nix, neque glacies, quarum mole tanquam obruitur, vitam ejus reddunt calamitosam. A teneris adsueta coelo adversus ejus inclementiam obduruit. Duritiam docta vim frigoris didicit vincere. Quod autem sine singulari ope vix esset tolerabile futurum, ejus partem levavit natura, tum datis ex propinquo feris, quarum pellibus tecta frigus defendit, tum attributo Machlidum genere, qua ex pecude tentoria, vestem, lectum, cibum potumque accipit, quaque utens longinqua itinera facere non dubitat, quaeque fere nihil eorum, quibus eget, non suppeditat, quamque exigua cura alit. Qui homines pro calamitosis habiti, si meliorem haberent notitiam Dei, eosque feritas animi ac lentitudo non impedirent, quo minus amicitiae ad beatè vivendum homini maxime necessariae dulcedinem experirentur, fierique posset, ut aequitati animi, quae in hac gente deprehenditur, ista commoda adjicerentur; istorum, quos opinamur miserrimos mortalium, quorumque vitae consuetudinem abominantur corrupta ingenia nostra, minus quam arbitramur, deploranda esset fortuna.

221

Paupertas secura est. Cum classicum cecinit, scit non se peti; cum aliquo conclamatum est, quomodo exeat, non quid efferat, quaerit. Facile est pascere paucos ventres, et nihil aliud desiderantes, quam impleri. Parvo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satis facere. Sanus dives est, qui licet habeat divitias, eas tamen ut egens habet. Si vis vacare animo, ut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curà. Frugalitas paupertas voluntaria est. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum à furoribus liberet? Multis divitias parasse, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Non in rebus vitium, sed in animo ipso est. Istud, quod

paupertatem gravem nobis fecerat, et divitias graves facit. Quemadmodum nihil refert, utrum aegrum in lecto ligneo, an in aureo colloces; quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transfert: Sic nihil refert, utrum aeger animus in divitiis an in paupertate sit; malum suum illum sequitur. Ad securitatem non est opus fortuna. Quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si sciemus, quam non sit grave, pauperes esse.

222

Omnium alimentorum nullum nec magis vulgare nec magis salubre est, quam ille, quo vulgo vescimur, panis. Eo principes in lautissimo epularum apparatu non magis carere possunt, quam quorum operae conducuntur. Eum sumentes aegroti pariter reficiuntur ac qui firma utuntur valetudine. Pane maxime ali homines voluisse natura ipsa videtur, cum omnes terrae, quamvis diversissimo coelo subjectae, tamen ita sint temperatae, ut eam plantam, ex qua noster panis conficitur, facile gignant. Quatenus enim noster orbis frequentatur cultoribus, vix illud soli genus deprehendas, in quo frumentum, si justa cura colueris, ad maturitatem pervenire nequeat. Panem autem ad hominum vitam maximè pertinere, nonne magno est argumento illud, quod hujus prope unius cibi, etiamsi nulla dies abeat, quin eo vescamur, tamen vix quenquam taedet. Omnium dapum arte compositarum lautarumque, quas excogitavit hominum luxuria, postremo non est quasi titillatio, qua forsan olim movebant palatum; quae potius, quo crebrius sumuntur, eò majus creant fastidium. Pane autem nunquam non libenter vescimur. Senex, qui per septuaginta annos quotidie sumebat, etiam tum, cum omnes ceteros cibos fastidire coepit, libenter sumere non desinet.

Adsiduum panem nostris adponite mensis,
Contemnet suetum nausea nulla cibum.
Luxuries, dapibus coenam regalibus imple;
Mox vetus adsueto torpet in ore sapor.
Si panem demas, adpone, quod India mittit,
Non implet numerum regia coena suum.

Non magis hoc careant reges quam maxima turba
Quae victum dura corporis arte meret.
Inde novas vires languentia corpora sumunt,
Inde vigor sanis in sua membra redit.

223

Ignoratum vulgo beneficium contingit nostro generi hoc, quod tot superstitiones erroresque impugnarunt ac profligarunt investigando rerum naturalium curiosi. Neque tamen illis dedita esse desiit multitudo, quod argumento est, hominum ingenia magis ad errores proclivia esse, quam ad verum videndum, eosque parum habere exploratam Dei in gubernando mundo rationem ac benignitatem. Nos quidem sapere mentem nostram ostendamus, caventes, ne rationis nostrae excellentiam neve Dei ipsius majestatem ejusmodi opinionibus pravis offendamus. Gaudeamus quoquo modo edoceri posse, a Deo omnia summa ratione gubernari, eoque summo fruamur solatio, quod nobis liquet, nihil rerum humanarum fieri sine certa propositorum ratione. Quicquid Deo et ratione nostra indignum placet hominibus, id populis à christiano Dei cultu alienis aliisque impietatem ac superstitionem sectantibus relinquamus. Nos, qui Deum verum novimus, ita eum colamus, ut omnia contineri ejus regimine credamus; vos autem, si quando ad virilem aetatem perveneritis, nacti occasionem, tam ingenio quam moribus movendi animos multitudinis, quantum in vobis fuerit, operam navate vestram, ut ratione, sapientia, ac metu Dei plurimorum animi mortalium impleantur.

224

Quo tempore *Eberhardus Ludovicus* princeps impuber sub tutela annorum quatuordecim erat, Galli, qui paullo ante Palatinatum et terras Rheno adjacentes foedissimis populationibus adfecerant, Wirtembergiam anno 1688. hostiliter ingressi crudeliter adflixerunt. In eam ultima acerbitate saeviebatur *Melacus*, qui Gallos excursores ducebat, Stuttgartiam, Tubingam et Ascimontium praesidiis occupavit, utriusque castelli munimenta disjecit, civitates diripuit, magnaque pecunia incendium redimere jussit, denique nuda armatis oppida, crudeliter saeviens cremavit.

Saluti fuit Wirtembergiae, brevi adductum ab Electoribus Bavariae et Saxonum auxilium, quod Gallos pepulit. Sublata deinde imperii tutela, *Eberhardus Ludovicus* inter iniqua tempora belli Gallorum, quod ad quinque annos trahebatur, rempublicam gerendam ipse suscepit. Qui cum se insignem esse inter Germaniae principes vellet, aliquot expeditiones ad Rhenum et ipse obiit, praeter eos milites, quos debebat praestare, ceteros ad bis mille praebuit, qui in exercitu Germaniae militarent, et quamcunque posset operam navando benevolentiam Imperatoris obtinere studuit. Iterum Galli anno 1693. Wirtembergiam vexatum duce regni haerede venerunt, vix quatuordecim dies intra fines ejus morati inter Ludovicopolim et Stuttgartiam tendebant, accipiendaeque erant conditiones, ut praeter exactas à multis minus ingentes pecunias incendio avertendo pro gravi summa exactionum sexcenties mille floreni darentur, qua de causa Galli frequentes obsides in castella Argentorati et Metis abduxerunt, qui, dum pecunia soluta esset, triennio asperrima quaeque patientes ibi fatigabantur, vix dimidia parte in patriam restituta.

225

Varus, dux Romanorum, exercitum suum ducens obviam Germanis, in saltum devenit densis impeditum arboribus, undique montibus et angustis vallibus cinctum, in quo et nusquam videres viam expeditam, et praeterea gravis imber ac vehemens procella Romanos et armis suis uti et stare in vestigio vetabant. Hac loci iniquitate circumventos Germani duce *Arminio* et ceteris principibus undique invadunt. Exercitus, quem tum Romani habebant ornatissimum admodum vicies mille militum, occidione occisus est. Haec clades *Vari* eventum habuit Germanis optatum, ut, quicquid Germaniae armis subactum tenebant Romani, eo cedere cogerentur. Quid, quod hac victoria *Arminii* id consecuta est Germania, ut ditionis Romanae non sit facta. Romani hac clade primo perculsi Galliae atque etiam Italiae metuebant. *Augustus* quoque per aliquot menses continuos barba capilloque submisso, qui erat mos lugentium, caput identidem foribus illidebat vociferans: *Vare*, legiones redde! Miram vocem, sed tali principe, qualis *Augustus* erat, dignam! Quid, si populi invicem vociferarentur: Eho, reges, principes, populorum rectores, reddite nobis illos homines,

quos gloriae cupiditate, aut gentes subigendi libidine, aut, quod indignius est, pecuniae aviditate abrepti perdidistis! Reddite liberis parentes, uxoribus maritos, parentibus filios, viduis unica adminicula, sororibus fratres, sponsis sponsos, arvis cultores! Haec si loquerentur populi, quid isti haberent, quod responderent?

Romae pressa jugo gemuit Gens Teutone nata,
Et justa indignans induit arma dolor.
Ultor *Varus* adest insigni milite cinctus,
Non videt insidias silva maligna tuas.
Contra Romanos coeli quoque dimicat ira
Succurruntque armis vel loca muta piis.
Nusquam certa via est, rumpuntur nubibus imbres,
Et ventus vehemens hostis in ora furit.
Ira nunc oculis Germani ardentibus instant,
Cum forti *Arminio* corda manusque calent.
Vincit libertas saevos invicta tyrannos,
Romano patrium liberat ense solum.

226

Eodem anno, quo *Ulrici* principis conjux ad fratres profugit in Bavariam, populi Evocatos quoque poenitere Principis adparuit. Quidam viri magna apud suos auctoritate, *Conradus Breuning*, praefectus Tubingae, cum fratre praefecto Vinimontii, et *Conradus Vaut*, praefectus Canstadii, quorum primi opera potissimum expulsus fuerat principatu *Eberhardus* II. consilia agitaverunt de principe â republica amovendo et imperio, ut prius, ad Evocatos transferendo, cujus se principes fore sperabant, cum quibus conspirante *Lampartero*, vani ingenii homine, qui intimi scribae tenebat locum, plus erat à tali consilio periculi. Sed patefactis principi insidiis, tres isti in vincula dati, biennium traxere in custodia. Princeps eos crudelissimis suppliciis torquendos dedit; *Breuningii* maxime manus et crura prunis torreri, corpus sicera superfusa incendi, post securi percussum in quatuor partes distrahi, jussit; ceteri item supplicio dati, extorsa ipsis rerum, quas moliti essent, confessione. Intimus autem principis scriba, aliquandiu locum tenens, Augustae Vindelicorum, ubi causam principis agere jussus erat, adversariis ejus auctor ipse fuit postulandi, ut principatu expelleretur; cujus perfida consilia cum paulatim patefierent,

incolumis evasit ad Imperatorem Germanorum; jam pridem cum eo clam conspirans, quo ex loco de principe, occultissimorum ejus moliminum conscius, pessime meruit.

227

Bello per triginta annos gesto *Ferdinandus* III. Imperator Germaniae castello Alto-Tvila valde cupiebat potiri. Quod cum aeque cordi esset principi *Eberhardo* III. aliquanto ante *Widerholdo*, egregio ejus praefecto, scripserat, ne cui illud castellum prius traderet, quam epistolam verbis notisque ex composito à se scriptam accepisset. Nunc autem Princeps postulatis Imperatoris visus cedere, praefectum semel atque iterum magna auctoritate jussit, castellum militibus Imperatoris tradere: sed hic non paruit, dictitans, se non esse in potestate Principis, in cujus potestate terra non esset. Milites Imperatoris cum potiri castello voluntate dedentium non possent, rem armis tentaturi, triennio continuo illud obsidebant, sed irrito omni conatu. Primum parte castelli inferiore potitos *Widerholdus* expulit amissis quingentis viris, eosque assiduis eruptionibus et insidiis ita fatigavit, ut obsidione desisterent. Tertio exercitus circiter decies quinquies mille hominum integram aestatem ad castellum sedendo traxit, et clausum obsidione in ultimum discrimen adduxit; cum centum equites praesidiarii via ferro patefacta evadunt ad Suecos circa Rheinfeldam coactos, eosque de laborante castello certiores faciunt, à quibus vergente ad finem anno liberatum est obsidione. Hoc anno abhinc castellum tenuit à nemine lacessitus, milites suos praesidiarios conservavit, munitiones refecit, novam aedem condidit, omni pecunia belli jure exacta, qui omnem agrum circa lacum Constantiensem suis militibus tenebat, graviter imminens Abbatum ejus loci opulentis sedibus. Interdum in agrum Wirtembergensem à militibus Imperatoris omnem occupatum facta excursione pecunias intercepit.

228

Widerholdus etsi obstinato animo recusabat castello Alto-Tvilae cedere Imperatori Germaniae, tamen aliquando restitutum est Principi imperium, sed relicto castello Ascimontio. Princeps ipse Argentorato profectus Viennam

tam benigne auditus est, ut reverso Imperatoris praefecti et consiliarii, quanquam valde inviti se abdicabant muneribus, relinquere imperium juberentur. Restituta est ei principatus vix tertia pars, eademque exhausta ac deserta. Nam per decem annos hostium copiis nunquam vacabant civitates, omnia castella tenebant peregrinarum gentium milites, aliud Imperatoris milites, aliud Bavari, aliud Galli vel Sueci, qui tumultuarias pugnas quotidie inibant, et petitis à populo alebantur commeatibus. Nullus vere annus vacabat transitu exercituum, saepe intra fines dimicabatur à Gallis et Bavaris. Principi praefecturam Leomontii, unde se suosque tueretur, adsignaverat Imperator, eamque à pecuniis belli jure exigendis ac hospitiis militum immunem fore dixerat: sed eam sibi sumebant licentiam praefecti militum Imperatoris, ut spreto principis sui imperio Stuttgartiam ac Leomontium aeque ac alias civitates vexarent, contemtaque principis majestate suae libidini obsequerentur, ut postremo huic potestatem faceret Imperator, in eos, qui insolentius se gererent, animadvertendi. Si interdum intervenisset laxamentum miseriarum, principi, qui undique periculis ac injuriis petitus finibus sui imperii jam excedere nolebat, statim cordi fuit, ut in terram incolis nudatam multa emolumenta pollicendo novos incolas arcesseret; nam extremo qui ex quinquies centenis millibus incolarum superessent, vix quatuor et quadraginta millia numerata: sed incerta possessione et omni Germania incolis deserta, parum illo labore profectum est.

229

Postremo adeo adflictae erant res Germaniae isto bello tricennali, ut pax etiam iniquissima pro divino beneficio utique haberetur. Deserta videres loca, quae ante laetis gnavisque hominibus erant referta; arva, labore arantium destituta, inculta jacebant et vasta; ubi tenera seges germinabat, aut laetior messis ostendebatur, ibi unus transitus militum profligabat totius anni laborem, ultimam spem deficientis populi. Arces combustae, arva devastata, villae incendio absumtae, milliarium spatio foedam cladem ostendebant, dum cultores ad inopiam redacti ibant, istas copias incendia miscentes sua accessione aucturi, et quae ipsi passi essent, popularibus malo intactis foede reddituri. Civitates indignabantur licentiam aviditatem-

que militum praesidiariorum, qui bona civium devorabant, bellique jus crudelissima libidine exercebant. Nullum laxamentum contingebat iis, quorum aut moenia aut vicinitatem tenebant milites praesidiarii, eorumque calamitatem ne mutata quidem fortuna mitigabat, cum victor in locum et vestigia victi succedebat, amicique et hostes pariter saeviebant.

230

Neglecto arvorum cultu, clade segetum, multiplicatoque numero exercituum, qui populos exhaustos opprimebant, necesse erat effici famem et annonae caritatem, quibus malis cumulus extremis annis accessit agrorum sterilitas. Coarctata in castris et hospitiis hominum frequentia, aliorum egestas, aliorum luxuria pestilentes gignebant morbos, qui foedius ferro et igni devastabant populos. Per hanc multorum annorum perturbationem omnia vincula disciplinae soluta, verecundia juris humani, metus legum, innocentia morum profligata, fides lapsa, solis, qui plus viribus pollebant, ferro dominantibus; tuta praesidio soluti imperii et impunitatis luxuriabant quaevis flagitia, cum terris incultis efferata hominum ingenia. Nullius ordinis hominem verebantur lascivientes, nullius bona sancte habebant aut penuria laborantes aut praedae avidi. Miles, ut uno verbo complectar illorum temporum miseriam, miles dominabatur, qui impotentior quolibet superbo domino, se plus posse non raro suos duces admonebat. Praefectus exercitui in eo populo, quem adibat, plus valebat auctoritate, quam legitimus princeps, qui saepe in eam fortunam detrudebatur, ut illi cedens arcium suarum latebras quaereret. Haec vulnera acerbiora erant reminiscentibus, alienigenas imperiorum rectores suae aviditati praedam destinasse Germaniam, et cupiditati suae ut satis fieret de industria extrahere belli calamitates.

231

Deus hunc annum evidentissimis exemplis, quibus in sua potestate esse naturam, suoque nutu regi res humanas demonstrat, ante multos alios insignem fecit; cujus extremos menses quis scit quibus casibus insignes sit facturus? Ver quidem talis ubertatis spem praebuerat, qualem vix

quisquam reminisceretur. Arbores omnis generis ostendebant copiam fructuum, quorum pondere victi rami rumperentur. Vites tam multas trudebant gemmas, ut spes esset vindemiae, quae superiorum vindemiarum damna ut abundantia ita praestantia vini adfatim esset reparatura. Interim arbiter naturae Deus his laetis exspectationibus suam potentiam interponens, novo quodam frigore immisso, quo tempore erat maxime damnosum, et frequentium insectorum peste illata majorem partem speratae ubertatis profligavit nobis inspectantibus. Effectum erat illo frigore, ut aestas calida cessare videretur. Incubuit autem majore vi caloris, quam animo fingeres. Quis est qui reminiscatur eam vim aestus, quae non solum magnam partem eorum, quae gignuntur e terra, absumsit aut incremento offecit, sed sylvas etiam incendit? Ejus damna alios quoque populos timuisse argumento est, quod ex Gallia nunciatur, supplicationes ad illam pestem deprecandam etiam Parisiis decretas fuisse. Deus ventorum ac imbrium moderator, quo tempore ipsi visum est, aëris aestu refrigerato animantibus laxamentum dedit. Jamque siccitati vix fando auditae tantum imbrium submissurus videtur, quantum arvis opus est, ut sementi accipiendae ea subigere possint agricolae. Haec autem documenta divinae potentiae, benignitatis sapientiaeque utinam tot hominum socordiam sic, ut ille voluit, commoveant!

Erige pectus iners, oculisque ac auribus hauri,
 Quae Deus imperii dat documenta sui.
Nam Deus hoc anno cunctis testatur in oris
 Et clara populos undique voce monet:
Me penes est unum vasti custodia mundi,
 Me tellus Dominum sentit habere suum.
Respice, quos fructus ver parturiebat amoenum,
 Spem tantam nullus viderat ante senex.
Spes pomi innumeri ridebat in arbore cuncta,
 Rupturum ramos praegrave pondus erat.
Laetaque trudebat cumulatas vinea gemmas;
 Dixisses: capient vix sua musta lacus.
Parcite mortales votis confidere vestris,
 Hora quibus certam spem resecare potest.

232

Ergo jam exactae aestati succedere parat auctumnus; cum eo, ut fama est, redibit bellum sublatis induciis. Quae tria ejusmodi sunt, ut animos detineant cogitationibus. Aestas quidem eam messem reddidit, pro qua sane est, quod gratiam habeamus Deo, eoque magis, quod arva nostra minus quam aliis annis clades ex grandine affecit. Sed aestas à sero initio tam exiguo tempore continebatur, ut eorum, quae adfert laeta, parcus modus nobis obtigerit. Accedebat, ut inter spem metumque haerentes vitam traheremus, quae conditio magnam partem jucunditatis aufert. Succedit auctumnus, sed is sua munera minus liberaliter praebiturus. Arbores et vineae plus ostenderunt, quam redditurae sunt. At haec munera minus benigne data, qua congratulatione, quam gratiam habentes Deo accepturi essent boni nostri populares, si spes ostenderetur, fore ut liberati aerumnis belli hiemem securis animis agant! Quando tandem validae isti genti, cui Deus potestatem dedit, principes metu vexandi et populos omnibus adfligendi malis, finis statuetur populationum! Hoc desiderio implorantes Deum inimus auctumnum, et, quis scit, an hiemem, nulla alia ope relicta, quam ut ad quamvis fortunam parati, illud patienter expectemus auxilium, quod aliunde nisi à sapientissimo rerum humanarum moderatore sperari non potest. Quod nisi persuasum habeas, hac temporum calamitate miserrimus sis mortalium, qui, ut pavidus viator ad quemlibet silvae strepitum exterritus, dies noctesque acerbissimis terroribus angitur.

233

Quid causae est, cur non jam id habeat ad animos momenti, quod habere posset, quodque inter initia habuit, formula sacrorum à Christo tradita? Est illi propositum, ut mentis caligine disjecta doctrinaque emendatis moribus homines efficiat, qui probitati dent operam, animique aequitate fruantur, suasque utilitates in medium possint conferre. Quid est, cur id, quod spectat, eadem non consequatur? Id, quî fiat, facile est intellectu. Ratio Dei colendi à Christo praecepta, deflexit aliquantulum ab illa, quae ad homines coelo descendit. Ejus scita, qualia tradidit eorum auctor, simplicia, rationi consen-

tanea, ad fidem faciendam, movendosque acriter animos composita, ejusdemque praecepta de officiis, quae sola sunt vera, et hominibus in hac vita agentibus idonea, omnium animos sanctissima vi tenebant captos, iisque qui obtemperabant, divinam eorum auctoritatem sentiebant. Sed illi, quorum fidei ac tutelae commissa erat doctrina christiana, ejus tuendae negligentes fuerunt, formamque depravarunt, suoque cum ratione consensu et efficaci auctoritate privarunt; nec prius illa momenti sui vim resumet, quam adventiciis commentis (nec enim commenta humani ingenii admittit, quod Deum habet auctorem) secreta et ad eam, quam oriens habuit, simplicitatem, gravitatemque et efficaciam sit revocata.

234.

Religionis eam esse vim, ut homines ad sanitatem revocet, eosque reddat idoneos, et ad animi aequitatem ac felicitatem perducat, ejusque adminiculo firmissimo niti rempublicam, id quidem negare nemo ausit. Si enim leges civitatis nihil aliud, quam patrari manifesta scelera vetant, et ea, quibus vincula societatis rumpuntur, flagitia reprimunt, religio potius vitia usque in imos, unde emanant, recessus persequitur, earum adjutrix altrixque virtutum, quae arctioribus vinculis jungunt hominum societatem. Utique religionis stimuli acrius commovent cujusque animum, quam edicta magistratuum. Quod si ita est, nonne plurimum intersit reipublicae, salvam et incolumem stare religionem? Ejus enim vis efficacior si quando extincta est; quomodo adminicula humanae solertiae, quibus munire student populorum fortunam, posthac manebunt non labefacta? Quodsi homines id, quod quisque arbitrabatur sanctissimum, pedibus proculcare coeperint, quo modo id verebuntur, cujus minor religio cujusque animum implebat?

235.

Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat; aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Redibit autem. Ea enim philosophiae vis est, ut non solum studentes sed etiam conversantes juvet. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur.

Qui in unguentaria taberna resederunt, et paullo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Et qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est. Quid autem? Non novimus quosdam, qui multis apud philosophiam annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant; sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures ducimur. Magnam auditorum partem videbis, cui philosophi schola deversorium otii sit. Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vitae accipiant, ad quam mores suos exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Quidam ad magnificas voces excitantur, et transeunt in adfectum dicentium. Rapit illos rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus. Adficiuntur illi et sunt, quales jubentur, si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus honesti dissuasor excipiat. Pauci illam quam conceperant mentem domum perferre potuerunt.

Annon censetis, quod *Seneca* hoc loco de Romanis sui aevi dicit, idem de magna eorum parte dici posse, qui ab audita oratione sacra ad animos maxime efficaci domum se recipiunt?

236

Nihil miremur eorum, ad quae nati sumus, et sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit; algendum est. Aestas calores refert; aestuandum est. Intemperies coeli valetudinem tentat; aegrotandum est. Et fera nobis occurret, et homo perniciosior feris omnibus. Alium aqua, alium ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patimur, ut naturae consentiamus. Natura autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt. Turbantur maria, cum quieverunt. Flant invicem venti. Noctem dies sequitur. Huic legi animus noster pareat, et quaecunque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri et alacres excipiamus imperia, sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener,

qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult Deum, quam se.

237

Primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti sequebantur, eandem habebant et ducem et legem. Naturae est, potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt aut vehementissima. Non praecedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris ceteros vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus. Animo itaque rector eligebatur. Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Illo ergo saeculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum *Posidonius* judicat. Hi continebant manus, et infirmiores à validioribus tuebantur. Suadebant dissuadebantque, et utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat ornabatque subjectos, officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset adversus eos experiebatur, per quos coeperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in injuriam, aut causa; cum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex majus minari male parentibus posset, quam ut abirent e regno. Sed postquam subrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsas inter initia tulere sapientes.

238

Intelligo, *Lucili*, non emendari me tantum, sed transfigurari, nec hoc promitto aut spero, nihil in me superesse, quod mutandum sit. Quidni multa habeam, quae debeant corrigi? Hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt. Quibusdam aegris gratulatio fit, cum se ipsos aegrotos esse senserunt. Cuperem itaque tecum communicare tam subitam mei mutationem. Mitte, inquis, et nobis ista, quae tam efficacia expertus es. Ego vero cupio in te omnia transfundere, et in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam; nec me res ulla delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sum. Nullius boni

sine socio jucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros, et ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ipsa protinus, quae probo et miror, accedas. Plus tamen tibi et viva vox et convictus, quam oratio, proderit. In rem praesentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt; deinde quia longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. *Zenonem Cleanthes* non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitae ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. *Plato* et *Aristoteles* plus ex moribus, quam ex verbis *Socratis* traxerunt.

239

Itinere confectus incommodo magis quam longo, in Albanum meum nocte multa perveni. Non habet panem meus pistor; sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus. Malum panem, inquis. Exspecta, bonus fiet: etiam illum tenerum tibi et siligineum fames reddet. Ideo non est ante edendum, quam illa imperet. Exspectabo ergo; nec ante edam, quam aut bonum panem habere coepero aut malum fastidire desiero. Necessarium est, parvo adsuescere. Multae difficultates locorum, multae temporum etiam locupletibus occurrunt. Quicquid vult, habere nemo potest; illud potest, nolle, quod non habet, rebus oblatis hilaris uti. Magna pars libertatis est, bene moratus venter et contumeliae patiens. Multa quam supervacua essent, non intelleximus, nisi cum deesse coeperunt. Utebamur enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus. Quam multa ante parabamus, quia alii paraverunt, quia apud plerosque sunt. Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quodsi pauci facerent, nollemus imitari; cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.

240

Non anni modo novi, sed, in quo plus est momenti, novi seculi orbem ingressi estis. Ea aetate estis, ut, quantum quidem homines augurantur, ultra illius dimidium

victuri sitis, cum illi viri, quos patres, praefectosque et praeceptores dicitis, pridem rebus humanis erunt erepti. Horum autem virorum nequaquam nihil interest, quales vos patria tum viros habitura sit. Illi tum demum aequis animis morientur, cum vos ita institutos relinquent, ut sperent, vos olim reipublicae usui, religioni praesidio, rectis moribus exemplo, patriae ornamento futuros. Datum vobis est munus, ut ad civium salutem in suo quisque genere vestram aliquando operam conferatis. Quinquaginta annos prospicitis, in quibus partes vestras agatis. Qui hominibus bene cupiunt, animo praesagiunt, mortales inde ab hoc seculo variis vitae commodis fortunatum iri. O laetam expectationem, si spem feceritis, vos quoque ad istam, hominum felicitatem quam plurimum collaturos! Sed tum demum contuleritis, si nunc animos vestros ad sapientiam ac probitatem praeceptis divinae humanaeque sapientiae informandos praebueritis. Ita demum vel magistratuum vel concionatorum sacrorum, vel civium, vel patrumfamilias obeuntes munia ad publicam privatamque salutem operam conferetis vestram, et rursus fortunatam progeniem alteri parti hujus seculi relinquetis. Hanc rem magnificam volvens animus vester utinam se erigat, ac fortiter apud se statuat, vos nunquam neque in libidinem, neque in avaritiam, neque in impietatem adversus Deum, neque in rerum inanium cupiditatem, quibus vitiis laborat haec aetas, prolapsuros, sed operam potius daturos, ut ipsi et vobiscum liberi, quos olim Deus vestrae fidei committet, ad eam, quae bonos majores nostros ornabat, morum simplicitatem redeant.

241

Singulos tibi dies meos et quidem totos indicari jubes. Bene de me judicas, si nihil esse in illis putas, quod abscondam. Sic certe vivendum est, tanquam in conspectu vivamus; sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit; et potest. Quid enim prodest, ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit. Faciam ergo, quod jubes, et quid agam et quo ordine, libenter tibi scribam; observabo me protinus, et, quod est utilissimum, diem mecum recognoscam. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus; et id raro; quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex praeterito venit.

242

Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania. Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt! Omne vitium ebrietas et incendit et detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent. Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Tunc impudicus morbum profitetur; tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas saevo, malignitas livido. Adjice illam ignorationem sui, parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, velut aliquo turbine circumagente totam domum. *Alexandrum*, quem tot proelia, tot itinera, tot hiemes, victa temporum locorumque difficultate, tot flumina et maria tutum dimiserant, intemperantia bibendi condidit. *M. Antonium*, magnum virum, et ingenii nobilis, quae alia res perdidit, quam ebrietas? Haec illum hostem reipublicae, haec hostibus suis imparem reddidit, haec crudelem fecit, cum capita principum civitatis coenanti referrentur. Fere vinolentiam sequitur crudelitas; violatur enim exasperaturque sanitas mentis.

243

Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiae fideliter deditos contumaces esse, et contemtores magistratuum ac regum, eorumque, per quos publica administrantur. E contrario enim nulli adversus illos gratiores sunt; nec immerito. Nullis enim plus praestant magistratus, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem hujus boni ut parentem colant; multo quidem magis, quam illi inquieti, qui multa principibus debent, sed multa etiam imputant; quibus nunquam tam plene occurrere ulla liberalitas potest, ut cupiditates illorum, quae crescunt, dum implentur, exsatiet. Quisquis autem de accipiendo cogitat, oblitus est accepti. Nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est. Adjice nunc, quod illis, qui in republica versantur, non tam jucundum est multos post se videre, quam grave, aliquem ante se. At ille vir sincerus et purus, qui omnem relinquit admini-

strationem reipublicae, ut ad ampliora secedat, diligit eos, per quos hoc ei facere tuto licet, et magnam rem nescientibus debet. Quemadmodum praeceptores suos veneratur ac suspicit, quorum beneficio illis in viis exit; sic et hos, sub quorum tutela positus exercet artes bonas. Pax et libertas tam omnium quam singulorum sunt. Cogitat itaque sapiens, per quem sibi horum bonorum fructus contingat, per quem non ad arma, nec ad servandas vigilias, nec ad tuenda moenia se vocet publica necessitas, agitque gubernatori suo gratias.

244

Nulla sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur; quicquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit; quibusdam tremunt genua dicturis; quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Haec nec disciplina nec usus unquam excutit, sed natura vim suam exercet, et illos vitii sui admonet. Inter haec et ruborem esse scio, qui gravissimis quoque viris subitus offunditur. Magis quidem in juvenibus adparet, quibus et plus caloris est et tenera frons; nihilominus veteranos et senes tangit. Quidam nunquam magis, quam cum erubuerunt, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. *Sulla* tunc erat violentissimus, cum faciem ejus sanguis invaserat. Nihil erat mollius ore *Pompeji*; nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus. *Fabianum* cum in Senatum testis esset inductus, erubuisse memini; et hic mire illum pudor decuit. Haec vitia nulla sapientia abigit; alioquin haberet rerum naturam sub imperio. Quaecunque attribuit conditio nascendi et corporis temperatura, haerebunt. Nihil horum vitari potest, non magis quam arcessi. Artifices scenici, qui imitantur effectus, qui metum et trepidationem exprimunt, qui tristitiam repraesentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos, ruborem sibi exprimere non possunt.

245

Ego Bajas postero die, quam attigeram, reliqui, locum ob hoc devitandum, quia sibi illum celebrandum luxuria

desumsit. Quid ergo? ulli loco indicendum est odium? Minime. Sed quemadmodum alia vestis sapienti viro magis convenit quam alia, nec ullum colorem ille odit, sed aliquem putat parum aptum esse, frugalitatem professo: sic regio est quoque, quam sapiens vir aut ad sapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de secessu cogitans Bajas non eliget. Illic sibi plurimum luxuria permittit. Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Videre ebrios per littora errantes, audire symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, quid necesse est? Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longissime fugiamus. Indurandus est animus, et à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vina *Hannibalem* hyberna solverunt, et indomitum illum nivibus et Alpibus virum enervarunt fomenta Campaniae. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est, et quidem genere militiae, quo nunquam quies datur. Debellandae sunt inprimis voluptates, quae saeva quoque ad se rapuerunt ingenia.

246

Cum bellum Graeciae indiceret *Xerxes*, animum tumentem oblitumque, quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius ajebat, Graecos ad primam adventus famam terga versuros; alius, nihil esse dubii, quin illa mole non vinci solum Graecia, sed obrui posset; alius vix patere coelum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in hunc modum multa jactarentur, quae regem nimia aestimatione sui furentem concitarent, *Demaratus* Lacedaemonius solus dixit, ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam et gravem metuendam esse ducenti. In primo statim monte, inquit, Lacones objecti dabunt tibi sui experimentum. Tot ista millia trecenti morabuntur, haerebunt in vestigio fixi, et commissas sibi angustias tuebuntur. Aestimabis futura damna, cum computaveris, quanti Thermopylarum angusta constiterint. Ob hoc ipsum te Graecia vincet, quia exercitum tuum non capit. Acciderunt, quae *Demaratus* praedixerat, stratusque per totam Graeciam *Xerxes*, intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. *Demarato* gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, et permisit petere, quod vellet. Petit ille, ut Sardis, maximam Asiae civitatem, curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens. Id

solis datum regibus. Quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret regi!

247

Vide, mortales quam iniqui sint divinorum munerum aestimatores. Etiam professi sapientiam queruntur, quod non magnitudine corporis aequemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros; quod nos sagacitate narium canes vincant, acie luminum aquilae, spatio aetatis corvi, multa animalia nandi facilitate. Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra Deum sumus. Quanto satius est, ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reverti, et agere gratias, quod in hoc pulcherrimo domicilio terrenis nos praefecit Deus! Quicquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanto valentiora animalia subegerimus, quanto velociora adsequamur. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum, cui nihil non eodem momento pervium est, tantum frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias acervatarum. Horum autem nihil invenies, quod te esse malles. Ita bene aestimata naturae indulgentia confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuit Deus, habetque. Et, qui maximus tribui honos potuit, à se proximos collocavit.

Mortales stulti non lance expendimus aequa
 Munera quae magni scimus habere Dei.
Illae non vulgi veniunt ex ore querelae:
 Quis putet? hac audis voce sonare scholas.
Bellua, quae monitis obtemperat Inda magistri,
 Cur longe humano corpore majus habet?
Cur non aequat homo cervi velocia crura,
 Cur non ad nubes se levat ales humo?
Cur non ut taurus metuenda fronte minatur,
 Cur canis haud dubio vincit odore sagax?
Cur aquilae feriunt oculi de nubibus altis,
 Et certam praedam visus acutus habet?
Cur non longa datur corvi mortalibus aetas,
 Cur non ut cervis per freta nare datum?

248

Illud vide, ne ista lectio multorum auctorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est, iis, qui nullius se ingenio familiariter adplicant, sed omnia cursim et properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumtus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quae saepius transfertur; nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii compara, nec minus adversus alteras pestes. Et, cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas.

249

Putas, me tibi scripturum, quam humane nobiscum hiems egerit. Ego vero aliquid, quod et mihi et tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem? Hujus fundamentum quod sit quaeris? ne gaudeas vanis. Ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Hoc ante omnia fac: disce gaudere. Existimas, me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoveo. Imo contra, nolo tibi unquam deesse laetitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra te ipsum sit. Ceterae hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt; nisi forte tu judicas, illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, fidens et super omnia erectus. Mihi crede, res severa est verum gaudium. Ad verum bonum specta et de tuo gaude, sive te ipso et tui optima parte. Veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud, interroges, aut unde subeat. Dicam.

Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemtu fortuitorum, ex placido vitae et continuo tenore unam prementis viam. Nam illi, qui ex aliis propositis in alia transiliunt, quomodo habere quicquam certum mansurumve possunt? Ideo constituendum est quid velimus, et in eo perseverandum.

250

Scitis, quam gratum nobis sit, hac aetate in hominem incidere, quem cum viris antiqua Romanorum vel Germanorum virtute comparare possimus, maximeque, si ex ingenti turba ducum avidissimorum exemplum paene incredibile animi pecunia invicti eminere videmus. Accipite tale et cum stupore admiramini, qui Wirtembergiam et Stuttgartiam incolitis. Friburga, capite Brisgoviae, literae ad nos perlatae sunt, hujus sententiae: Hodie *Cointetus*, dux cohortis, qui per menses quatuor praefecti militaris locum in hac urbe tenuit, à nobis discessit, postquam ita se gessisset per omne illud tempus, ut satis digne collaudari non possit. Ille enim cum fere nullo exemplo abstinens fuisset alieni, atque adeo in periculum venisset, ne malis artibus adversariorum, loco suo dejiceretur, huic civitati et reipublicae Brisgoviorum manifestis utilitatibus allatis, immortalem sui memoriam, in animis omnium Brisgoviae civitatum fixam reliquit. Hic cum Evocatos Brisgoviae certiores fecisset, se jussum provincia decedere, hi officiosissimis ad eum literis datis memorem beneficiorum animum testabantur, simul orantes per oratorem, ut parvum grati animi pignus acciperet. Quibus ille pecuniam remisit, hac prosecutus epistola: Quos mihi dandos curastis, Viri, aureos Ludovicianos, vobis remisi. Si modus, quem secutus sum, in officio praefecti militaris fungendo, vestrae reipublicae aliquid commodi adtulit, vestram ego grati animi testificationem et favorem omnium bonorum pro honorificentissimo praemio feram, quod utique unum quaerendum est optimo cuique Gallorum. Hoc mihi ut servetis, oro, fidem meam interponens, me vestri inprimis esse observantem. O excelsi hominem animi! Hujus virtus majus populo suo decus conciliavit, quam hostes proeliis victi, et terrae armis subactae.

251

Quicquid longa series multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Esset aliquod imbecillitatis nostrae solatium, rerumque nostrarum, si tanta celeritate repararentur cuncta, quanta finiuntur. Nunc incrementa longe exeunt, festinatur in damnum. Quae domesticis bellis steterant regna, quae externis, impellente nullo ruunt. Quotaquaeque civitas felicitatem pertulit? Omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaja clarissimarum urbium fundamenta consumta sint, nec quicquam extat, ex quo adpareat, illas saltem fuisse. Non tantum manufacta labuntur, non tantum humana industria posita vertit dies. Juga montium diffluunt, totae desedére regiones. Operta sunt fluctibus, quae procul à conspectu maris stabant. Vastavit ignis colles, per quos elucebat, ipsius naturae opera vexantur; ideo aequo animo ferre debemus urbium excidia. Cogitanda sunt omnia, et animus adversus ea, quae possunt evenire, firmandus. Tota ante oculos sortis humanae conditio ponatur. Nihil nobis improvisum esse debet. Quid enim est, quod non fortuna cum voluit, et florentissimo detrahat? quod non eo magis adgrediatur, quo speciosius fulget? Nullum tempus exceptum est, in ipsis voluptatibus causae doloris oriuntur. Bellum in media pace consurgit, et auxilia securitatis in metum transeunt.

252

Neminem non nostrûm, qui suum hominis officium arbitratur, ut rebus bonis aliorum laetari, ita alienis incommodis graviter moveri, perlatis ad nos nunciis de clade ab ictu grandinis, et dejecta nubibus imbrium vi, agris inflicta, credibile est, penitus animo commotum ingemuisse. Quam subita vice popularium nostrorum, qui Tubingam, Lustnaviam, Plochingam et vallem à Remiso flumine cognominatam incolunt, laetitiae de reddita pace et ejus commodis in patriam, redundantibus successit squalor et luctus, ob vinearum arvorumque spem profligatam! Quis nostrûm illo, quod nostrae aetati turpissimam inurit maculam, vitio hominum, omnia ad se suasque utilitates revocantium, adeo rapi se sinat, ut dicere

non dubitet: quid ad me istorum fortuna? dummodo mea vinea, meus ager fructum reddat speratum. Equidem ejusmodi hominum, quid dico hominum, qui isto magnifico nomine ne digni quidem sunt? contubernio uti nolim. O calamitosos cives! Qui vulnera, à bello inflicta, se sperabant ex ubertate agrorum, cujus spes erat, non sanaturos, sed levaturos, his unius vesperi, sive unius horae casus infelix spem anni eripit, et qui fomenta dolorum exspectabant, eos in conditionem de salute desperantium similem abjicit. Illi vero non possent non animum despondere, nisi fiduciam haberent positam in Dei cura rerum humanarum, quae calamitates quoque sapienter et benigne sinit accidere, et in auctoritate ac fide literarum sacrarum quae sola eam vim habet, ut animum hominis rebus adversis fractum jacentemque erigat. Forsan nobis in mentem venit optare: Utinam mihi contingat, rerum copia circumfluere! quam vellem imitans Deum de eo, quo abundarem, impertiri! An noster nos animus fallit, si nobis persuademus, ad sublevandos homines adflictos divitiis nos usuros? Paucitas eorum fortunatorum, qui, quos ad usus acceperint divitias suas, intelligunt, dubitare nos jubet, an à natura nostra simus id impetraturi.

253

Si homini privato acerbum est, amico spectatae fidei orbari, cum ei difficile sit, alium, qui in locum mortui succedat, reperire: quanto magis luctuosum esse oportet principi, orbari viro in familiaritatis jura recepto, cum amicus principis, à servili assentatione alienus, ex tam raro sit hominum genere, ut multi essent, qui amicitiam inter principem et hominem loco inferiorem fingi non posse dictitarent. Quam sententiam si non refelleret ea, quae inter Principem nostrum et familiarem ejus nuper fato functum intercedebat amicitia, historia nobis refert extitisse principes, quibus habere amicos contigerit et qui desiderio eorum graviter moverentur. *Hephaestionem*, *Alexandri* amicum, quis ignorat? Hunc refert *Curtius*, longe omnium carissimum fuisse regi, omnium secretorum arbitrum, jus libertatis in admonendo eo unum habuisse. Hoc deinde Ecbatanis mortuo *Alexander* hunc casum immoderate ferens, ut triduo abstineret cibo et potione, sumtuosissimas exequias ei jussit fieri, decies mille talentis

impensis. Pariter *Augustus* fidelissimos amicos habuit *Agrippam* et *Maecenatem*. Ille flagitia filiae *Juliae*, non tam ipsi vindicanda quam tacenda, turpitudine in ipsum redundante, parum potens irae publicaverat. Post, interjecto tempore, cum verecundia in locum irae successisset, gemens, quod illa non silentio pressisset, saepe exclamabat: Horum mihi nihil accidisset, si *Agrippa* aut *Maecenas* vixisset. Adeo erat difficile, tot millia hominum habenti, duos reparare.

254

Oportet hominem ab homine ob id ipsum, quod homo est, non alienum videri, ut in membris alia sunt tanquam sibi nata, ut oculi, ut aures; alia etiam ceterorum membrorum usum adjuvant, ut crura, ut manus; sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt; at formicae, apes aliorum etiam causa quaedam faciunt. Multo magis haec est conjunctio hominis. Communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens, et legibus parens, et civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus quam unius alicujus aut suae consulit. Nec magis vituperandus est proditor patriae, quam communis utilitatis aut salutis desertor, propter suam utilitatem aut salutem. Ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem oppetat pro republica, quod doceat, cariorem esse patriam nobis quam nosmet ipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata ducitur eorum, qui negant se recusare, quominus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur: certe verum est, etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum. Ex hac animorum adfectione testamenta commendationesque morientium natae sunt. Quodque nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos.

Non hominis vox est, sed dirae injuria linguae,
 Dicere: damna hominum sunt aliena mihi.
Dicere: si cineres hos tristia busta recondunt.
 Quicquid ubique loci est, fervida flamma voret.
Tum me non tanget vasti sors ferrea mundi
 Ex lacrymis illis nempe remotus ero.

Dicit homo: seri quoque sunt mea cura nepotes,
Officium poscunt secula sera meum.
Pro patria hanc animam mihi si profundere fas est;
Tunc erit hac anima carior illa mihi.

255

Tibi vitandam praecipue existimo turbam. Nondum te illi tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur; aliquid ex his, quae fugavi, rediit. Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod vitium nobis aut imprimit, aut nescientibus adlinit. Quo major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Subducendus est populo tener animus et parum tenax recti. Facile transitur ad plures. *Socrati*, *Catoni* et *Laelio* excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset; adeo nemo nostrûm ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum aut luxuriae aut avaritiae multum mali facit. Convictor delicatus paullatim enervat et emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes, quamvis candido et simplici, rubiginem suam affricuit. Recede in te ipsum, quantum potes; cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt. Homines dum docent, discunt. Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere; tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior, redeo, ambitiosior, luxuriosior.

256

Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostrae reipublicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex literarum monumentis repetere instituo; multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intelligo, cum animi

ratione, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc sententiam ducit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Quare si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis dicitur; qui vero ita se armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his pugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

Dulcis habet magnas hominis facundia vires;
Saepe tamen sub eo melle venena latent.
Nil lingua facili, nil aptius ore diserto,
Si vultis causae tela parare malae.
Cecropis hoc telo cepit *Pisistratus* arcem,
Subjecitque gravi libera jura jugo.
Quid fuit, ut tremeret Gracchorum Curia motus?
Attraxit plebem lingua diserta levem.
Haec multos populos corpus contraxit in unum,
Bellonae extinxit saepius illa faces.
Haec inter gentes firmissima foedera sanxit,
Haec illas sancta junxit amicitia.
Facundas si non acuit sapientia linguas,
Non magnae populo causa salutis erit.

257

Superiori *Africano* debitum honorem etiam hostis praestare non dubitavit. Si quidem rex *Antiochus* bello, quod cum Romanis gerebat, filium ejus à militibus suis interceptum, honoratissime excepit, regiisque muneribus donatum ultro et celeriter patri remisit, quanquam ab eo tum maxime finibus imperii pellebatur. Ad *Africanum* eundem, in Liternina villa se tenentem, complures praedonum duces videndum eodem tempore forte confluxerant. Quos cum ad vim faciendam venire existimasset, praesidium domesticorum in tecto collocavit, eratque in his repellendis occupatus. Quod ut praedones animadverterunt, dimissis militibus, abjectisque armis, januae adpropinquant, clara voce nunciantes: non vitae ejus hostes, sed virtutis admiratores venisse, conspectum et congressum tanti viri, quasi coeleste aliquod beneficium expetentes.

Proinde securum se spectandum praebere, ne gravaretur. Haec postquam domestici *Scipioni* retulerunt, fores reserari eosque intromitti jussit; qui postes januae tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctumque templum venerati, cupidi *Scipionis* dextram adprehenderunt, ac diu deosculati, positis ante vestibulum donis, laeti, quod *Scipionem* vidisse contigisset, ad lares reverterunt. Quid hoc fructu majestatis excelsius? quid etiam jucundius?

258

Caveant adolescentes, ne tempus aut nihil agendo, aut frivolis rebus fallendo terant, aut in iis rebus versentur, quibus soluti animi à proposito vitae munere avocantur, et graviorum rerum fastidio capiuntur. Ars longa, vita brevis. Quisquis rem magnam et arduam intra breve tempus perficiendam suscepit, nonne hunc oportet sine mora opus adgredi, et intento labore ad metam curriculi pergere, non haerentem circa res à proposito alienas? Qui si ad rem serius accesserit, nonne vires tanto magis intendat et temporis etiam diligentiorem habeat rationem necesse est? Puerilis autem aetas maxime idoneum est ad discendum tempus; ea aetate origini suae propior est vita, necdum curis turbata et aerumnis; insitum natura sciendi desiderium, erectaque animorum vis, et semper aliquid agendi necessitas, quaeque doctrinis insunt magna invitamenta, animique integer vigor, indolesque rerum, quae extrinsecus feriunt mentem, capacissima, ingeniique in comparanda rerum similitudine celeritas, ardensque in imaginibus concipiendis impetus et fida rerum custos memoria, teneram aetatem quaelibet discentem magnopere adjuvant.

259

Cessantem in discendo adolescentiam funesta excipiunt incommoda. Qui homo nihil artium didicit, nullas ad rempublicam adfert utilitates. Quicquid est ei operis faciendum, id etsi anxio animo et magno labore susceptum, tamen, cum rem nec usu tritam, nec ratione cognitam habeat, non aliter quam inscite conficietur. Deinde num quando sperare potest, praecipuos sibi honores delatum iri, vel munus etiam capessere, quin rempublicam et

sacram et civilem, dato stipendio fraudet, utrique male consulens? Tum omnium contemtu notatus vivet, agitatusque poenitentia et indignatione neglectum tempus respiciet, votisque centies revocabit, quanquam neque haec vota exaudiri, neque tempus reparari potest. Sed impensa à pueris opera ipsa sui est merces. Qui homo ingenii sui vim splendide excoluit, quantam ille adferre his, quibuscum vivit, utilitatem potest, quantam postea futuris!

260

Equidem nescio, an vos quicquam salubrius usu discere per ferias auctumnales potueritis, quam hoc, quae vita non certo vacet muneri, eam nescio quid vacui habere, quod nullis oblectamentis, quamvis novis aut variis, explere possimus, ut nostri nos poeniteat. Cui nullum opus datum est, quod statuta hora eum excieat, is in mollem inertiam, quae res maximas procrastinat, facile delabitur. Quo genere hominum ut nihil miserius esse potest, ita beati existimandi sunt, qui necessitatem, et corporis et animi vires ad suam aliorumque utilitatem convertendi, salubriter esse institutam in vita hominum intellexerunt. In quo beatorum numero si vos quoque estis, pergratum vobis sit illud necesse est, quod intermissae vestri relaxandi causa scholae repeti coeperunt. Quam vero pulchrum, quam jucundum est, simul cum pluribus tempus in opere consumere, quam deinde dulce, peracto opere diei, hujus bene collocatae conscium quieti se dare! Nae, qui desidia languent, illi ignorant, quam sincera voluptate potiri nolint. Utinam ego vos omnes et monito et exemplo efficere impigros possim, et vobis persuadere, ut omne tempus, quod impendi bonae rei potest, tanti faciendum putetis, quanti *Plinius* major, et quicunque viri priscae et recentioris aetatis industriam illius aemulantur.

261

Ad patriae caritatem pertinet quoque illud, ut eorum popularium, qui patriam ingenio et arte foris ornant, fama delectere. Quis est, quem adeo non moveat dignitas ejus populi, in quo natus educatusque et eruditus est, ut non gaudeat, vicinas gentes bene de eo existimare. Quo ignobilior est fama populi, eo gratiora sint necesse

est, quaecunque plus honoris illi adferunt. Igitur, quam gratum est Suevis et nostratibus, qui vero decori aliquid tribuunt, quod non solum homines eruditi, sed etiam artifices inventoresque gloriosa ediderunt peregrinis gentibus documenta, apta esse indole ad doctrinam artesque hunc populum. Nostramne nos Wurtembergiam non magnam ex eo laudem putemus ferre, quod in numero statuariorum certatim contendentium cujus sit decus, illud *Carolo* Archiduci, quem Germaniae vindicem jactant, decretum monumentum conficere, duo Stuttgartiae facti magnamque celebritatem adepti, quorum nomina ipsi nostis, publice nominati sunt? Annon cupiamus, alteri eorum mandari opus illud honorificum? Aeque de nominis nostri gloria meruit popularis noster, Neoburgo oriundus, cui nomen *Fauler*, qui nuper Parisiis, in qua urbe praeest officinae alutam saffianam optimae notae conficientium, publicum tulit praemium. Me quidem miseret vecordiae ejus adolescentis Suevi nominis, cujus animum ejusmodi exempla nihil movent.

262

Ut Graeci omnia, quae ingeniis hominum excogitata sunt salutaria, ad Deos eorumque vim referebant, ita artem medendi dicebant ab *Apolline* inventam. Quam scientiam cur non esse divinam judicaverint? Nonne illa mortalium mala, quae corpori accidunt, si non omnia tollit, tamen ita mitigat, ut sint tolerabilia, et certe ad tempus doloribus liberat? Quo sunt acriores, quoque magis insanabiles morbi aut vitia corporis, eo pluris aestimatur auxilium medentis. Qui si, praeterquam quod in arte sua versatus est, hominibus bene cupit, ut iis quoque, à quibus nulla merces speranda est, opem ferre sit paratus: quid potest cogitari praeclarius munere medentium? Haud dubie acerbissimam aerumnam patiuntur homines oculis capti, sive natura sive morbo et alio casu. Quis nostrûm est, cujus animum non totum commoveant illa noti cantici verba: vehementer gaudeo, quod oculorum fruor lumine! His verbis quantopere putatis eos commotum iri, quibus prospere adhibita medela hominis, qui in hac urbe oculis curandis operam dabat, lumen oculorum reddidit? Optabilem profecto artem ille homo in promtu habet. Cujus si animi magnitudo aequat artem, facile invideas ejus fortunae. Utique beatus existimandus

est, cui a Deo tributum est, ut eorum, quibuscum vivit, res efficiat prosperas et laetas, qua re ad Dei similitudinem accedunt mortales. Si quis vestrûm sentit, natura se ferri ad operam scientiae medentium aut vulnerum tractandorum arti dandam, à Deo se jussum credat, in eo genere hominibus aliis prodesse, qui de hominum salute inprimis mereant.

Felix, cui luctum solari pectoris aegri
Et laeta in terris spargere posse datur.
Ille Deo similis moestas descendit ad aedes
Et siccat, lacrymis quae maduere, genas.
Ille Deo plenus toto circumspicit orbe,
Quae possit cupidos ad mala ferre pedes.
Hoc ego divino felicem nomine dico,
Hippocratis docta qui levat arte malum.
O artem pulchram, quae pellit docta dolorem,
Quaeque diem miseris mollius ire jubet.
Quae dulci somno languentum lumina claudit,
Quae facit, ut longus deserat ossa dolor.
Galeni et *Celsi*, quid vestro munere majus,
Quid sol ex celsa pulchrius arce videt?
Mite cor ad lacrymas si vestrae jungitur arti
Ingenio comis si sociatur amor;
Si non auxilium maturant praemia vestrum,
Sed cuivis ad opem sedula cura venit.

263

Paucis mensibus abhinc nostri cura Principis scholam condidit, in qua adolescentes militum vulneribus tractandis olim adhibendi arte medendi et vulnera tractandi et disciplinis ad eam pertinentibus, gratis erudiuntur. Ad id terni viri, qui doceant, et Ludovicopole et Stuttgartiae constituti universae disciplinae curriculum intra triennium emetiri jubentur. Cujus scholae utilitas ut latius pateret, auctor illius etiam ministris et tironibus hominum in utraque urbe chirurgiam profitentium illas scholas simul frequentandi copiam fecit. Qui docent, quaternas per hebdomadem scholas habent. Si inter omnes constat, quam multos vulneratos, aut corporis vitio adfectos misere confecerit, et quotidie conficiat turpissima artis ignorantia, magna est curae Principis gratia habenda, et congratulandum patriae, quod peritiores vulnerum tractandorum

homines posthac habitura est. In hoc duo sunt, quae maxime cupiunt, qui bene volunt hominibus. Primum, ut plures adolescentes bonae indolis et recte educati addiscendam artem vulnera tractandi animos inclinent, quae ars tot adfert ad vitam communem utilitates; deinde, ut horum adolescentium animi exstimulentur, ut in curandis vulneribus tractandisque aegrotis non solum artem ac diligentiam Gallorum, sed magnam quoque fidem et humanitatem imitandam sibi proponant.

264

Qui Madagascaram insulam incolunt, supremum esse numen credunt, *Zanhare*, sive omnium rerum conditorem adpellantes. Hoc numen colunt ac venerantur, nullis tamen templis ei consecratis, neque magis specie ejus simulacris expressa. Boves ei ovesque immolant. Ad immortalitatem animorum quod attinet, suos animos credunt post mortem in ea loca, quae incolit *Zanhare*, venturos; sed nequaquam concedunt, animos hominum post mortem ullo malo adfici posse, in quo quidem vehementer errant. De bonarum rerum malarumque discrimine persuasum habent, in hac vita optimum quemque innocentiae et probitatis ferre fructum, quippe florentem valetudine et amicorum constanti fide auctum bonis, gaudentem pietate liberorum morem gerentium, beatum fortuna suorum. Homini autem facinoroso credunt prorsus contraria eventura. Hoc habentes persuasum, cum jure jurando se obstringunt, ut ei, qui illud servat, fausta adprecantur, ita eum, qui violaverit, execrationibus devovent. Iidem paciscentes *Zanhare* sumunt arbitrum, neque fando auditum est, quenquam eorum violasse jus jurandum, utique solenni ritu datum, quem perhibent à suis majoribus esse praescriptum.

Pectora sancta virûm, probitas et candida virtus,
 His, crede, in terris praemia laeta ferunt.
Membra vigent illis, languenti libera morbo,
 Purpureoque potes cernere flore genas.
Fidus adest Pylades, firmo spectatus amore;
 In cujus ponunt laeta et amara sinu.
Illis latus ager longe promotus aratur
 Et circum colles plurima balat ovis.

Exauditque probi proles pia jussa parentis,
Ad sua tota domus munia sponte venit.
His datur, ut videant caros florere nepotes,
Stat fortuna domus, non agitata malis.

265

Inventi sunt, qui ad mare magnum, perfusi caede gentium, venirent, sed hi, ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt. Tunc cum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem *Alexandrum* furor aliena devastandi. *Cn. Pompejus*, insanus amore magnitudinis falsae, modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas ac maria pacanda vadebat. Hae praetexebantur causae ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam, quid in Septentrionem, quid in *Mithridatem* et Armeniam et omnes Asiae angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi non parum magnus videretur. Quid *Caesarem* in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria et ambitio et nullus supra ceteros eminendi modus. Unum ante se ferre non potuit, cum populus romanus supra se duos ferret. Quid? tu *Marium*, cum *Teutones Cimbrosque* concideret, cum *Jugurtham* per Africae deserta sequeretur, tot pericula putas adpetisse, virtutis instinctu? *Marius* exercitum, *Marium* ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, ipsi concutiebantur. Cum multis fuerunt malo, pestiferam illam vim, qua multis nocuerunt, ipsi quoque sentiebant. Non est quod credas, quenquam fieri aliena infelicitate felicem.

266

Rursus eximus, non eadem omnes via, sed eodem omnes, quo incertum est, quando et quomodo quisque nostrûm perventurus sit. Nec vero nihil interest, qua via eamus, et quomodo illuc perveniamus. Ad felicitatem et eam mortem, per quam transitur ad meliorem beatamque vitam una est via, videlicet via sapientiae et virtutis, qualem praescribit formula christiana. Noster quidem divinus religionis interpres, ait, portam esse arctam, qua sit transeundum, abjecta omni inutili sarcina, et viam esse angustam, quae ad veram ducat felicitatem; paucos esse, qui eam inveniant, paucos, qui ingrediantur.

Rursus eximus; ratio, animus, illa colendi Dei praeceptrix, suis nos prosequentes vocibus, acclamant: ne respicite blandas vitiorum commendatrices, viam plerisque tritam, quae ad perniciem ducit, circumsidentes, stultitiae, quasque in comitatu habet, pigritiae et corporis voluptati, quamvis blandissime invitanti, claudite aures, neque auscultate; deverticula quamvis maxime videantur amoena: sapite et rectam tenete viam, ne in paratas vestrae virtuti insidias incidatis. Ardua est omnino virtutis via, sed finem laboris proponit, felicitatem, quae nunquam finitur et quicquid passus sis aerumnarum, ejus praemia dat pulcherrima. In hoc si fixos habueritis oculos, omnia, quae obstant, facile viceritis. Nec deerunt, qui fortiter vobis praeeunt; hos fortiter sequimini; sed scitote, quo celerius in deteriora ruunt homines, eo plures insidiae vobis imminent, eoque fortiores vos esse oportet, si non morum labe tanquam torrente vos velitis abripi.

Rursus vela damus, ventis agitantibus aequor,
 Hinc scopulis caecis, fluctibus inde minax.
Per varios cursus ad portum tendimus unum,
 Et portum vario tempore navis init.
Cui divina *Pharos* monstravit lumina certa,
 Per tenebras dubiae lucida signa viae,
Haec tenuit rectum per tot discrimina cursum,
 Haec salva in portu navigat una suo.
Haec blandas voces Sirenum dulce canentum,
 Vitavit sapiens et bene surda fuit.
Praeteriit scopulos occulta clade minaces
 Evasit vasti tot fera monstra maris.
Sic navis, quae nunc exit, quoque nostra vehatur
 Et tangat portum fortiter acta bonum.
Arcta est et praeceps virtutis semita durae
 Sed metam fortes jam tetigisse juvat.
Porrigit haec verae palmam bene tacta salutis
 Quam stabilem nunquam terminat ulla dies.
Haec longos vitae pulchra mercede labores,
 Solatur, meritus praemia sudor habet.

267

Inveniantur licet in hac, quam dicunt, luce temporum, non dicam parentes, sed docendae educandaeque soboli operam dantes, qui aetatem teneram nondum esse aptam

sacris peragendis opinantes, hanc neque scientia eorum, quae ad religionem pertinent, erudiunt, neque Deum precibus colere jubent, tamen non longa disputatione opus est, à teneris adsuescendum esse pietati in Deum, et cultum Dei prima aetate coeptum incredibiles dictu utilitates adferre in omnem vitam maximeque in senectutem emanantes. Id quibus argumentis demonstretur, jam non exquirentes, ad *Jesum*, annorum duodecim puerum, animos convertamus. Hunc scimus id aetatis Hierosolymam ad commune sacrum cum parentibus suis profectum. Id ille non tantum ultro fecit, sed suspicari licet, parentes ab eo magnopere rogatos esse, ut ipsum ducerent. Neque illi erat cordi, hanc magnificam urbem visere; imo templum celebrare et religionis interpretes nosse, ejus intererat. Eumne alioqui sui parentes diu percunctati in templo sedentem et cum viris literarum sacrarum gnaris de rebus divinis disputantem deprehensuri fuissent? Nec minus credibile est, pios ipsius parentes puero, ubi primum sapere coeperit, scita religionis tradidisse. Nec temere hoc exemplum pueritiae *Jesu* memoriae proditum est. Cui exemplo si addimus, quod *Paulus* praedicat, puerum *Timotheum* à teneris perceptas habere sacras literas, praeceptrice matre ipsius pia, non ultra opus est testimonio, etiam parvulos rebus ad cultum Dei pertinentibus erudiendos esse, et ad operam illis dandam exhortandos.

In tenero pietas adolescat pectore nati,
 Et sacra accipiat semina mollis ager.
Hinc fructus laetus vitam florescet in omnem,
 Hinc sumet vires tarda senecta bonas.
Quid dubitas animos in idem formare tenellos?
 Exemplum *Jesu* pro ratione vide.
Ille puer cum jam bis senos viderat annos,
 Cum multis Solymas ad sacra magna venit.
Inque viam ducit mentis sacer impetus ipse;
 Me quoque duc mater, me pater, usque rogat.
Non illum invitant urbis regalia tecta;
 In tenero major pectore cura sedet.
Illum cura trahit, speciosum visere templum
 Et, sacra qui tradunt dogmata, nosse viros.
Quemque diu quaerunt, cum multo angore parentes,
 Hic sacra cupidus discere in aede sedet.
Hic ibi doctorum facundo pendet ab ore
 Hic ibi de sacris mutua verba serit.

Hos illum in mores formarat sancta *Maria*
Cum tutore pio, cultor uterque Dei.
Vis alium auctorem? puer ecce *Timotheus* ille
In sacris libris non rude pectus habet.

268

Meministis in sententiam, quae mihi quidem non vera videbatur, apud *Ciceronem* nos incidisse. Ait enim, quia ratione et sapientia voluptatem aspernari non possimus, magnam esse gratiam habendam senectuti, quae efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. Quid? senemne emeruisse stipendia cupiditatum? Quasi animus desinat servire libidinibus, cum ita languet senectute corpus, ut foedo animi libidinosi imperio obedire jam non possit. O inchoatam philosophiam istorum hominum! Quam longe aliter locuturus fuit *Cicero*, si praecepta morum à *Jesu* tradita, cognoscere ei contigisset! *Lucretiae* patrem et maritum, ejus consolandi gratia, dicentes facit *Livius*, mentem peccare, non corpus. Nos Christi formula eruditi credimus, nisi animis libidinum labe purgatis, probum esse hominem posse neminem. Num vero credibile est, senectutem id posse efficere? An non potius efficitur ratione et pietate in Deum? An placet exspectare, dum corpus effoetum recuset explendae libidinis ministeria? Quasi vero desint stulti senes utriusque sexus, qui corporis voluptati ad extremum usque spiritum serviunt; tanquam non inveniantur senes insani, qui libidinis constricti vinculis dominam patiuntur mulierem improbam. Imo nos ei, quam Christus tradidit, morum disciplinae magnam habeamus gratiam, quae nos jubet summa ope niti, ut etiam adolescentes animum liberemus vitiorum stimulis, eosque debellemus.

269

Invictae vel gratia vel precibus severitatis legum, quibus utuntur Britanni, maximeque earum, quae in homicidas sancitae sunt, exemplum nuper editum insigne, ephemerides referunt. Annis abhinc viginti, *Wall* tribunus militum, cum praeesset imperio Goreae, militem, non quidem gravis culpae reum, octingentas plagas imperando ad necem usque cecidit. Hic provincia decedens, in

continentem se contulerat, diuque passim vagatus cum deinde in Angliam rediisset, ibi comprehensus legum traditus est judicio. Harum sententia damnatus est, ut patibulo suspensus poenam lueret. Pro quo deprecantibus per literas duobus et septuaginta hominibus, erat enim homo caeteroqui innocens, tamen probata à rege judicum sententia, sumtum est de eo supplicium. Ejus collo cum injiciebatur laqueus, ex magna frequentia plebis clamor approbantium omnium exortus est. Adhuc infelix ille satis constanti vultu erat. Enimvero hoc testimonio publici judicii consternatus, ad carnificem conversus, ut accelerarct ministerium, rogavit. Hunc exitum habuit homo annorum quatuor et sexaginta, qui supplicium se evasisse forsitan putarat, periitque relicta vidua nobiliori nata genere, duabus adultis filiabus et filio novem annorum.

Exercet rigidas Astraea Britannica leges
 Inque foris aequa lance severa sedet.
Haec justos oculos denso velamine tecta
 Mollito nullos aestimat ore reos.
Orantum voces non audit, nescia flecti,
 Gratia non illam nobilitasque movet.
Non illam flectit facundia magna patroni,
 Poena non regis liberat ipse favor.

270

Cum *Cicero* literarum studia commendat, in extrema oratione hoc ponit: multi cum in potestate hostium aut tyrannorum essent, multi in custodia, multi in exilio dolorem suum doctrinae studiis levaverunt. Hanc utilitatem, quae ex vita in literis consumta in rebus adversis percipitur, ut probemus, non opus sunt exempla externa, occurrentibus animo domesticis. Talium virorum primum nomino eum, quo actore olim utebantur ordines provinciales, *Moserum*, spectatae innocentiae virum, quem acrius dimicantem pro jure civium in castello Altotvilae in custodiam dedit *Carolus* princeps. Hic ille fruens bonis, quae eripi non potuerant, id quod in ingenio et animo habebat repositum, loco quemcunque nanciscebatur vacuum inscribebat; qui cum deficeret, commentationes et multa carmina memoriter componebat. *Huberus* autem, qui non ita pridem Stuttgartiae decessit, erecti vir ingenii,

ultra calamos et libros nihil cupiebat, cum inclusus castello Aspergae libertatem in defendendis patriae commodis lueret, facile libris etiam cariturus. Ibidem arcta detentus custodia ille *Schubartus* carmina, quae gravissimi sunt argumenti, vimque habent maximam, componebat. Quam pulchrum est corpore vincto, sua fruentem doctrina, idem, quod *Ovidius*, posse dicere:

Caesar in hoc potuit juris habere nihil!

271

Fridericus victor, Princeps Elector Palatinatus pugna, circa Seckenhemum, quod oppidulum Nicro adjacet, superior discessit et tres principes adversus ipsum profectos in bellum, in quibus *Ulricum* Cari cognomine, comitem Wirtembergiae, captos Heidelbergam in castellum abduci jussit. Ibi dignas quidem principum persona coenas apparavit, sed nullo pane adposito. His autem, qui in custodia erant, etiam panem adponi postulantibus, seque utique ut fas esset jure belli haberi, ita respondit *Fridericus*. Non ego, sed vos jus belli violastis, qui ne iis quidem peperceritis, quae ubique gentium jure belli sancta habentur, et intacta debent relinqui. Vos quidem non tantum sementem agri et quem ostendebat panem, per lasciviam vel concussistis vel adussistis, sed etiam molas absumsistis incendio. Quod autem popularibus meis à vobis illatum est damni et penuriae, id mihi vobisque intulistis, ut jam vobis sit luendum carendumque pane, cui neque segetem reliquistis, neque molendi instrumenta. Hoc moneri vos oportet, ut, quae acerbo inopum civium labore sunt parta, iis posthac abstineatis opere eorum et labore omnia videntes niti, quae ad victum nostrum pertinent. Ut vulgo desita sunt bella crudeliter geri, ita indignum milite haberi coeptum est vastatos relinquere agros consitos. Cumque etiam in hoste quae honeste fiunt, laudanda sint, laudem ex eo meruisse Galli existimandi sunt, quod isto humanitatis officio magis functi sunt proximo bello, quam Germanici nominis milites.

272

Sigismundi Imperatoris flumen trajicientis equus urinam huic immisit. Quo viso, unus e: purpuratis, hic equus,

ait, morem obtinet domini, affundens aquam flumini. Pariter principem iis, qui ante abundarent argento, pecuniam et dona largiri, omissis, qui utrumque prae aliis mererent, eoque egerent. Id sibi dictum putans princeps, paulo post in deversorio duas pyxides, alteram auro, plumbo alteram impletam jussit poni, et hominem ex iis unam optare. Qui cum pyxidem plumbo impletam optasset, princeps, videsne ait, non mihi voluntatem sed tibi favorem fortunae deesse, et dona principum non ad eos potius, qui mereant, pervenire, sed quibus fato sint tributa. Eidem principi quadragies mille floreni sub noctem redditi sunt. Tum animo volvens, cui rei hanc pecuniam, quae illis temporibus ingens erat, impenderet, cum his anxius curis somnum capere non posset, propere cubitu surrexit, admissisque consiliariis praefectisque militum valde meritis, reserata arcula, videte, ait, hi importuni insidiatores somnum capere me non sinunt. Vos igitur quoniam ii estis, quibus debetur pecunia, accipite et suam quisque portionem sumite, ut ejus cura nihil impeditus possim quiete frui.

Cui non in mentem hoc loco venit illius scitae fabulae auctore *Gellerto* quae inscribitur: hilaris saponarius. Quam autem vere cecinit *Horatius*: Crescentem sequitur cura pecuniam!

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat
 Caecaque dat donum, cui libet, illa suum.
Cui Dea magna favet, plenam feret ille crumenam,
 Dum nullus fesso sudor ab ore fluit.
Auferet hic felix magnorum munera regum
 Dum claros meritis praeterit alma manus.
Casus ubique valet fatique potentia magna;
 Quid tamen est fatum? Numen ubique valet.

273

Fridericus I. Germanorum Imperator cum *Alexandro* Pontifici Romano qui ad Sutrium obviam ei factus equo voluit descendere, stapiam exteriorem subministraret, hic in contumeliam accepit, ratus, illius fuisse, subministrare interiorem. Ad id subridens *Fridericus*, ego, inquit stapiam subministrare non didici. Tibi primo ad hoc officium praesto sum, sed velim ex te scire, sponte, an quia oportet, illud tibi praestetur officium? Si sponte,

quis tandem ultro facientem accuset negligentiae? Sin oportet: mihi quidem videtur parum interesse, utra parte is praesto sit, qui officii causa accedat. Ille cum Pontificis Romani pedes oscularetur, et hic pedem cervici imponeret, additis his verbis: super leones et viperas incedes! non tibi, inquit, sed *Petro* is honor debetur. Complura extant ab eodem Principe sapienter dicta, qualia haec: Nihil magis decere principem, quam sponte obtemperare legibus. Nunquam vere gratiam habuisse, qui habere desinat. Satius esse, uni homini pio, quam mille impiis probari. Principem nemini esse obnoxium, nisi Deo et juri. Eandem ille, quam *Titus*, vocem edidit: Illam diem sibi videri perditam, qua neque pro Germania quicquam egerit, neque de jure popularibus reddendo providerit.

Olim terror erat populorum tripla tiara,
 Terrebat reges arx Vaticana bonos.
Fulmina de septem torquebat collibus olim,
 Roma minax, vana religione potens.
Indignum dictu! tot colla Augusta premebat
 Papa pes insultans tum metuende tuus.
Quid loquar *Henricos* solii ludibria sacri,
 Stantem ad *Gregorii* judicis ora reum?
At vice mutata, triplam nunc arma tiaram
 Terrent; cur vidit clara Vienna Pium?
Cur Pius externis animam exhalavit in oris?
 Romana nemo fulmen ab arce timet.

274

Redditus Galliae publicus Dei cultus, etiamsi publico maxime consilio id fieri placuit, tamen magnae partis civium desideriis respondit, et argumento esse potest, *Numam* et omnes, qui gentibus leges condiderunt, vere judicasse, cum, optimas leges, nisi adhibita pietate in Deum, nullam habere auctoritatem, et sine hac nullam stare rempublicam posse arbitrarentur. Id non modo Galli inter illam imperii sui mutationem ipsi sunt experti, sed etiam consules in ista promulgatione non dissimulant. Profitentur enim, moribundos, suo dolori relictos, non jam audiisse vocem consolantium, qui homines christiani nominis vitae melioris spe erigunt; Deum ipsum visum

ex rerum natura sublatum; solutas fuisse cupiditates, destitutam adminiculo honestatem, nulla erectos spe futuri calamitosos; omnia conspirasse ad lacerandam rempublicam; quae licentia ut reprimeretur, in antiquam formulam restituendum fuisse Dei cultum. Ad extremum his verbis alloquuntur cives: agitedum pro salute patriae, et quicquid est hominum aeterna concordia jungamus animos; haec Dei colendi formula, cujus beneficio ad humanitatem revocata est Europa, sit eadem pro vinculo, quo adstricti, quicunque hanc orbis partem incolunt, in gratiam redeant, quos illa poscit mores, hi semper ornent doctrinam, qua politum habemus ingenium.

275

Galli ut Dei cultum in antiquam formulam restituendam putaverunt, cum intelligerent, sine illo neque rempublicam stare posse, neque lapsam morum honestatem restitui, ita iidem publice providendum censuerunt, ut puerilis aetatis ingenium et mores doctrina informarentur. Nec quisquam infitias iverit, egregie initam esse illius rei consequendae rationem. In quo inprimis memorabile est illud, quod erudiendae juventutis curam suscepisse ipsa respublica videtur. Ita enim potissimum ardor et docentium et discentium alitur, cum oculos principum reipublicae in se conversos ab iisque aut laudem aut reprehensionem, praemium contemtumque debere exspectari vident. O fortunatam Galliam, si et docentium et discentium impiger labor spes laetas non fefellerit eorum hominum, qui veterem ibi honorem restituerunt literis! Atque isti quidem viri magnopere cupiunt, ut, quemadmodum patres armis vicerint populos, sic omnes finitimos artium cultu et literarum studio vincere annitantur filii. O praeclare victam à doctrina et arte eam, quae per bellum grassari coepit, et omnes bonas artes profligatura videbatur, barbariem! Nos quidem restitutos literarum ludos ut Gallis gratulemur, ita eosdem in pacis artibus tractandis aemulemur.

276

Cum multa alia sapienter dicta, tum haec prodidit *Lutherus*: Tria dicebat corruptura formulam Dei colendi à Christo traditam; primum oblivionem ingentium, quae

per illam consecuti simus, beneficiorum; deinde securitatem circa illam rem ubique regnantem; tum philosophiam quae sibi sumeret, omnia ad suum judicium comparare, et publicam concordiam impiis nec decentibus consiliis efficere. Quid de nostro seculo dicturum censetis virum illustrem? Nonne, quae praedixerit, ea videret evenisse? Idem ajebat, hominem non sapere, nisi quadraginta annorum; tum, cum incipiat videre ineptias suas, magnam vitae partem effluxisse. Bellum dicebat esse simile aureo reti, quo qui ad captandam praedam utatur, plus incommodi capere, quam commodi. Nominis Germani populos comparabat acri equo militari, cui, qui bene regat, eques desit. De consuetudine alienigenas reipublicae muneribus praeficiendi ita censebat: barbaros publicis honoribus fungentes barbarorum mala, eosdem et pestem invecturos in Germaniam. Equestris ordinis homines dicebat ultro imprudentes primum locum concedere calamo, insignientes illo galeam et pileum, in quibus olim fixissent setas equinas. Si quis eum interpellabat loquentem, binos ajebat facile una canere, sed loqui non posse. Interroganti cuidam, quid esset, quod homines cupide sectarentur aulas et gratiam potentium, ingentibus in fluviis, inquit, ingentes capi pisces; principibus suppetere copiam, unde locupletent homuncionem.

Doctrinam *Christus* quam divo prodidit ore
 Ictibus heu diris mox tria tela petent.
Magnorum capiet meritorum oblivio mentes,
 Illa quibus dederat formula sacra frui.
Mersaque securo somno Christiana jacebit
 Gens, illud magnum pigra tenere bonum.
Humanae tandem ratio temeraria mentis
 Bella Giganteis ictibus usque gerens,
Regnabit passim suetaque libidine grassans,
 Vincta trahet freno credula corda suo.
Divisis animis pacem suadebit amicam
 Ausaque consiliis conciliare malis.
Non fallunt, *Luthere*, tuae praesagia mentis:
 Te certum vatem secula nostra vident.

277

Quaerere, ut absumant, absumta requirere certant. Hic versus mutatis verbis significat, quod *Livius* et *Sallustius*

de urbe Roma queruntur, eam duobus diversis vitiis, avaritia et luxuria, laborare, quae magna imperia evertant. Has quis credat ex bello nasci? At res ita se habet. Omissis aliis patriam potius respiciamus. Quam multa, quamque varia instrumenta luxuriae, antea incognita, ex consuetudine hominum istorum libidini servientium, qui per occasionem belli in ea morabantur, cognovit? Pecuniae autem utendae quam negligens esse didicit? Apud eos quidem, qui ruri habitant, vetus parcimonia in domos videtur redire; sed in oppidis, maximeque Stuttgartiae, crescit cum paupertate luxuria. Cumque opus sit copia, unde expleatur illa cupiditas, alterum oritur malum, avaritia, quae quidvis audet, ut, quae bello sunt amissa, celerrime recuperet. Sed huic quoque nihil aliud propositum est in plerisque, quam ut facultas suppetat, unde genio indulgeant, aliorumque aequent vitae splendorem. Haec avaritia varii generis furta gignit, aperta occultaque, omne scelerum genus eosque homines, qui, dum id quod volunt, consequantur, divina humanaque jura pensi non habent. Quis enumeret omnes artes pecuniae faciendae, quas excogitat avaritia et libido? Prae his negliguntur omnia, quae debent hominibus esse carissima. Inter talia exempla, quam difficile est eos, qui rempublicam capessunt, *Curii* et *Aristidis* tenere innocentiam! Quam difficile, invictum lucro servare animum, omnibus avaritiae servientibus! Postremo quam difficile, à moribus hujus seculi abhorrere inter tot imitandi invitamenta!

278

Non defuere, qui ita bene cuperent hominibus, ut palam censerent, sicut aerarium constitutum est, eorum causa, quorum tecta et reliqua bona absumsit incendium, ita sublevandae calamitati eorum civium, qui agris grandine vastatis in ultimam egestatem devenerunt, aerarium esse constituendum. Sed quamvis maxime proclivis sit aetas nostra ad commiserandam alienam miseriam, tamen huic generi hominum non sua culpa calamitosorum, adhuc publice provisum non est. Tale autem aerarium quanto solatio esset nostris popularibus, qui hoc mense vincas, arva, arbores ita vastari profligarique grandine, procella et nimbo viderunt, ut etiam spes proximorum annorum, unum calamitatis solatium, illis ademta sit. Jam nihil illis relinquitur, nisi ut expectent, qui popu-

larium in partem suae calamitatis venturi sint, et intacta sua laetaque arva grato animo respicientes, ejus quam metent copiae partem, quam ad se juvandos conferant, reposituri. O idoneam occasionem dandi beneficium! In ejusmodi tempora utinam illud quod placebat *Pythagoreis*, sed quid dubito dicere, primae aetatis Christianis, amicorum omnia esse communia, denuo et vulgo censeatur! Nos quidem damno alieno fruimur aëre liquido, fruimur laetissima specie vinearum arvorumque. Quo magis pateant aures animique omnium opibus florentium, vocibus publice exhortantium ad conferendum egestatis subsidium, non ut alius alium expectet, vel alius alium intueatur, dubius, quid facto sit opus; sed ut sui quisque animi impetum sequatur, et pro suis facultatibus impertiatur.

O miseri cives, misere qui vota coloni
 Cum nimbo infesta grandine strata vident!
Hic, ubi pampinea laeta uva laetebat in umbra,
 Nunc raptum moeret vinea nuda decus.
Hic, ubi florebat ramis felicibus arbor,
 Nunc passim ventis eruta multa jacet.
Longorum jacet annorum spes grata colonis,
 Pro pomis arbor dat sua ligna foco.
Hic, ubi laeta seges gravidis caneret aristis,
 Relliquias steriles falx ibi curva metet!
At mentes hominum quis jam solabitur aegras?
 Unde malo pressis dulce levamen erit?
Si patria audisses hominum pia vota bonorum,
 Fiscus opem damnis nunc erat unde dares.
Arca tamen populi tectorum incendia pensat
 Et raptas reparat publica cura domos.
Arvorum damnis nulla est solamen ab arca;
 Ad patriam frustra confugit ille dolor.
Heu lacrymis illis oculos ne claudite duros
 Vos, quibus est luctus posse levare datum.
Haec aetas faciles praebet lugentibus aures;
 Haec quoque ne veniat vana querela, precor.

279

Non immerito egregius ille *La Harpe*, quo praeceptore olim usus est *Alexander*, Russiae Princeps nulli aequalium comparandus, honoribus et praemiis cumulatus rediit. Hiç postquam adeptus est imperium, oculos et principum

et populorum in se convertit, et mores ad eam humanitatem ab illo altero *Aristotele* informatos ostendit, ut homines judicaturi sint, jam sibi non opus esse, *Titum* et *Trajanum* commemorare. Argumento est, quod nuper de beneficentia in calamitosos censuit. Vulgaris mos stipem in pauperes erogandi, nihil aliud quam eorum numerum auget, neque senibus aetate adflictis fruendi otio potestatem faciens, neque juveni jam, cum virere aetas debebat, marcescenti, valetudinem restituens, neque puerum, qui sua opera juvare debebat rempublicam, morti aut vitiorum contagioni eripiens. Saepe, quod praebendum erat patrifamilias, qui, diuturno laborans morbo, omnia desperat, eo benigne facientes fraudat hominis desidem agentis vitam importunitas. Beneficentia non in eo vertitur, ut miseriae, quam multi simulant, adspectu movearis, sed investigandi sunt calamitosi in suis domiciliis, locis istis dolore ac luctu plenis, dandaque opera, ut leniter tractando, salutaria consilia dando, denique quacunque ope et corpus et animum juvando, levetur eorum conditio. Nec quicquam obstare, quo minus res tam laude digna efficiatur, cum alii populi humanitate culti exemplis docuerunt, tum maxime civitas Hamburgi, in qua consociati cives boni et quieti, quindecim annis abhinc, sine ullo privato emolumento, nullo excitati praemio, in solatia hominum adflictorum, pio officio funguntur, alios quam sedulo quamque commode possunt, juvandi. Hoc exemplum sequi, animus est.

Mos est antiquus, stipe qui solatur egenos,
 Sed paupertatis nomina plura facit;
Ille benignus amor nullo solamine mulcet
 Aegros quos fregit curva senecta senes.
Non reddit juveni firmatum robore corpus
 Cui flos nunc marcet, qui modo laetus erat.
Non sceleri puerum, mortis non eripit umbris,
 Qui patriae fulcrum debuit esse suae.
Interdum dextram fallit pigra turba benignam
 Quodque dari merito fas erat, illa rapit.

280

Multiplex miseria mortalium nascitur ex inertia animi. Sicut mare, quod dicitur mortuum, aves volatu illud trajicientes exanimare fertur: ita illa pestis opprimit ten-

dentem ad optima vim animi, qui ad intelligendum et agendum est factus. Aeternum est cum illo malo avito certamen iis, qui religionem interpretantur, quique soboli educandae erudiendaeque operam dant, et omnibus, quorum est, sapientiam vulgare; nec vero tantum his, sed omnibus cum illo certamen est, qui hominibus volunt consultum, seu imperantes populis, seu magistratus seu ulli curae praefecti.

Inertia obstat, quo minus consilia maxime proba perficiantur; illam nisi vicisset virtus, multa non haberemus, quae ad vitae cultum sunt inventa, nihil magnarum rerum memoraret historia, nullus populus contra dominum impotentem coortus servitutem depulisset. Per eandem inertiam facile in potestate habent populos domini superbi; eadem fida adjutrice utuntur, qui superstitionem volunt vulgo persuadere. Eo fit, ut in oriente et apud populos rerum copia adfluentes dominetur; sed apud eos populos, quibus malignior fuit natura, velut ex somno vehementer excitatur. Haec est illa mulier, adolescentuli, quae dubitanti ad bivium *Herculi* persuadere voluit, ut ipsam sequeretur. Quodsi fuisset secutus, non ille gradibus magnorum facinorum evectus fuisset in Olympum, ut cum Diis accumberet. Expergiscimini, debellate inertiam! Instat illud tempus, quo turpem repulsam ferunt ignavi, honorantur boni; meritam notam principum non effugient, qui omnium artium ignari majorum bene meritorum gratia niti volunt.

281

Etsi magnam nos habere gratiam oportet iis hominibus, qui aut magnam impendentes pecuniam, aut multum suscipientes laborem, multaque adeuntes pericula, terras peragrando obierunt, quod illi, quae ab ipsis sunt cognita et explorata, nobiscum communicare, atque ut ingenia locorum, ita populorum mores commemorare nobis voluerunt: tamen beati à nobis existimandi sint omnes, quibus res et otium vel negotium occasionem suppeditat itinera faciendi, sive, quae ab aliis perscripta legerunt, suis oculis videndi. Menti nostrae ea vis inest, ut semel visa tanquam praesentia oculis possit reddere, idque quotiescunque libuerit. Ita si quis in amoenam regionem aut urbem profectus in magnam hominum rerumque notitiam venit: quam jucunda variarum rerum recordatione, quando animus est, fruitur! Jam ubi eum cupido incessit,

amicos et loca grata revisendi, non est quod iter suscipiat sumtuosum. Mens ipsius subito in viam se dat, ac repente quo vult delata, amicum in conclavi convenit, una librum legit, sermones cum eo serit, cum eo accumbit, hortum cum eo visit, familiares salutatum vadit, nec visa nec inhibita; haec omnia quam celerrime. Haec voluptas, quam mente capimus, modo ne sit segnior, solitudinem nobis ita jucundam reddit ac valetudinem etiam ita tolerabilem, ut non sit mirandum, quod erectioris animi homines cupidissimi sint itinera faciendi. Equidem nescio, an homini ad amicitiam nato suavius quicquam possit contingere, tali migratione mentis ex loco in locum et ex terra alia in aliam; illa vero maria repente trajicit, et amicum in ultimis terris morantem vesperi salutatum venit.

282

Casus virginis, cui nomen est ab Aurelia inditum, ille, quem nostis, *Schroekh*, exponit his verbis: Aureliam, urbem nobilissimam, quae in officio manserat *Carolo* Gallorum regi, quum Angli obsidebant, brevi expugnatum iri sperantes: miraculo simile auxilium urbi venit. Virgo plebeja, fere duo de viginti annorum, cui nomen *Joanna*, robusto corpore, alacri animo, apta ad virorum munia, tam invicta movebatur cupiditate, patriam ab Anglis vindicandi, ut se maxime à Deo delectam opinaretur, quae obsidione liberaret Aureliam. Rem illa ad duces *Caroli* et ipsum defert. Hi nihil praetermittere, quo illam talia sentientem confirmarent, quia res tam nova visu et insolens, non poterat non vehementissime afficere animos militum. Induta vestitu virili, instructaque equo et omni armorum genere ornata, simul variis consecrata ceremoniis, agmen militum jussa est ducere, cujus praesidio commeatus importaretur Aureliae. Et illa bene rem gessit. Vexillum altera manu gerens, altera gladium, exhortata milites, per Anglorum stationes in urbem arma intulit, hostesque valde munito loco depulsos, obsidione urbis absistere coëgit. Igitur Galli omnes eam pro vindice divinitus missa habere; Anglis, pro illius temporis superstitione haec omnia à malo daemone adjutam patrare credentibus, eoque magis animum despondentibus. Multa deinde alia facinora cum fortiter patrasset, postremo comprehensam Angli, artis magicae aliorumque criminum

insimulantes, re autem vera poenas expetituri, vivam cremarunt.

283

Homines, quorum ingenium pravum insanabile est, aut e medio tollendi sunt, aut in castellis ergastulisque perpetua constricti custodia impediendi, quo minus in eos, quibuscum vivitur, pestem inferant. Illud cum principes et magistratus aegre decernant, non temere abjiciendam esse animam hominis existimantes, ad hoc decurrunt, sperantes, multorum annorum custodia effici posse, ut ad frugem se recipiant homines flagitiosi. Sed usu experti scimus, id quod habeant propositum magistratus, tantum abesse ut consequantur, ut ejusmodi homines poena defuncti ad ingenium redire soleant. Quibus poenis quia nihil proficitur, quidam censuerunt, istos insanabilis ingenii homines in terram longinquam aut insulam deportandos, ibique copiam faciendam, ut viribus utentes suis utilitates in medium adferant. Hoc consilio rex Borussiae non ita pridem complures in ergastulum datos deportandos in Sibiriam dedit. Et nuperrime accepimus, chiliarchum Batavae gentis obire Germaniae civitates, jussum à suis magistratibus, datos in ergastulum homines accipere, in Bataviam et ceteras Batavorum colonias deducendos. Laetam ea res spem ostendit ei homini, qui neminem non hominis officio fungi cupit. Annon sperare licet, fore ut multi istorum infelicium, aut jure familiae juncti, aut quibus utebantur familiaritatibus exemti, aut agris, quos colant, acceptis, ad sanam mentem reversi, vitae ut decet ac homine dignum est agendae adsuescant? Multum profeceris, si ab homine impetraveris, ut hominem se esse intelligat.

284

Hamburgi sexto Calendas Sextiles monumentum memoriae Professoris *Büsch*, gravis viri meritis, qui biennio abhinc decessit, operam dante illius civitatis collegio hominum de adjuvandis artibus et quaestibus bonis cogitantium et collata à multis civibus ingenti pecunia perfectum, in vallo ambulationibus concesso, quo ex loco in immensum prospicitur, absoluto opere positum, et coram multis illius collegii, iisque, qui monumento

statuendo suffragati erant, oratione habita dedicatum est. Infra caelatam viri meriti effigiem inscriptum est: *Joanni Georgio Büsch*, amico patriae! in basi autem haec verba: à gratis civibus. Ergo licet dicere, quod *Plinius minor* cuidam familiarium in solatium calamitosis temporibus scribit: adhuc honor studiis durat. Nec vero tam illud monumentum valde honorificum est egregio viro, quam pietas civium, qui illud non magis doctrinae ejus ac meritis, quam quod majus est, moribus ac virtutibus posuerunt. Ille adolescentes scientia mercaturae, et quaecunque ad illam pertinet doctrina, non solum per se erudivit, aliorumque opera erudiendis praefuit, sed etiam libros super illa scientia conscripsit, qui vulgo censentur maxime idonei. Per hos qui tempori, omnium rerum edaci minus obnoxii sunt, quam monumenta ex aere et saxo, mansuram nomini suo memoriam comparavit; per eos autem, quos doctrina sua eruditos reliquit, potestatem nactus est ingenia succedentis aetatis et suae civitatis felicitatem, suo ingenio etiam post mortem juvandi. Hoc praestat ingenium, cui accedit probitas, quod ejus vis in hominum mentes nec morte extinguitur. Talis autem homo quam aequo animo ex vita decedit!

285

Qui ineunte hoc mense decessit et belli et pacis artibus inclutus frater regis, quem sua aetas dixit unicum, dux belli adeo peritus, ut ingens à fratre testimonium tulerit, eum bello septem annos tracto, nihil unquam perperam fecisse, ipse inscribendum sepulchro suo dedit hoc: Per generis fortunam in mobilem vanae ambitionis orbem conjectus, quam ut vulgus splendidam ac magnificam dicit, ita fragilem ac inanem esse homo sapiens videt, vitiis humanis omnibus obnoxius, cupiditatibus aliorum fatigatus, agitatus suis, primum sermonibus maledicorum laceratus, petitus injuriae telis, orbitate dilectorum cognatorum, verorumque ac fidelium amicorum adflictus, idem amicorum fide erectus, beatus mente studiis intenta, beatior opera bona patriae navata aut sublevata hominum calamitate. Meminisse te volo, viator, virtutem omni labe intactam in his terris non reperiri. Si non fui homo melior, at in improborum numero habendus non sum. Nec laude nec vituperio

movetur, qui fato functus acquievit. Sed qui suo officio est functus, hujus animum jam vita exeuntis grata spes permulcet; haec me jam exeuntem non deserit.

286

Maxima educandi ars haec est, ut naturam optimam ducem sequaris. Ante aetatem nemo sapit; at multorum ea est stultitia, ut gaudeant, natos ex se ultra aetatem sapere. Tum cum illud tempus venit, quo ad maturitatem solet pervenire judicandi vis, et acutioribus studiis opera danda erat, animi vires ante tempus intendendo sunt remissae, et quae admirationi fuerant praecocia ingenia, marcescunt, aliis nunc demum flores aperientibus. Quarum germina ars elicuit, eae stirpes ut maturiorem, ita minus sapidum fructum edunt, cum natura, nihil raptim agens, fructus gustatu jucundissimos et adspectu pulcherrimos per aestatem et auctumnum fundat. Jam quid plus adfert damni, quam modum excedere discendi et tempus occupare? Corporis enim vires impediuntur, quo minus adolescant, nascitur discendi taedium, hebetatur ingenii acies, nihil ut aequum est, concoquitur. Quaenam sapiens mater alios super alios inferciendo cibos ex se natum implebit, ut quam primum adolescat?

287

Nihil magis necessarium est, quam ut, qui educandi curam suscepere, alumnorum disciplinae suae indolem diligenter explorent. Quemadmodum bove utimur ad arandum, quia natura est ad id aptus, itemque equo ad vehendum, cane ad venandum: ita aequum erat, quemlibet hominem ad id potius vitae genus admovere, ad quod fertur natura et studio. Quae enim causa est, cur tam multos habeamus homines mediocri ingenio suo fungentes munere? Nempe, quia in iis versantur muneribus, quae susceperunt adversante natura. Illud etiam hoc loco non possum non commemorare, quod ultra terminos natura constitutos nostra aetate tendit mens hominum. Avent scire, quod nulli mortalium scire est datum, et quod omnem mentis humanae vim excedit, id nituntur attingere. Qualis tandem videretur is homo, qui extra orbem terrarum vagari, et in Sirium adscendere niteretur?

Nostrae quidem aetati qui lucem conantur adfundere, eam nobis lucem circumfundunt, ut illa obtundat nostram aciem, eoque nos provehunt investigando, ut postremo omnibus orbi sensibus à vero prorsus deflectamus.

288

Qui paucis abhinc diebus decessit praepositus Herbrechtingae *Kübler*, quo pio et erudito praeceptore dum in coenobio, quod est Blabyrae, Professoris fungebatur munere, ego et multi adolescentes utebamur, in illo raro virorum genere habendus est, qui pietate non simulata et morum innocentia, adjuncta aeque magna fide in fungendo munere ac necessaria doctrina, omnium observantiam merent. Quodsi omnes, quibus praeerat, simul interrogari possent, in hoc testimonium, quo ornandos putavi ejus cineres, consensuri omnes essent. Erat enim in eo viro ita comitate condita gravitas, ut vel acerbissimae admonitiones, tanquam à patre profectae, aequo animo acciperentur. Ejus studium vulgandae pietatis, eo minus fallebat effectus, quo manifestior ipse erat auctor virtutis. Ipse, qui magis consuesset facere quam loqui, tam egregium ostendebat exemplar adolescentibus, quorum intererat habere quem imitarentur, ut credere liceat, plures esse, qui non solum memoriam viri, sed etiam tantae virtutis igniculos gerant in pectore. Asperi quoque ingenii adolescentes facere non poterant, quin eum colerent ac observarent; et fortasse non paucorum in animis piarum ejus admonitionum aculeus fixus haesit, qui abreptos labe vitiorum in tempore pungebat. Te vero, venerabilis senex, quem sola virtus, non gratia, honesto otio reddidit, quo in secessu vita Deo consecrata fruens maturam coelo efficiebas animam, si apud nos mos esset, inter Divos referre, vix quisquam isto honore indignum esset judicaturus.

289

Sicut omnia, quae nobis occurrunt, materiam praebent meditandi, ita qui post mercatum Lipsiensem à bibliopolis eduntur indices librorum venalium, ad idem possunt adhiberi. Ex his enim licet intelligere, si tum ad argumenta, tum ad numerum librorum respexeris, nostrae aetatis hominum amor legendi libros sincerus an

corruptus sit. Quis est, cui non mira videatur multitudo comoediarum, narratiuncularum fabularumque, quas vocant Milesias, quarum numerus longe vincit librorum alius argumenti numerum? Ex quo si judices, quid sapiant bibliopolae, valde iniquus sis istorum hominum aestimator. Ut enim alii mercatores facere non possunt, quin morem seculi in emendis mercibus sequantur, ita nec illis integrum est, suo uti judicio. Quae quotannis iterum profertur ejusmodi libellorum copia, magno argumento est, nec ingenia et manus deesse, ex quibus proferantur, nec emtores, quibus magis cordi sit, ridendi habere materiam, quam edoceri. Nostri quidem majores, qui iis potius libris delectabantur, qui ad vulgandam pietatem in Deum, honestatemque et literarum studia spectarent, quam attoniti visuri essent, tam avide ejusmodi libellos arripere posteritatem suam degenerem! Omnino autem miraturi essent, nostram aetatem immodico impetu ferri ad fruendas voluptates ab animo alienas, qui extincto paulatim res serias cognoscendi studio metum praebet progeniei, à consuetudine majorum tantum deflexurae, ut Germana indoles vix agnoscatur.

290

Juvenis vere Germanus, cui cordi est patriae gloria, eo honore quem patrio sermoni suo habent exterae gentes, non potest non ita moveri, ut maximam capiat voluptatem. Quis est hujus generis, qui non magnopere gaudeat, quod Angli et Galli hanc linguam non modo in iis, quae sunt excultae, habendam censent, et dignam quae cognoscatur, sed eam quoque discere non dubitant? Quo autem difficilior ad discendum his populis videtur sermo noster, eo magis illi honorificum est, quod ab eo discendo non deterrentur. Ut omittam, plures nostro sermone scriptos libros ab his populis ipsorum sermone reddi coeptos esse. Sed quid opus est plura? Audiamus, quod *Klopstock*, inclytus poeta, per quem suae auctoritatis magnam partem consecutus est sermo noster, de illo judicat. Data ad magistrum Collegii Eruditorum indigenarum (*National-Institut*) epistola, in qua gratias agit, quod in illud collegium cooptatus sit, et alia et haec dicit: si collegio postulanti plures locos poëtarum, etiam orationes Laconum apud *Thucydidem*, meo sermone redditas, misero, fortasse profitebitur, an aliam norit linguam Europaeorum, quae

pari brevitate possit sermonem reddere alienum; quae autem pigmenta gens, tali utens lingua, sui ingenii operibus possit inducere, non attinet memorare. Hoc testimonium plus habet ponderis, quam ut non cupidissime exspectes, an Galli illud sint comprobaturi. At gratia habenda est inclyto seni, qui gentis suae dignitatem ita defenderit.

291

Ad omnia, quae egregia sunt, et magnifica torpere oportet eum, qui illud, quod de moribus *Jesu* duodecim annos nati accepimus, neque animo commoto neque cum admiratione legerit. At in omnibus hujus aetatis, qui unquam in hanc lucem sunt editi, etiamsi ingenium in illis fulserit maxime egregium, nequaquam ea magni hominis indoles eminet, quam in hoc adolescentulo admiramur. Quis adolescens id aetatis animum publici cultus Dei tam cupidum, quis eam scientiam potiorum, quae ad religionem pertinent, formularum, quis eam cupiditatem ab aliis discendi, quis eam modestiam, cum esset doctrina inprimis instructus, quis animum ab omni arrogantia magis alienum inter plausus palam laudantium declaravit? Profecto talis indoles, maximeque hac aetate, non frustra ante oculos ponitur adolescentulis. Annon se ea existiment vehementer exstimulari ad imitandum? Si, quo animo in matrem ac tutorem fuerit, adjecerimus, perfectum intuemur exemplar adolescentiae Deo pariter ac hominibus probatae. Ipse, longe superior utroque, illis obediebat. Si quis amans fuerit Dei, eique obediens, ejusque reverens, idem fideliter fecerit, quae debet parentibus, eisque qui praesunt et bene merentibus. Talis animi adolescentem nihil impedit, quo minus ut corporis habitu ita mentis vi progrediatur, et quod ultro sequitur, gratiam Dei pariter ac hominum conciliet. Quidni cupiam, hanc imaginem vestris animis nunquam non obversari, si vestra interest, vere homines evadere?

292

Magnae indolis homines ut apud omnes rerum scriptores, ita in sacrarum literarum monumentis occurrunt. Atque utinam ad eos, qui in his memorantur, magis advertantur animi, neque praetermissis illis apud Romanos

potius et Graecos aliosque populos quaerantur, qui magna indole eminent! Ego quidem id quod *Lucas* de romano centurione, Capernaumi regente praesidium, refert, nunquam nisi animo commoto legi. Huic, ait, unum ex servis, ante alios ipsi carum, lethali correptum morbo fuisse. Illum probi ingenii virum non dignum sibi visum, qui mira opera edentis *Jesu* opem ipse per se imploraret, omni humana desperata, sed Judaeorum seniores misisse, qui pro ipso deprecarentur, veniret, salutem servo redditum. Hos ad *Jesum* venisse, et pro centurione etiam atque etiam deprecatos esse, praedicantes, hominem esse dignum, cui illud beneficium *Jesus* conferat; favere populo et comiter eum habere, eundemque aedem sacram ipsis fecisse. Tantumque aberat, ut frustra deprecarentur, ut *Jesus* non cunctaretur, cum ipsis in viam se dare. Hic est utique pulcherrimus fructus virtutis, ut honore collato dignus judiceris à bonis. Nam quid est vera gloria, nisi consentiens laus bonorum? Potestne virtus pulchrius ferre praemium, quam si honori, qui contingit, bonorum favent studia? Id annitere, adolescens, cui cordi est vera frui gloria, et tunc utens ingenio et probitatem constanter tenens, ut honore, quem ambis, dignum censeant judicia populi, neque tibi opus sit, illum aut servili adulatione expugnare, aut auro emere, aut denique muliebri dono habere acceptum.

Haec sunt virtutis pulcherrima praemia clarae,
 Si videare bonis dignus honore dato.
Scilicet in laudem conspirans turba bonorum.
 Virtuti vera est gloria parta tuae.
Si tibi cura, puer, veram contingere laudem,
 Tam pulchros ignes si tibi pectus alit:
Sis memor, ingenii cunctos intendere nervos,
 Et moris sancti pectus habere tenax.
Sic te censebunt populi suffragia dignum
 Cui detur merces justa petitus honos.
Non captabis eum servili poplite flexo
 Non hunc argenti dona nitentis ement.
Neve feres titulum muliebris dona favoris;
 Sed melius virtus praemia justa feret.

264

Ubi ad ludicra adolescentium justo major turba confluit, plerumque fit, ut in temerariam vertant lasciviam,

quae funestum habet exitum. Igitur recte praecipit *Cicero*, ut adolescentes, si velint jucunditati se dare, majores natu velint interesse, ut meminerint verecundiae. Eorum quidem exempla, qui exultantem lasciviam aut laeso corpore aut morte etiam acerba subitaque luerunt, minus adficere solent animos, quam debebant. Flumina maxime, sive profluant, sive gelu concreverint, aeque invitant adolescentes ac insidiosa ipsis sunt, si nemo adsit, qui moneat et ad cavendum exhortetur. Hoc quidem tum maxime opus est, simul cum pluribus diversi ingenii si hilarem diem agites. Quam facile sana proposita obliti abripimur exemplis! *Hiobi* quidem liberos hilarem agentes diem oppressit ruina aedium. Utinam adolescentes maxime inter communia gaudia, quae nemo sapiens huic aetati inviderit, semper meminerint, quod in literis sacris magis commode est dictum, quam illud *Senecae*, quod supra memoravimus: gaude, sed Dei memor et reverens! Ita nullum non ludicrum eum exitum esset habiturum, ut postea poenitendi causa non foret.

294

Redditum est terrae corpus excellentis ingenio et moribus viri, quem rebus humanis ereptum haud immerito dolemus, subacto continuis morbi insanabilis ictibus vigore juventae; sed quod terrae non est, illud ad originem coelestem rediit, ille corporis sui vinculis constrictus, sed nunc liberatus animus, qui apud omnes, qui ipsum norant, memoriam sui immortalem fecit. Prope impia, certe christiano homine indigna, loquuntur, qui vita defunctum dicunt esse desiisse. Immo, qui hac vita excessit, tum demum esse coepit. Num vero etiam ille inter homines esse desiit, qui suo hominis officio fungendo, ingenioque ad hominum utilitates fideliter transferendo, religio seque obeundo suo munere, piaque amicitia et benevolentia in omnes ac aequitate, denique probitatem constanter tenendo oblivioni eripuit sui memoriam? Qui si prodito utili libro aut alio animi opere, etiam mortuus erudiendo prodest, ut ille Noster — elaborata à se cum magno studio grammatica linguae Gallicae, quam ex se natam diu ipsi futuram superstitem, reliquit: ego quidem nescio, quomodo fas sit dicere, eum esse desiisse. At posteritati tuae interesse praeclarius non possis, nisi postquam talia nominis monumenta feceris.

Nos vero nunquam non cum magno honore meminerimus viri, qui hominis officio egregie fungens et imitando adolescentibus exemplo inter nos versatus est.

295

Nihil humani à me alienum puto.

Hoc scite dictum, quod est apud *Terentium*, idem graviter monet, quod Sacrae Literae, hominis esse, suo amore, quicquid est hominum, complecti et rebus laetis hominum quam maxime ignotorum et maxime remotis locis habitantium aeque gaudere ac dolere adversis, quod, ejusdem sanguinis, patre utantur eodem Deo. Igitur homines, quos acerbior casus adflixit, longissimo terrarum spatio remoti sint à nobis licet, tamen et nostro hominum officio indignum foret, et ab illo egregio praecepto longe abhorreret, si fama casus funesti ad nos perlata nihil moti, nihil eum ad nos pertinere arbitraremur. Jam ut animi nostri discant, hominum etiam maxime alienorum miseria, sic ut jubet communis hominum parens, moveri: accipiamus quod literis à Bucaresta de illa regione VII. Idus Novembres proximo anno terrae motu concussa ad nos est perlatum. A miti initio diei sol serenus et lenem fundens calorem post montes ortus est, nec ille quidem tristi obductus lumine ominari jussit, quae hoc die essent eventura. Securi omnes sua quisque negotia obire, tepidi flare venti, nos laetari tam miti principio hiemis. Mox autem coelo paululum obduci nubes, aër magis densari; in quendam luctum mersa tota tellus videri; queruli oscines vocibus anxiis concinere; angore nescio quo inhiberi animi ad hilaritatem inclinantes; quicquid erat animantium, latebras quaerere.

296

Sed omnia haec omina cum brevioris essent temporis, nos nihil ominantes non tantum iis tribuimus, quantum fuisse tribuendum eventus docuit. Terra vehementi tremore concussa exitium et cladem denunciavit. Stupor tenebat omnium animos ac torpor, donec iterum, quanquam minus vehementer quassa motu terra mentem paulisper revocavit. Jamque una erat via salutis fuga accelerata.

Gressus nostri titubabant super terra tremiscente, magis etiam labantes inter ruinas aedium, moram objicientes fugientibus. Quo fugeres, cum praesens exitium omnes immutabili fato hausturum videbatur? Hinc deficiens viribus mater partum objectis manibus tegere, illinc pius in uxorem imbecillam maritus humeris impositam suis periculo raptim eripere, hinc infirmi senes pressi incedere pondere annonae, quam stulti, venturi temporis anxii, faucibus terrae omnia haurientis cupiebant auferre. Miserabilis auditu quiritatus infantium, qui fugam periculi quaerentes lateri parentum adfixi haerebant. Quo magis crescere videbatur periculum, eo magis retardari gressus fugientium; anxii premebant alius alium impellebantque, ut tandem in aperta loca evaderent, cum inter hunc tumultum iteratus, non aliàs tanta vi percellens, terrae motus centum hominum fortunam nullo modo reparabilem subito ictu profligavit. Tum vero nos ruina obrutorum gemitus non exaudientes, alienatis à sensu mali animis, nostrae ipsorum saluti consuluimus, deprecantes pro iis auxilium benigni Dei providentis rebus hominum.

297

Tum vero citato gradu nos proripientes, in aperta denique loca evasimus. Ibi memores eorum, qui nostrûm omni ope destituti exanimarentur, nostrum ipsorum periculum facile ferendum putavimus. Terra pluribus locis rupta, etiam tum praedae suae jam jamque hauriendae parata erat. Ibi nos sub dio morabamur, complorantes eorum vicem, qui nostrûm relicti fuissent, quodvis consilium, opera juvandi adflictos, inhibente pavore. Postquam laxamento paulisper dato terra jam non concuti visa, domicilia nostra, clade intacta, festinanter repetivimus. Ad quae quibus animis accesserimus, equidem dicere non possum. Ubique nihil aliud ad aures nostras pervenit, quam voces miserabiliter querentium, seminecum ex clade, hominum gemitu et lamentatione perculsi nostri animi, nullo ore manantes vidi lacrymas, siccis prae vi doloris oculis. Interim nihil morati adgredimur subvenire laborantibus, morti, quos absumtura erat, erepturi. Erant, qui saxorum ruina prostrati per vias jacerent; actum erat de illis. Sed inter ruinas, credibile erat, multos etiam servandos, Dei rebus hominum providentis auxilio fretos, prope esse ut eripiantur praesenti

exitio, sperare. Illic robustus juvenis se proripuit, ut sponsam, inter eos, qui fuga salutem quaesierant, ubique frustra quaesitam, sub ruina deprehenderet. Quam facile molientibus lacertis validis, in conclave ruina obstructum eluctatus, eheu! oblisam vidit sponsam. At ille defixo ex desperatione vultu, juxta corpus exanimatae sedens, mortem opperiebatur, muneris instar ipsi futuram.

298

Ipsum mors non occupavit, sed ipsius familiarem tum maxime parantem, dilectum patrem, senectutis infirmitate, quo minus fuga salutem quaereret, impeditum eripere exitio. Adhuc medium complexus tenebat, cum ambo ex ruina protrahebantur exanimati; quo viso in lacrymas effusi omnium, qui spectabant, oculi. Solenni deinde pompa elati, omnibus nobis funera infelicium tacito cum dolore prosequentibus. Talis pietas digna videbatur, quae laetioris eventus ferret praemium. Tum quoque multi ex nobis desiderati. Sed conatus, omnes forsitan ruina oppressos eruendi cum vires nostras vinceret, in posteram lucem differri necesse erat studia investigantium, nec laborem hunc fefellit eventus. Servata cum partu mater, quam parieti adnixam deficientemque anima et laeso capite deprehendimus, illum autem juxta cunas subversas jacentem humi. At maritum ad aedes obrutas tendentem oppresserat ruina. Diu etiam tumultuosa apud nos omnia. Congratulationes eorum, qui sibi erant redditi, saepe profligatae lamentantium vocibus infelicium, quibus omnia eripuerat unius momenti exitium. Filii bonam sui spem ostendentes quibus gloriabantur parentes, absumti fuerant inexorabilis fati inclementia. Multi illa subita clade intacti, ex damnis illius mortui.

299

Torpere ad omnia, quae circa ipsum aguntur, animum oporteat ejus vestrûm, qui ignoret, complures ex nostris popularibus ex patria in Poloniam demigrandi, ibique suam fortunam experiendi consilium cepisse. Mireris, hos homines ea patria excedere, cujus egregio solo etiam hostes invideant, et cujus cives ea fruantur imperii forma, iis legibus et juribus, quibus ipsorum et corpora et bona

adversus quamlibet impotentis domini vim muniantur, nisi isti alias sedes quaesituri suis quisque causis impulsi illud virtute majorum magno partum jus demigrandi usurparent. Quod jus etsi magni aestimandum est, quo imperii acerbi indignitates effugiendi potestas datur, tamen vix credas, regnante nunc quidem aequi et juris cultore Principe quenquam Wirtembergiae civem in animum inducere, alias sedes quaesitum ire. At quibus tandem causis stimulati isti hoc inconsulte faciunt? Alios imperii, sive verius suarum rerum, poenitet; alios aes alienum premit; alios taedet laboris, sperantes alibi viribus magis remissis vitam se facilius sustentaturos; alii morum licentia et pravitate effecerunt, ut facile illis careat respublica, majoremque partem retineri, nec principis interest, nec reipublicae. Abeant vero et vere dictum esse illud in Sacris Literis suo exemplo discant: Tua ne patria excede, et cura, ut victum bona arte quaeras.

300

Hunc mensem duorum poëtarum inclytorum, qui nomen Germanicum posteritati commendant, obitus insignem fecit. Eorum alter *Gleimius* Halberstadii decessit octoginta quatuor annorum, ut multis carminibus, ita maxime his, quibus militiam celebravit, adeptus famam, quam ob causam mandavit moriens, ut militari efferretur funere. Non dubium est, quin solatio mortis fuerit conscientia, suam Musam nunquam ad corrumpendos animos adolescentium vitiis incorruptorum, lasciviisse. Alter est ille fama celebratus *Klopstockius*, qui annum, agens nonum et septuagesimum carmina canere Hamburgi desiit. Ejus poëma, quod inscribitur *Messias*, summis illum poëtis adscripsit, mansurum monumentum summi, ad quod nostra lingua enisa est, fastigii, exceptumque cum admiratione non solum à Germanis, sed à superbis etiam populis. Praeter hoc immortale poëma plurima varii argumenti prodidit, et ad linguam nostram limandam poliendamque mirum quantum contulit. Nec ille ullo carmine edito, cujus protervi joci offendant animos simplices, famae suae labem adspersit. Ab ea castitate orationis *Virgilium* Germanici nominis diceres. Atque utinam omnes poëtae in talium virorum mores se forment, ut vere possint dicere: est Deus in nobis, agitante calescimus illo! Ego autem reputans, quam multorum animos pietate in Deum im-

plevisse videatur conditor *Messiadis*, non dubito huic nomini adjungere Abbatem *Roos*, qui hoc mense obiit, virum, à quo editi multi libri tum ad Literas Sacras pro ingenio plebis interpretandas, tum ad pietatem in Deum suscitandam pertinent. Hujus memoria non intercidet, dum pii erunt *Christi* cultores, qui magis indolem ac vim talium librorum quam orationis leporem respiciunt. Profecto ingenium et otium ad alendam honestatem, mentesque pietate in Deum imbuendas contulisse, tale adfert solatium moribundis, ut hoc longe pluris sit, quam praeconia dicentium, facete dictis te risum movisse hominibus.

301

Nos ita sapere oportet, ut ex isto maximi momenti ad Germaniae incolumitatem fortunamque stabiliendam humanorum consiliorum eventu, ex isto fine publicis priorum temporum calamitatibus et periculis imposito; tuam, Deus, opem victricem agnoscamus, et primum omnium te laudibus celebremus, qui casus gentium et vices rerum cum ratione et multorum salute temperas. Quis enim, nisi tu, consilia subjicit animis prudentium, quis animos addit fortibus viris, quis vires praebet potentibus? Quo jubente conticescunt procellae, animosque exhilarat sol redditus? Quis disjecta caligine reducit lucem? Quis adversa etiam ad bonos exitus perducit? Quis, temporum vicibus praeter spem mutatis, repente tollit objectas res arduas et difficiles, quas consociatis viribus suis et consiliis à se sublatum iri mortales sperare non poterant? Quis rerum humanarum cursum, quem putares perplexum, et contentionum humanarum effectum, ad eum exitum perducit, quem vel consultissimi ac potentissimi initio nec animis conceperant nec optaverant; et quo perductis rebus hominum felicitati populorumque saluti, disciplinaeque publicae, jurisque ac recti amori egregie est consultum? Quae alia ratio, nisi tua infinita? Tuum unius Numen praesens confusas isto tumultu res humanas bene compositis, exitiosasque discordias concordia, metusque publicos laetitia et otio mutavit. Tuum unius Numen praesens fortunam dignitatemque ac libertatem Germanicae gentis ex integro florentem fecit et stabilem.

Cura Dei populos tectis moderatur habenis,
Haec rerum ac hominum temperat una vices.
Quis docet humanas suadere salubria mentes!
Quis miro firmat robore corda virûm?
Quis dextras armat violenta in bella potentum?
Nempe omnis ratio coelitus illa venit.
Quo tandem jussu ventorum proelia cessant
Et coeli moti ponitur ira minax?
Quis solem nitidum post nubila densa reducit
Ut pulso redeant ora serena metu?
Quis pollens uno nutu regit aspera rerum,
Exeat in lucem nox ut opaca novam.
Per varios casus, per tot discrimina vitae
Quis dubium dubio ducit in orbe pedem?
Regnat in humanis divina potentia rebus;
Stant illo nutu regna caduntque simul.

302

Neque Gallos neque Anglos opus est, de suae gentis et reipublicae excellentia edoceri. Illi nescio quo pacto magna utriusque opinione à pueris imbuuntur; sicut liberi nobili genere nati vulgo prope non sentientes magnam nobilitatis suae domus opinionem concipiunt. Germani maxime tam lento sunt ingenio, ut dignitatis suae gentis identidem admonendi sint, et ad necessariam fortique populo dignam sui aestimationem exhortandi. Id celeberrimus Professor Goettingensis, *Eichhorn*, fecit, hanc in historia à se composita sententiam edens de Germania: Etsi pro finium amplitudine tertium demum locum obtinet inter imperia, tamen primum cepit in Europa numero hominum, qui, quanquam principum vitio extenuatus, certe ad tricies millena millia crevit; quem numerum hominum insigniorem fecit haec eorum eximia praestantia, quod homines ejus in universum extitere omnibus ceteris Europae populis humanitatis cultu superiores, pudici, continentes, impigri, solertes. Agriculturam suomet ingenio circumspecte utentes didicerunt; sicubi soli natura patiebatur, suos agros in continui viridarii speciem pulchriorem mutarunt; artium vero tractandarum rationem olim à populis quidem, qui ante ipsos eas colebant, olim acceperunt, sed, quae perceperant, nunc fortiter emendata habebant, et in usum conversa, denique, si locorum difficultas non obstabat, eos,

à quibus didicerant, superaverunt, multa de suo ingenio addentes cognitis. At quam crebro Germanorum indolem ac operam in tractandis literis et artibus adflixit principum fastidium, qui semper parati, peregrinis ingeniis multum tribuere, perinde habebant domestica ac oriunda essent ex Boëotia!

303

Vox obscura, sonus, quo audito alii neque habent quod meminerint, neque quo moveantur, nomen est nostrum, nisi aliquid magnum fecerimus, nisi de aliis ullo opere meruerimus, nisi viribus praeclare intentis et in medium collata opera conspecti fuerimus. Vos quidem, qui segni inertiâ torpetis, qui aetatem vestram per turpem desidiam somniculosi agitis, qui pecudum ritu ad corporis voluptatem referentes omnia, nihil aliud quam potiri rebus jucundis et gaudere studetis; vultisne nomen vestrum, ut adhuc, ita posthac, in obscuritate latere? Nolite arbitrari, quia vestri generis nobilitatem, vestrique ordinis dignitatem significet, illud satis habere splendoris. Videtisne, illud splendori generis vestri officere, si tales fueritis, de quibus nemo habeat, quod praedicet? Vos autem, qui in populo censemini, nolite putare, ad vos nihil omnino attinere, ut nomen vestrum ab obscuritate vindicetis; nihil omnino in vobis opus esse, quo illud insigniatis. Si non piguerit viribus anniti, si non piguerit, qualicunque conditione sitis, in vestro ordine, in vitae vestrae officio ac munere, in arte, quam profitemini, denique in omnibus rebus, quarum in partem veneritis, eam, quam fas est, fidem, operam, diligentiam praestare; si non poenituerit, id in dies habere propositum, ut aliis benigne faciatis, et quicunque sint proximi, iis prodesse: mox cernetis vos conspici, mox audietis, nomen vestrum in ore hominum ferri, et cum honore dici.

Si nulli mentem, si nulli pectora tangit,
 Auditur vacuo nomen inane sono.
Aude rem magnam, meritis fac nobile nomen,
 Vis tua permultis utile tentet opus.
In res laudandas nervos intende bonasque,
 Si curae est nomen nobilitare tuum.
Vos, quorum torpent ignavo corda veterno,
 Quos vitae pigrae somnia dura premunt;

Qui petitis primum, quae sunt jucunda palato,
Corporis, ut pecudes, unica cura movet:
Non vultis digito monstrari et dicier: hic est!
Non populi ferri nomen in ore bonum?
Nempe parum splendet, si reddit nomen avorum
Si satis est, celsum commemorare locum.
At, si nil vestrum memorant praeconia vulgi,
Splendorem tanti nominis umbra premit.

304

Equidem nescio, quid laetius homini ad benigne faciendum natura propenso contingere possit, quam ingentem habere copiam, unde distribuat. Nec quicquam accommodatius esse naturae hominis, quam beneficentiam, in parvulis quoque cernitur, quos, nisi mala educandi ratione corrupti sint, magnopere juvat, suam copiam, vel sui immemores, cuilibet impertire. Sed vix quicquam jucundius est visu, quam pater aut mater, circumstantibus liberis, qui dari aliquid sperant. Quae voluptas eminet in ore hinc dantium, inde accipientium! Dignum sane spectaculum, quod pictura reddat summus artifex! Hanc voluptatem, quam ignorant isti sordidi et coelibes, hic annus fusa variorum fructuum copia cumulate comparavit parentibus; etiam pauperibus data est fruenda. Atque hi nunc collecta opima messe, cui similem vix meminerunt homines, habebunt, unde liberis adhuc parum satiatis, panis quod satis sit, praebeant, et aliorum quoque fructuum gustatu eos recreent. Parentes circa se habebunt prolem laetam, magistratus laetos cives, quilibet laetos homines. Haec spes suaviter mulcet animos hominibus benignos, eo jucundior, quo magis antea angebat multos tenuiores multarum rerum inopia. Nunc autem, quis rura perambulans et agrorum ubertatem intuens non exclamaverit animo commoto: O caros Deo homines! Ille nobis non modo pacem, sed, quod jucundiorem hanc redderet, omnia, quibus egemus, cumulatissime impertivit. Qui pater, quae mater, bona distribuens praetermittat, quin liberos admoneat parentis omnium rerum, qui infinitam suam familiam quam maxíme laetam esse voluit.

Cerne bonam matrem prolis cingente corona
Quae cupido plenas respicit ore manus.

Adspice laetitiam, vultu nunc eminet omni
Hinc dantis gratas, inde ferentis opes.
O scenam dignam, doctus quam pingat *Apelles*!
Seu *Raphael* clarae ponat id artis opus.
Haec est coelestis verissima patris imago,
Mortales gaudet qui saturare bonis.
Qui nullum immensae turbae dimittit inanem
Et cui cura homines prima beare suos.
Cara Deo proles, en, quot bona carpimus anni
Quot fructus dulces arboris atque soli!
Incedit pleno per agros bona copia cornu
Et gustu frugum pectora laeta facit.

305

Ille (*Wurm*) quo olim praeceptore utebar Nurtingae, quique postea Ecclesiastae munere Sielmingae fungebatur, paucis diebus abhinc decessit. Illa quidem aetate praecipua laude idonei praeceptoris florebat; quo factum, ut multi aliarum civitatum pueri ad ejus doctrinam confluerent. Obibat enim docentis munus tanta arte, tamque impigro labore, tantoque ardore, ut mediocris quoque ingenii pueros efficeret idoneos homines. Temporis supra modum parcus, ne horam quidem transmittebat, ne unam quidem dabat otio jucundo, paucas animo relaxando. Paucorum utebatur consuetudine, ac tum etiam in rebus maxime seriis versabatur sermo. Sed inde egregium viri ingenium quiddam austeritatis traxit, cui accedebat vehemens natura, qua ablatus interdum paullo acerbius consulebat in pueros. At erant tamen, qui diligerent eum, et observarent insignem virtutibus. Elucebat in eo pietas in Deum non simulata, quam sinceram esse adparebat ex singulari verecundia diligentiaque officii obeundi religiosissima, animo qui nulla re victus gratiae aliquid daret, ac prope immodica beneficentia in pauperes, summoque rerum terrenarum contemtu et, quod maxime eminebat in ejus indole, assiduo, quodque omnia cetera negligeret, studio, quam plurimis, quae recta sunt, tradendi. Quarum virtutum si quas discipuli ejus, quos multos habebat, in fungendis muneribus ac moribus ostendunt, hae ex illius doctrina, quam tradebat cupidissime, profectae debent videri, et ipse suis virtutibus perpetuitatem in his terris conciliavit, in longas aetates manaturam. Ita patriae etiam mortuus prodest, tum etiam maxime per duos

filios moribus et doctrina praestantes, quorum alter etiam foris insignem gloriam jam peperit, alter in suae scientiae genere pariet.

Tu vero, Bone Vir, mihi non indictus abibis,
Qui puero studii dux mihi fidus eras.
Quem veneror mentis rarum pietate parentem,
Ingenii venam Cujus alebat amor.
Si mihi cura Dei metuens in pectore fixa,
Si mihi divinos ardor adire libros;
Officii partes si curo fidelis obire,
Si mihi relligio, si mihi sancta fides;
Si manibus teneo pressis horasque diesque,
Si colo conspicuos sedulitate viros;
Si me pectus agit quidvis impendere vero;
(Si nescit quondam lingua cavere, meum est)
Auri contemtor si sperno quaerere lucrum,
Ad dandum miseris si mihi promta manus;
Denique Sirenum quod fugi mellea verba,
Navigat in portu quod mihi salva ratis;
Hoc — utinam memorem posses audire fateri —
Hoc est, ut multis, muneris omne Tui.

306

Homines qui negotiantur Londini aliique cives sententiam libero populo dignam in vulgus ediderunt: se putare, suum esse, quid in hoc discrimine faciendum uno consensu decreverint, publice declarare, se cum rege et patria velle stare aut cadere; metuendum esse regno Britannorum, ne serviat, ac esse desinat, incolumitati, libertatique et vitae singulorum periculum imminere; forsitan intra paucos menses, certe intra aliquot annos ea eventura, quae dubium non relinquant, ipsine et sui liberi posthac libertate sint usuri, et pars imperii omnium florentissimi futuri, an venturi in servitutem hominum inexpiabili odio infestorum, qui serviant ipsi; se dimicare pro suis legibus et immunitatibus; dimicare à toto orbe depulsuros immane jugum militaris licentiae; dimicare pro libertate omnium gentium, etiam earum, quae nihil omnino moveantur fortuna Britanniae; se confidere, homines liberos hujus populi, propitio Deo Maximo, ab his, qui internecino bello ipsos petant, praesentes poenas expetituros; sed ad defendendam patriam, quacunque pos-

sent opera, paratos esse, et perituros potius quam posthac ita victuros, ut famam nominis Britannici obtrectatam videant, aut bene partam illam amplitudinem, gloriam, libertatem, exstinctam, quam à majoribus acceptam posteritati prodere apud animos fortiter statuerint.

307

Adolescentes, qui literis dant operam, identidem admonendi sunt, ut summa ope nitantur, animi vires labore atque exercitatione intendere, acuere et ad maturitatem perducere. Profecto, si, qui olim sunt militaturi, quique ferro ad certandum usuri, quique organum tractaturi, quique saltandi artem comparaturi, aliique hujus generis homines, ut arma gerere et tractare, telumque intendere ac declinare, organoque canere, commodeque ac scienter saltare discant, extremum laborem summamque contentionem subeunt, manus, pedes, alia membra vel totum corpus cum molestia quadam continendo et agitando; deinde, si multorum saepe annorum tyrocinio ac rudimento exercendi sunt, donec id consequantur, ut istarum artium aliquam, sicut fas est, habeant in promtu: nonne jure dixeris, pariter animi vires et ingenia hominum nec brevi nec exigua cura subigi debere, ut disciplinas addiscant, earumque promtum usum comparent, quas hominum mens invenit tractandoque polivit, quaeque ad ipsam perpetuo agitandam sunt accommodatae.

308

Vidi tandem ludum literarum Gallici moris, cum interessem publicae studiorum cognitioni prope urbem. Haec illa die unice in latino sermone consumebatur, me quidem tres horas libentissime audiente. Explorabat autem puerorum studia ipse magister ludi, qui ex instituto non quidem docentis munere fungitur, sed assidua et diligenti cura scholis invigilat, nec, nisi cum aliquis docentium aegrotat, in ejus vicem succedit. Pueri vero, quorum major pars undecim vel quatuordecim annorum sunt, in oëco praeter quatuor parietes locati, libere quidem, sed admodum modeste, libellum, qui dicitur Chrestomathia, tenentes sedebant, medium tenentibus propinquis puerorum, aliisque, qui erant invitati. Spondebat

magister ludi, neminem alumnorum doctrinae ad ea, quae exploranda essent, privatim praeparatum fuisse; et vere. Locos quidem, quos Gallico sermone singuli jubebantur reddere, unus eorum, qui aderant, deligebat. Atque hos plerique admodum recte expediteque reddebant, quanquam difficiliores erant, fere omnes ex *Curtio* et ejusmodi scriptoribus excerpti. Minori autem negotio reddebant suo sermone pueri, quam ad quaestiones innumeras respondebant super ea, quae interpretabantur, positas. Ego quidem promtam facultatem plurium in solvendis quaestionibus super Grammaticam admirari satis non poteram. Superiori classi praescriptum fuerat operam dare *Virgilio*; ego recte interpretantes locum *Aeneidos* ex insperato audivi, id unum molestiae sentiens, quod latine prope ita ut gallice pronunciant. Erant in his quoque, qui ad varias quaestiones recte respondebant.

309

Ut alia instrumenta virtutis adipiscendae, ita maxime praeceperunt priscae etiam aetatis sapientes, ut assidue memores simus, in luce et oculis hominum nos versari. Atque ita se res habet. Quot homines spectant, quae facimus, totidem habemus testes, qui nostra aut probant aut damnant; totidem vero habemus arbitros, qui nostra aestimantes, aut testimonio nos ornant, aut notant reprehensione, moresque nostros aut probant aut iis offenduntur. Recte quidem factorum decus non latet, neque magis difficile est, cernere deformitatem vitiorum. Quo fit, ut probis faveant omnes, etiam improbi, aut certe eos vereri cogantur, scelerati autem sint contemtui. Praeterea recto exemplo, quod ex recte facto eminet, multa efficiuntur salubria; contra ex factis mali exempli, quoniam alii facile iis inducti, idem nefas patrant, multiplex nascitur malorum contagio. Jam, quo minus nostra nihil interesse debet, quid alii de nobis existiment, eo magis cuilibet curae sit, videre, ut nihil non recte et cum laude faciat.

310

Quum *Demetrius*, qui dicitur *Poliorcetes*, Rhodum oppugnabat, *Protogenes*, ille pingendi artifex, erat in hortulo suo suburbano. Non interpellatus proeliis, inchoata

opera non intermisit, accitusque à rege et interrogatus, qua fiducia extra muros ageret, respondit, se scire, regi cum Rhodiis bellum esse, non cum artibus. Quid ad nos istae deliciae, quas magna pars nostrae civitatis diem de die terens sectatur? quid ludi, in quibus qui desident, bonum tempus in voluptate non fructuosa consumunt? quid strepitus vitae urbanae, qui assidua perturbatione exagitant sui studiosos, neque animum, qui se ali vult, ullo quasi pabulo alunt? Quid curamus bella, bellorumque rumores, quid alia, quae inter mortales aguntur, nisi quod ista passim adfligunt homines? Nos faciamus quod *Protogenes*, et studia nostra nulla re interpellari sinamus, quantumvis aegre à se impetret aetas vestra, ut usum librorum sive hominum priscae aetatis sapientissimorum, omnibus, quae animis distrahendis nostra urbs tanquam altera Capua suppeditat, longe anteponat. Si ille opifex et artifex, qui in sua officina aut taberna se tenens non quaelibet spectacula sectatur, tam arte quam quaestu longe vincit multos alios, qui qualibet nova re oblata foras eunt; facile intellectu est, eos quoque adolescentes, qui literarum studio ita vacent, ut nulla re extrinsecus interpellari se sinant, magis conspicuo progressu operam dare literis, quam alios ingenii vagi. Neque hoc ita dictum volo, ut gravitatem virorum aequare vos cupiam. Quenquamne ita iniquum esse et hoc postulare? Ego tantum vos hortor, ut nullam diem ita occupatam agatis, quin more *Apellis* unam saltim ducatis lineam.

Quid mihi vobiscum lautae fastidia vitae,
　Ad quae grex nostra magnus in urbe volat?
Quid curo caveam, licet omnes histrio promat
　Artes; hic tempus cerno perire bonum.
Quo mihi tot strepitus urbis, tot gaudia vana?
　Nempe suos curis exagitare solent.
At menti vacuae veniunt hinc pabula nulla,
　Quae non mortales postulat usque cibos.
Nil me bella movent, nil *Martis* proximus horror,
　Si non adflictos audio dura pati.
Una mihi cura est, doctis incumbere libris
　Sive inter doctos posse sedere viros.

311

Idus Septembres et Calendae Novembres graves huic patriae luctus importarunt. Illo quidem die ustis frigore nec opinato vineis magna pars speratae vindemiae periit, et non exigua boni spem vini fefellit. Hoc casu multi vinitorum laboris acerbi mercedem amiserunt, nec tantum, quantum sperarant, ex vineis fructum ceperunt. Quod damnum et privatum et publicum etsi magno aestimatur, tamen cum eo, quod incendio absumta Calendis Novembribus urbe Tuttlinga adflixit patriam, vix comparari potest, fortuna ejus civitatis in multos annos profligata. Patria quidem istius unius diei fato quinquies centena millia florenorum amisit, sicut navem valde onustam maris undae hauriunt. Infelix autem civitas ita est adflicta, ut ad miseriam nihil possit accedere. Incendium exortum, vehementiori vento in omnes partes ablatum, aedes passim tam celeriter corripuit, ut multi civium nihil rerum suarum, quidam pauca asportaverint, et ducentae quinquaginta aedes, quatuor horarum spatio absumtae essent incendio, ne publicis quidem aedificiis, templo, ludo literarum, curia, ereptis exitio. Nihil proderat urbi, adjacere Danubio; aquam, ne esset illius usus, dispergente procella. Calamitas civium etiam nemine dicente cogitari potest. Nam quid potest esse miserius, quam non habere tectum, sub quo agas, nec quo vestiatur corpus, nec suppetere quem cibum sumas, et quicquid in hiemem fuerit repositum, incendio videre raptum. Igitur nemo non bene aliis cupiens sperat, suos populares aerumnam civium quacunque possint ope certatim levaturos, memores illius, quod praeclare est dictum: Quod volueritis vobis praestari ab aliis, id vos praestetis ipsis!

312

Frequentiorem edendi virtutes pulcherrimas, quae suo nomine dignum reddunt hominem, materiam praebent casus adversi, quam continua temporum felicitas. Virtus quidem ipsa nulla esset, si nihil obstaret, quod illam exerceat tentetque. Igitur sapienter à Deo decretum existimandum est, si coelo sereno turbidum, bonis temporibus mala, secundis rebus adversas, jubet succedere. Si circa nos nulli obversantur calamitosi, nostrae opis in-

digentes, non fit nobis copia, eam virtutem edendi, quae hominem maxime decet; nulla re nos hortante, ut aliorum vicem commiserantes iis subveniamus. Denique adfirmare licet, defuturum aliquid ad vitae jucunditatem, si nihil esset, quod impelleret, ut, facientes quod jubet natura, solaremur aliorum aerumnas. Ad hoc autem natura ferri homines argumento sunt liberaliter collati popularibus, de quibus nuper dictum est, nummi, vestimentaque et quae ad victum pertinent. Quae illos adflixit calamitas, multorum aperuit animi sententiam, alioquin occultam futuram. Juvat videre tantum abesse, ut promiscua hominum caritas refrixerit, ut in dies magis exardescat, in hominibus non tantum alloquio, sed re juvandis. Audita talis beneficentia abolet simul memoriam, teterrimi generis hominum, qui eo immanitatis progressi sunt, ut per occasionem incendii illius paene inauditi spoliando calamitosos praedam maxime impiam facerent.

Crebrius eliciunt virtutes aspera rerum,
 Tum magis apparet pectoris omne decus.
Omnis erit virtus nil, praeter nomen inane,
 Si non per praeceps ardua vadat iter.
Si Deus adducit post longos nubila soles:
 Qua regat his terras hinc ratione vide.
Si nullae lacrymae circa nos nulla querela
 Poscit opem, nobis cor quoque friget iners.
Tum nihil hortatur, lugenti ferre levamen;
 Tum virtus, qua vix pulchrior ulla, jacet.
Denique, si lacrymae nullae solatia poscunt,
 Grata potest nobis rarior ire dies.

313

D. *Maerklin*,

Praepositus Coenobii Denkendorf. etc.

Mihi non minori curae est, qualis res publica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie est. — Hoc animo, inter haec studia hominis in patriam pii hunc virum tribus illis gravissimis muneribus functum hic mensis, ipsi tuo tempore patriae prius quam aequum erat, cui in magni discriminis consiliis et circumspecta moderatione et acri ingenio, et firmitate animi magno usui erat, placida morte abstulit. In hoc apparuit, qua-

lem virum efficere adolescentem possit residens in animo pueri pietas in Deum. Qui in coenobio Denkendorfii, cum esset alumnus, fratres ad pietatem per literas exhortabatur, hunc necesse erat talem evadere virum, quem omnes, qui nossent, observarent ac diligerent, rectique illum exempli hominem in cujus mores se formasse multi fortasse eorum gaudent, qui contubernio ejus et convictu doctrinaque usi fuerant. Erat ille pius in Deum, benignus egenis, eruditus sine ostentatione, inprimisque valde gnarus linguarum orientalium, muneribus ut parvis ita magnis fungebatur religiose, amicitiam colebat fideliter, eminebat pietate in suos, impigro studio adjuvabat optima quaeque, tuebatur viduas et orbos parentibus. Res secundae, ingens pecunia, dignitas et honor neque superbia eum efferebant, neque in luxuriam praecipitabant; adversas autem, incendium Tubingae, rei familiari calamitosum, quod passus tamen à consuetudine lucro abstinendi dandique beneficia non recessit, mortesque eorum, quos carissimos haberet, continuas singulari tulit animi aequitate, *Christi* cultore et Theologo digna.

Illa Dei metuens pietas in corde tenello
 Quae sedet, insignes educat una viros.
Haec pulchre florens teneris adolescit ab annis,
 Maturique animi flavet amoena seges.
Jamque senex virtus, saevis immota procellis
 Rupes, in patriam lumina clara jacit.
Pulchrior hinc populo virtutum ridet imago
 Et dubios juvenes in sua castra rapit.

314

Ernestus, *Dux Gothae-Saxonum.*

In principibus Germaniae maxime egregiis nomen Principis cum laude et honore memorabatur; ejus memoriam animis populi subjecti immortalem impressit caritas beneficiorum memor. Dignam principe indolem probitate et ingenio insignem ornabat comitate hominis privati, metumque Dei non simulatum et penitus insidentem animo, sanctitate morum, insignique continentia in victu cultuque et sincero amore juris et aequi; ad mansuetudinem plenam humanitate accedebat multiplex doctrina, egregius decor et blanda oris gratia. Ergo ille non tantum principis personam egregie sustinebat, sed idem praebebat

exemplum, in quod se formarent sui populares, idque vi non vana. Sub eo jus melius reddi coeptum, ut corrigendo, quae erant vitiosa, ita magis implendo omnium animos diligentia in rebus gerendis, jurisque et aequi studio, ingenua simplicitate odioque calumniae ac peculatus. Nunquam non adeuntium desideria exaudiebat princeps; nemo ex populo erat tam humilis, cui non pateret aditus; nemo patiebatur indigna; multis adflictis et calamitosis subveniebat munifica facilitas, nunquam audiebat quenquam utique laborare, nisi graviter motus, nunquam frustra audita hominis calamitate. Quae essent vere utilia et salubria, haec suo patrocinio juvabat cupidissime. Quid de ludis literarum in meliorem formulam et statum restituendis tum adjectis novis, tum eos, qui extabant, magis in rem constituendo, tum pecuniam, unde sustentarentur, augendo meruerit, inter omnes constat.

315

Qui inter spem imperii bonis artibus totum se dedisset, idem suscepto imperio majorem otii partem in illis consumebat. Plura in dies addiscendi et legendis libris et consuetudine hominum, studium singulari amore persequebatur. Jam regnans linguam graecam discebat, latinaeque operam dabat, quaeque pertinebant ad rerum naturalium et astrorum scientiam, his magis immergebat animum. Haec tractantem literarum studia adjuvabant amici, quos plures habebat, quam solent qui populis imperant. Cum esset ingenio modesto, verecundo atque ab arrogantia alieno, fortunam hominis privati anteponebat fastigio principum, saepe querens, quod ordinis discrimine prohiberetur, felicitate patris familias, hominisque simplici victu cultuque utentis et cujuslibet e populo frui. Igitur sedulo appetebat, quicquid saltem speciem hominis privati suae personae indueret. Etiam progrediente aetate lectitabat libros libentissime et multos; nec nunc desinebat patentem vulgo bibliothecam visere, ibique discendi causa sermones conferendo multum tempus agebat hilariter. Simul autem beneficiis silentio erogandis et impigra cura annitens saluti sui populi consulere, cupidum se salutis hominum et parentem populi praebebat. Non is erat, qui beneficia ostentaret, qui potius, quotiescunque illa largiretur, sermonibus illa vetaret jactari. Idem

quoties edendum in vulgus librum subscripto suo nomine adjuvabat, ignorari illud volebat. Nomina eruditorum et artificum, quos praebitis annuis stipendiis sublevabat, adjectis nominibus viduarum et orborum, quorum egestati occultam ferebat opem, longum impletura essent indicem. Deficientibus sensim viribus, se non procul abesse à morte sentiens, ad eam se componebat. Quae penitus animo insidens pietas in Deum omnem ejus vitam insignem fecerat, nec morientem deseruit. Memorabile est, quod de humando suo corpore mandavit, ut neque loculo inclusa, neque cippo pressa in ipso terrae posita gremio ossa sua quiescerent.

316

Restaurationis sacrorum à magno *Luthero* fortiter susceptae et prospero successu peractae beneficio eorum, qui populis imperitant, opibus et auctoritati tantum adjectum est, ut mirum videri non debeat, quod plures eorum, in quibus etiam noster Princeps, non abnuerint, illud monumentum, quod clarissimi viri memoriae in ipsius patria statui placuit, collatis ingentibus pecuniis, ut possit effici, adjuvare. Atque illi quidem non curae erat, principum augere opes sed ea maxime jura restituere, quae et inter initia rei christianae obtinuerant, et quae secundum illius religionis formulam illis deberentur. Igitur Christianos iterum jubebat memores esse, qui sacris ipsorum praeessent, hos utique principis sui subesse imperio; penes hunc esse regimen omnium sacrorum coetuum, non quidem ut imperaret, quid quemque sentire oporteat de religione, hoc enim ipsius animo integrum relinquitur, de quo judicare unius Dei est, sed ut illius ingentis coetus salutem, securitatem et disciplinam sua auctoritate tueretur; postremo formulam religionis christianae eam esse, quae imperia principum magis firmaret, magisque provideret, ut per ea hominibus in hac vita bene esset, quam quae huic rei obstaret. Simul *Lutherus* de universis civitatibus, quae magistratibus, legibus, quaestibus, ordinum discrimine, vario genere negotiorum continentur, valde meruit. Idem cum persuaderet Christianis, ut eos, qui de religione dissentirent, patientius ferrent, simul effecit, ut vitam magis securam agerent, publicaque commoda jura et bona certius et jucundius fruenda possiderent.

317

D. *Josephus Priestley.*

Hic vir editis à se permultis de theologia, de physicis, de Chemia libris celebratus fama, olim functus ecclesiastae munêre Birminghami, decessit in America septentrionali, postquam fere unum et septuaginta annos complesset. Non multo ante obitum impeditum habebat linguae usum, sed ubi receperat vires, familiaribus adfirmabat, animum suum nunquam suavius affectum fuisse, quam dum ita fandi fuerit impotens. Brevi se moriturum sentiens, tàmen animo hilari sermones conferebat cum amicis. Gratiam se habere Deo declarabat, quod sibi liceret securo inter suos, nullis adfecto doloribus, et florenti fortunis vita excedere. Libentissime haerebat animus in cogitatione felicitatis, quae copiam fecerit, in notitiam optimi cujusque et sapientissimi vitae suae aetatis veniendi, gratamque sibi esse significabat conscientiam vitae cum aliorum fructu et beate transactae, ejusque beneficii gratiam se habere dicebat supremo omnium casuum humanorum arbitro ac moderatori. Voluit decimam primam sectionem Evangelistae *Joannis* sibi recitari, cumque recitantem in stichio quadragesimo quinto jussisset subsistere, de utilitate, quam ex literis sacris quotidie lectis ceperit, disserens, ad hanc consuetudinem tenendam exhortatus est. Amico limen intranti, tu quidem me vides superesse dixit: cui ille: spero te semper victurum. Ego vero, inquit, confido, nos in meliora loca translatos redditum nobis iri, cum impetu prehendens amici dextram. Post preces antequam cubitum iretur factas, adductos ad lectum nepotes singulos adlocutus, ut mutuam colerent caritatem exhortatus est, adjecta hac voce: equidem jam quieti me dabo, ut vos, liberi; nam mors est longa et grata quies in sepulchro, nos nobis olim reddemur. Decem sexagesimis post exspiravit.

318

Praemiis excitari opus est magis artium studia quam literarum; eruditi enim, muneribus vulgo fungentes, habent unde vitam sustentent, artifices suae operae et arti relinquuntur. Quo magis laudanda est regum principumque munificentia in exhortandis artificum ingeniis et maxime cum, ut apud nos, non inveniuntur privatae

fortunae homines locupletiores, quorum se opibus sustentatum iri sperare artes possint. Sequens *Caroli* Principis exemplum, noster Princeps eo est animo, ut liberalem artes eum habeant altorem. Et ista sustentantis liberalitate efficitur, ut patriae neque eruditi desint, neque artifices, qui diu despectam ab exteris populis Sueviam ab ista injuria vindicent. Quis ignorat viros *Hetsch*, *Müller*, *Scheffauer*, *Dannecker?* Quis nescit hos viros, alium pingendi, alium figuras aeri incidendi, alium sculpendi arte insignem gloriam foris meruisse. Nuper relatum est hoc: Dicata Principi Electori Wirtembergiae pictura, *Davidem* referens apud *Saulum* cithara canentem, quam *Schick* Stuttgartianus, adolescens pingendi artifex, nuper Romae perfecit, vulgo ibi probata est, quod quidem in laude non mediocri ponendum. Igitur haec pictura extra eam, quam non ita pridem ibi ab *Hetschio* factam omnes admirantur, inter ornamenta porticus erit fixa, ipse artifex aeque atque iste regalia feret praemia, et ignobile antea nomen in celeberrimis dicetur.

319

Ad honoris fastigium et suopte ingenio et felicitate evectus *Bonaparte* condiscipulorum olim suorum, qui ita se gesserant, ut amicitiam ipsius vel paululum mererent, prope omnium memor, honores fructuosos illis comparavit. Id ipsi tanto magis laudi est, cum is, à quo vita ejus exponitur, eum ita difficilem natura fuisse commemoret, ut à caeteris commilitonibus saepe dissenserit, eumque imparem viribus, ut assolet, victum succubuisse; denique, qui praefuerint ludo, aversatos adolescentem largiter verberandum ferula dedisse. Jam pridem fuere, qui hoc maxime praestare censerent educationem publicam privatae, quod illa occasionem praebet, amicitias et familiaritates ineundi, quae non tantum admodum stabiles firmaeque usque ad extremum vitae permanent, sed etiam ad hujus vitae casus insigne momentum facile habent. Ut omittam alios, quis est, qui ex *Nepotis* vitis illustrium virorum non meminerit, quanto *Atticum* suum *Cicero* à condiscipulatu in amore anteposuerit fratri? Quantum ille ultro exsulans etiam commodi cepit ex hujus amicitia! Nec epistolas ultro citroque datas ita quisquam legerit, ut non plurimum tribuat tali amicitiae. Secundum hoc et alia exempla cujuslibet pueri, qui cum

pluribus simul educatur et eruditur, multum debebat interesse, omnibus et maxime iis, qui ingenio et moribus excellunt, talem se praebere, ut sperare liceat, eos se aliquando habiturum auctores fortunae aut certe amicos in rebus adversis, in qualicunque sit conditione et ubicunque gentium. Talem vero amicitiam expetendam judicabunt, cum vident amicissimas congratulationes duorum hominum, quos à condiscipulatu diu disjunctos casus aliquis sibi reddit.

320

Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!

Quod ait hoc loco *Virgilius*, eos qui semet ipsi intéremerint, stultitiae suae poenitere mortuos, hoc idem dici potest de iis, qui singulari certamine congressi animam projecerunt. *Hamilton*, praefectus militum olim secundus à *Washingtone*, homo juris scientia et dicendi facultate inprimis clarus, à *Burrio*, propaeside civitatum Americae, eo usque dissensit de republica, ut hanc disceptationem non aliter nisi ferro decernendam putaverint. Ille alvum glande trajectus postero die decessit annorum quadraginta octo. Nemo erat, qui non clari et probi hominis vicem miseraretur, ejusque casum deploraret. Secundum *Washingtonem* ille potius carus fuisse et desiderari videtur. Moriens palam professus est, se cum anima odium adversariorum ponere, seque morem certamine singulari congrediendi misere invalescentem detestari et adfirmavit, animum suum non infensum esse adversario. Post haec sumta sacra coena animam posuit ea patientia, quam tota vitae prae se tulerat. Memorabile est, quod ejus filius, juvenis annos viginti unum natus, homo ingenio comi, circiter biennio abhinc eodem loco certamine singulari victus interiit. Concepta inde animo aegritudine interfector filii, qui familiariter cum eo vixerat, morte finivit dolorem. Quid prodest homini, quod cives ad unum omnes casum ejus miserabantur, quod factum inconsultum excusabant, quod pulsatis omnibus campanis dies, qua elatus est, celebrata, et funus magna hominum frequentia deductum est? Posteri quidem et rerum scriptores, qui ratione metientes facta vere aestimant, illum ut famae studuisse, ita minus sana mente fecisse judicabunt.

321

Plantarum ea est natura, ut agros hortosque visentibus multa salubria meditandi praebeant materiam. Quem non juvat videre, quemadmodum per aestatem eas particulas, quae ad ipsarum incrementum faciunt, ex aëre et terra per suas radices suaque folia attractas subigant, nec unquam cessent flores explicare, fructusque fundere, multasque sui generis procreare? At nunc prope est, ut inter naturae continua ministeria vires habeant consumtas. Jam ex illis quaedam incipiunt marcescere, praeter radicem brevi emoriturae. Frement super eas venti procellosi, latebunt glacie et nivibus opertae tanquam cippo sepulchrali. Hoccine nobis non in memoriam revocare humatos nostros, non admonere nos nostrae fragilitatis, non aegritudine implere animos? O mortales floribus caducis similes! Quicunque flos auctumno ustus languescit, quodcunque folium vietum decidit, quaecunque planta per hiemem sopiri parat, mortem et sepulchrum ut tristi animo cogitemus, hortantur. At nos, priusquam florem nostrum opprimat senectus, id agamus, ut multa edamus virtutis documenta.

322

Si marcescentes plantas nihil aliud quam humanae fragilitatis admonere putamus, fieri non potest, quin acerbissimo dolore nos adficiat illa cogitatio. Quis autem nos jubet in hac potius cogitatione defixum habere animum? Eorum quae terra gignit, interitus nihil aliud vult, quam alia denuo creari, alia renasci. Vis illa nunquam effoeta, interna, invicta, ad breve tempus in semet recedit, eo plus effectura. Enim vero plantas, per hiemem emortuas videmus redeunte denuo sole vigorem recipere, et renovatas flore juventae indutas prodire. O praeclaram imaginem mutandae naturae nostrae! Mutabitur hoc corpus, corruptioni obnoxium, corpore non corrumpendo, haec mortalitas immortalitate. Jam si nihil vere moritur, si nihil corporum extinguitur; quicquamne animorum mori et extingui? Me mors neque ex mundo, neque ex conjunctione Dei rerum omnium auctoris, poterit expellere. Illa potius hanc naturae meae ingeneratam vim vitalem nulla vi delendam, tum demum ad integram conditionem perducet. Morior, ut mortalis esse desinam.

323

Quid ad nos isti, qui Philadelphiam, quid, qui Malacam incolunt, apud quos foedas strages edit pestilentia? Ex illa autem pereant, dummodo nos salvi simus et incolumes. O turpe hominum genus, quos non pudeat hoc esse animo. Sibi quidem quisque proximus est, et suis rebus consultum quisque vult prius, monente natura ipsa, sed eadem natura praescribit, ut homo homini eam ipsam ob causam, quod homo sit, consultum velit. Imo nos quidem illos adflictos homines in America et Hispania aeque adfectis animis respiciamus, tanquam nostri populares sint et sanguinis Germani. Allatae à Malaca literae referunt, templa et omnia publica aedificia clausa esse, ubique trepidari, jacere studia negotiantium, recusare omnes, annonam in urbem importare, ut, si morbus non remittat, fames immineat, biduo aut triduo correptos lue absumi; plus dimidia parte incolarum ex urbe profugisse; qui remanserint, domi se tenere, hominum commercio abstinentes; raro evenire, ut ex aegrotis quisquam salvus evadat; proxima hebdomade ultra trecentos morte oppressos, nunc urbem militibus circumsideri, ut quemlibet ingressurum et exiturum prohibeant, infelicibus, quibus jam non pateat effugium, annonam ex longinquo advehi.

324

Quidam docentium ita monuit doctrinae suae alumnos: vestra vos aetas sensim jubet in celebritate hominum versari, ibique eritis cum ejusmodi hominibus, qui pravis imbuti sententiis excelsi animi esse dictitant, et praeclaro documento mentis liberae nullique rei obnoxiae, omnium eorum, quae ad religionem pertinent, rupto vinculo, si non in eam cavillari, tamen parvi eam ducere et angusti animi, qui nihil in se habeat, arbitrari. Nolite illis credere, imo eos fugite, tanquam maxime infestos felicitati vestrae; et quamvis magnifice jactantibus omnia recta et honesta, vos non habentes fidem, vitam eorum moresque respicite; ubi vix major quaedam cupiditas intervenerit, frigere et torpere eam, quam jactitant, probitatem videbitis. Imo credite, omnes istos serius ocyus illum testem, animis suis à Deo infixum, experturos, et conscientiae recte factorum solatium ac levamentum circumspecturos, quod maxime ex probitate, à vera in Deum

pietate profecta, petitur. *Richelieus* quidem, ille pater purpuratus, qui totam Europam per multos annos suo nutu gubernavit, homini, quem à confessionibus habebat, confessus est, se rerum multarum conscium, quarum rerum culpam antea specie reipublicae texisset, nullo modo posse conquiescere; idemque interrogatus quondam ab amico, quid ita moereat, respondit: severa res est animus; oportet utique in hac vita paullulum moerere, si nolis in aeternum multarum rerum conscientia valde angi. Alius pater purpuratus *Volseius*, homo sua aetate inprimis gnarus reipublicae administrandae hanc vocem moesto ore prodidit: ego si pari diligentia in Deum ac in regem meum pius officio functus essem meo, ille me jam senem non erat deserturus.

325

Viri maxime illustres et nobilissimi Philosophorum, iidem sincero Dei cultu excellebant. *Franciscus Baco*, Verulamius, supremi Cancellarii munere apud Anglos functus, talis fuit, qui et ingenii magnitudine et plurimarum rerum scientia non modo suae aetati et patriae, sed ipsi naturae humanae esset ornamento; cujus utrum acumen ingenii et reconditae abstrusaeque philosophiae scientiam nervosque orationis, an ingenii splendorem in libris ab ipso editis magis admiremur, incertum est. Hic vir clarissimus, cui paucos doctrinae laude comparaveris, idem summa erat in Deum pietate, per omnem ejus vitam splendide fusa. Post ejus obitum inventa est precandi formula, ipsius manu conscripta, quae magis eum commendat sapienti hominum generi, quam omnes honores, quorum fastigio dejectus reliquum vitae transegit. *Isaacus Neutonus* autem, princeps philosophorum omniumque maxime gnarus Mathematicae et sui aevi et sequentis, ita totus erat in colenda religione, ut, quae meditando consecutus erat de figura et compage mundi, transferret ad demonstrandum, esse Deum eumque praepotentem sapientissimumque, ab eoque infinita potentia sapientiaque omnes res esse effectas. Sacris ille literis cognoscendis sedulo dabat operam, maxime in id incumbens, ut rationem temporum, vaticinia et acta; quae ad *Jesum*, generis humani liberatorem pertinent, definiret.

326

Infinita potentia Dei cernitur ex virihus naturae, earumque effectibus portentosis. In his habendae sunt procellae, quales exeunte anno cum ingenti clade et pavore passa est Gallia, et fluminum terras opplentium ruinae. Talem à Funchale, quod insulae Madeirae caput est, non ita pridem relatam cum horrore accepimus. Nox inter octavum et septimum ante Idus Octobres media fluminum ripas excedentium clade ingenti apud nos pavore omnia implevit. Qui urbem interfluunt tres fluvii vesperi circa horam octavam repente adeo creverunt, ut septem pontium tres cum tectis continuis et quicquid habebant hominum vasorumque, undis abriperentur. Tecta viginti quinque nusquam comparent. Tumentes undis fluvii abrupta saxa volventes, per haec maxime cladem intulerunt. Ex his saxis prolutis novus sinus factus. Cupressi ad templum exstirpatae. Parvulus, quem puella manibus dimiserat, jam comploratus, postero die in sicco cum cane domestica, quae eum custodierat, inventus. Ex duodeviginti simul habitantibus evasit unus. Etiam munimenta urbis undarum vi perrupta. Plures pagi prope toti undis abluti; mersos periisse alii quingentos aestimant, alii mille. Speratae vindemiae dimidium profligatum. Portus Madeirae intactus clade; praeter scapham, in qua erant decem homines, nulla navium submersa. Multi anni vix sufficient omnibus, quae prostrata sunt, restituendis. Madeira occidentem versus sita in Africa Lusitanorum est. Aeterno illa vere fruitur, et omnia, quae ad vitam pertinent, cumulatim ut habeant incolae, nihil deest praeter frumenti copiam. Cultores insulae vicies et centies mille hominum esse, traditur.

327

D. *Uhland.*

Hujus viri pater, qui mercaturam faciebat Tubingae, ad annum prope octogesimum quartum pervenit, mater ad nonagesimum; ipse octoginta unum complevit annos, postquam in octogesimum usque valetudinis inconcussae beneficio usus fuerat. Nuper demum coepit, incommoda senectutis experiri, ingravescente pedum infirmitate. Veruntamen consuetum vitae institutum non magis deseruit,

quam munia publice ipsi mandata. Tam longum vitae iter emensus declarare suis potuit, se timoris et sollicitudinis expertem semper fuisse. Veritatem quavis re potiorem habens, hanc, quemadmodum ipse haberet perspectam, immota fide amplecti, religioni ducebat. Neque iracundus, neque contentiosus suam aperiebat sententiam, parum curans, quibus auribus animisque acciperetur, contentus, aperte quid sentiret et quid ipsi esset persuasum, dixisse. Qua diligentia in libellis suis limandis uti solebat, eadem in omnibus, quae publice obibat et in omni modo rerum agendarum, eminebat. Quod illi suppetebat temporis, illud sedulus conferebat ad meditandum, quae publice tradebat, ad lectitandum, ad excerpendum, ad res diligenter mente volvendas, ad scribendum et limandum. Et ille, quando muneris sui partes in levibus et minus necessariis negotiis ponebat? Quando illis anteponebat tempora remissioni danda? Quando vincebatur dulcedine vitae otiosae? Quando in fungendis officiis languescebat etiam aetate provectus? Qui vel hoc, quod grandi natu facile remissuri erant alii, sibi tamen faciendum putaret ea severitate, quae nihil remitteret, et postremo omnium sibi satis faceret.

328

Hunc laborem temperabat justo ordine et diligentia singulari. Ita ille tempus partiebatur, otiumque mutabat negotio, animumque exercebat studiis et corpori vacabat, ut commode parem teneret modum et quandam aequabilitatem, non illam quidem effectam consuetudine casu adscita, sed animo sanis rationibus obsequente. Formularum etiam et rituum certum modum à majoribus institutum amplectens, tenendum censebat, quoad fieri posset; moleste ferens, de usurpatione juris, de inferioris loci hominum discrimine, et aliis more majorum institutis aliquid temere mutari. Sed nihil ejus magis verendum, quam religio et pietas in Deum, non illa tetrica, caerimoniarum speciem ostentans sectaeque cupida, sed quieta, libera et constans ratio animi factorumque respiciens Deum et Jesum servatorem, confirmata Dei cultu domi peracto et precum usu assiduo, publicisque sacris crebro frequentatis, praetermissaque nullo die librorum divinorum cognitione et officii partibus fideliter expletis. Ergo animum ita pietate in Deum corroboratum confirmatum-

que necesse erat frui tranquillitate secura; quae quidem, voluntatum temperamento adjuta, in eo unice eminebat.

329

Per ferias aut parum aut nihil temporis datur studiis; et ideo conceduntur illae, ut intentus antea animus remittatur, et magis ratio habeatur corporis. Nolimus autem cum aegritudine reminisci illius tempestatis, quae non magnopere invitabat ad fruendum coelo, aut quam maxime cupientes frui impediebat. At ex ista coeli inclementia nonne aliquod salubre documentum retulerimus? Quid? si didicerimus ita sentire: haec tempestas quidem mihi valde molesta est; sed arbiter mundi non temere nec frustra imbres nivesque videtur terris immittere; forsitan illud pertinet ad magna quaedam efficienda, aut certe ad salutem omnium: Singula quidem totius causa oportet dimitti; igitur ego quoque privatum commodum non recuso dimittere propter salutem universi. Ita conquiescere in decreto domini nostri, ita pie adfecti esse in optimum parentem hominum si didicerimus, equidem nescio, quid majus et salubrius fuerit, quod disceremus. Nam profecto ad animi nostri aequitatem, in qua posita est nostra felicitas, valde interest, ut ejusmodi res, quas quia non in nostra sed Dei potestate sunt, mutare non possumus, aequo animo feramus. Denique si putamus, multa gaudendi materia sperata nos caruisse; nonne vespertini temporis jucunditas, cujus spes nunc ostenditur, nostram voluptatem eo magis augebit, quo jucundior est ab opere diurno animi relaxatio?

330

Si non exemplis constaret, fuisse qui vestimenta aliaque vasa mortuorum hominum inprimis clarorum, ut *Friderici* Unici, auferre contenderent et si non ingenia hujus seculi ita essent prona ad modum excedendum, ut à gravitate majorum longe abhorreant, prope incredibile videretur, quod de iis, qui pro admiratoribus celeberrimi *Kantii* haberi volunt, relatum accepimus. A Regiomonto haec adlata sunt literis: relicta à *Kantio* illo nostro instrumenta cupidissime expetuntur. Exstincto jam venerabili sene, circumfusa urgentium turba expugnare cupiebat reliquias mortui, velut vulgus ossa hominis consecrati.

De minutissimis rebus ab eo relictis ita certabatur plus licitando, ut, quae per se nullius essent pretii, magno venderentur. Erant, qui canos hominis capillos in annulorum usus plecterent. Cum fiebat auctio suppellectilis, obsoletus pileolus triginta annorum usu tritus, quam mane team sorbens capiti imponebat, octo, vilis autem capsula Nicotianae murrhina sex, et capillamentum decem imperialibus emtum. Quidam advena, aeque avens auferre aliquod clarissimi hominis monumentum, ab ejus famulo aliquot schedas, ob hoc unum aestimabiles, quod *Kantii* manu erant scriptae, aureo nummo emit. Ephemerides viri, in quibus et nomina convivarum quos vocasset, et dapes, quas singulis diebus apposuisset, consignabat, supra modum licebant.

331

Hoc mense multos omnis aetatis efferri vidistis, quibus non datum, ut vere fruerentur; in his adolescentem duo de viginti annorum, ea proceritate, eo flore corporis, eo robore, naturaque sic temperata, ut crederes, eum à morte longe abesse. Decessit ex eo morbo, cui adolescentia maxime obnoxia est, nisi valde circumspecte ut cibis potionibusque fruatur, ita corporis vires intendat. Nec dubium, quin magno illi solatio fuerit morte adpropinquante, si suus ipsum animus non arguebat, ulla libidine, quae corpus foedat ac vitiat, mortem accelerasse. Quibus ille moribus fuerit, literae obitum ejus indicentes, paucis verbis, sed iisdem argutis significant: Amans ipse amabatur. Quisquis hoc scripsit, egregio adolescentes praecepto monuit, cui obtemperantes ubique gentium bene rem gerent. Meministis brevis illius dicti: Si vis amari, ama. Hoc aeque verum est ac illud, quod *Nepos* in vita *Attici* ait: sui cuique mores fingunt fortunam. Hac quidem aetate in multis adolescentium desideratur illa verecundia et comitas, quae una hominum cujusque ingenii gratiam conciliat. Multi id sumserunt arrogantiae, ut non digni videantur, quibus bene velis. Adolescens autem quantumvis maxime excellens arte et doctrina, si non idem prae se ferat verecundiam et comitatem, non magnopere florebit gratia hominum.

332

Illum *Cromvellium*, qui necato *Carolo* I. Rege Anglorum, et sublato regno principatum Reipublicae sumto Protectoris titulo ope militum ipsi deditorum occupavit, neque magna vis ingenii, neque mira ars cognoscendi ingenia hominum, neque animi firmitas, neque versutia tutum praestabant ab iis incommodis, quae multos plurimum pollentes principes secuta sunt, si qua re contra fas suscepta, vafrisque artibus et crudeliter in alios consulendo, suum ascenderunt fastigium. Ille prope omnibus se odio esse sensim videbat. Quisquis erat amicus libertati, hanc ab eo oppressam dictitabat. Eorum, qui regi favebant, ingens multitudo seditionem contra eum movebat. Hanc ille quidem, qui prope omnia occulta consilia regiorum per suos speculatores in tempore comperiret, cum maxime eruptura erat, composcuit. Ipsius filiae causae regis favebant, praeter natu maximam, quae tanto cupidius liberum esse populum volebat. Etiam militum animos ad defectionem inclinari adparebat. Nec habebat ille familiarem, cui, animum quid ureret, aperiret. Postremo ita se gerebat, ut nemini non adpareret, metu eum angi. His curis assiduis liberavit mors natum annos quinquaginta novem. *Richardus* filius, qui ei successit, principatu anno post deposito, in praedio paterno ultra annos quinquaginta securam agebat vitam, à quo nemo esset offensus et longe vincens felicitate patrem, cui ad regiam majestatem nihil praeter nomen deerat.

333

Diogenes, illud prodigium, à praedonibus maritimis captus Cretam, ubi venundaretur, asportatus est. Ibi interrogantibus, quid artis sciret, artem imperandi, inquit: facite me venundetis cuipiam, cui opus sit domino, et qui tantum sapiat, ut hoc sciat. Mirum videri hoc responsum, et, quod magis mirum quaesitum à se hominem nactus est *Diogenes*. *Xeniades*, Corinthius emtum abduxit Corinthum eumque et negotiis suis gerendis et rebus domesticis praefecit, educandosque ex se natos seque ipsum homini erudiendum tradidit.

Videtisne, quam late pateat vis ingenii et probitatis?

Ante id factum, quo tempore *Diogenes* scholam habebat Athenis, unus ex filiis *Onesicratis* in hanc urbem

profectus, cum à se impetrare non potuisset, ut à *Diogenis* latere discederet, Aeginam redire noluit. Missum à patre alium ex filiis idem favor hominis retinuit. Denique cum ipse filios quaesitum ivisset, non magis quam ipsi, rediit. Quotumquemque adolescentium pariter alliciunt trahuntque doctrina et artes?

Ut mire adducit sibi proxima corpora magnes
Nescia, quid fixo cogat abire loco:
Non aliter virtus divino lumine clara
Vique potens tacita pectora multa trahit.
Imperat haec animis, ut non parere recusent:
Haec miti cogit subdere colla jugo.
Utque lyram vatis Thraci sunt saxa secuta;
Sic ad se virtus saxea corda rapit
Virtutis soror est rerum prudentia major:
Hae simul ingeniis imperitare solent.
His etiam Siculos credam parere tyrannos,
Et vim coelestem senserit ipse *Thoas.*

334

Cum per divitias consequamur ea, quae homines in hac vita maxime admirantur, et expetenda putant, honores et magistratus, agrorum possessiones, aedes lauta supellectile instructas, vitamque omnibus deliciis diffluentem: quid mirum tanti illas à vulgo fieri. Nam illas quidem quis est qui non summis efferat laudibus? Illas unice admirantur, exoptant, consequi nituntur. Eae videntur, in quibus posita sit omnis vitae jucunditas; paupertas autem ea, quae probrum afferat et calamitatem.

Sed tamen ab antiquis rerum scriptoribus traditum est, fuisse civitatem, quae isti sententiae una voce reclamaverit. *Euripides* poëta in fabula quadam hominem induxit magnis efferentem divitias laudibus, verbaque extrema dicentem haec: Divitiae sunt summum bonum generis humani, nec immerito admirationem Deorum hominumque novent. Quibus verbis auditis ira incensa, omnis Atheniensium multitudo in poëtam uno consensu coorta est, extemplo expulsura urbe, nisi petiisset, ut exitum fabulae vellent expectare, illum laudatorem divitiarum visuri miserabiliter pereuntem.

Infelix oculus congesto pascitur auro:
Quid loquor? hoc summum creditur esse bonum.

Miraris forsan, quod meta haec una petatur;
Quod petitur, vulgo porrigit illa suo.
Ille per argentum conscendit turpe tribunal;
Hic arat arrepti jugera multa soli.
Ille domos amplas vasis splendentibus ornat,
Deliciis amat hic luxuriare novis.
O cives, cives, quaerenda pecunia primum:
Hoc clamat Batavus, clamat et Anglus idem.
Infelix aurum, tua sunt praeconia clara,
Omnibus ex linguis pectoribusque sonant.

335

Vespasianus.

Anno post C. N. septuagesimo Rom. Imperium suscepit *Vespasianus.* Erat ille non solum dux aetatis suae peritissimus et qui rem optime gereret, sed etiam, quo viri ingenio magis egebant Romani, ita amans disciplinae, ut eam magna diligentia et severitate restitueret; omninoque plurimae in eo erant virtutes principis egregii. Pacata republica et reddita rerum incolumitate, multa per deterrimam licentiam nullo metu ante ipsum admissa abolevit. Militum maxime, quidvis sibi indulgentium, procacitatem atque intemperantiam compescuit. Obsoletam inter illos disciplinam mil. restituit, qua sublata illud hominum genus plus adfert patriae perniciei quam salutis.

Ductores quoque ordinum molles et effeminatos esse noluit, quare cum ductorem jussisset juvenem Romanum, postquam ille pro impetrata praefectura gratias acturus ad ipsum fragrans unguento venisset, nutu aspernatus Imperator voce etiam gravissima increpuit: Maluissem allium oboluisses; denique literas revocavit.

In Senatum Rom. cujus priscam majestatem multorum senatorum indigni mores oppresserant, sublegit viros ingenio omnes et probitate conspicuos.

336

Non ultra passus est, causas forenses cum damno insontium in multos annos extrahi. Idem providit, ut, si cui quid tumultu temporum per injuriam ereptum fuisset, id restitueretur. Ita cum esset juris et aequi amantissimus;

tamen adeo miti erat ingenio, ut foedissimorum scelerum damnatos ingemiscens, saepe etiam illacrymans videret ad supplicium rapi. Etsi erat plenus consilii; tamen eorum, qui saperent consiliis libentissime utens. Senatores, quorum in concilio aderat frequens, monebat, ut sententiam libere dicerent, quos non ideo juberet coire, ut, quod ipse factum vellet, temere ratum facerent, sed potius bona consilia, quibus uti posset, communicarent. Aspernabatur titulos, pompasque et publicos honores, mira erat comitate, qui infimae conditionis hominibus facultatem ultro daret sui conveniendi. Delatores, quibus maxime faverant Imperatores, ipse non admittebat, idque genus hominum perniciosum, aliena ruina crescentium, non provocans satis habebat, manifestos reos dare supplicio. Denique eos, qui adversus se principem conjurassent, supplicio liberavit, magis commiserandos esse dicens quam plectendos; nescire, quanti sit oneris officium principis.

337

Ferebant, *Vespasiani* mores principatu non mutatos esse, nisi quod animo ad gratificandum proclivi posset obsequi. Solam prope in eo pecuniae cupiditatem culpabant Romani. Quasvis enim rationes, saepe etiam pudendas, inibat conficiendi pecuniam. Quodsi ideo fecisset, ut ingentes divitias sibi congereret, profecto reus fuisset illius vitii, quod principis persona aeque indignum est, ac inconsulta profusio.

Sed *Vespasianus* illatam aerario pecuniam impendebat reipublicae. Qui ante ipsum erant imperatores aerarium adeo reliquerant exhaustum, ut aegerrime illud repleret. Quod cum faceret, illam pecuniam et restituendis urbibus, incendio aut motu terrae adflictis, et sublevandis viris bene meritis, sed iisdem egentibus, et statuendis in Roma admodum vastata aedibus magnificis et reficiendis viis publicis, aliisque rebus utilibus noliendis insumebat. Is cum alia Romae, tum vastae molis Circum aedificavit, sive Amphitheatrum ludis gladiatoriis et belluarum decertationibus, quod nomine gentis dicitur *Flavianum* et cujus ruinae spatiosae, plurimum stabilitatis et pulchritudinis ostendentes, etiam nunc admirationi sunt.

Hujus principis munificentia laudabilis ingenia quoque et artes vel maxime fovebat. Primus imperatorum latinos graecosque rhetores Romae dato annuo stipendio publicos

doctores constituit, cum antea non nisi incertam pecuniam unde alerentur, à Romanis locupletioribus accepissent.

Mortem denique appropinquare sentiens *Vespasianus* cum etiam tunc vellet ostendere, animo saltem non deesse istum vigorem, circumstantibus, Imperatorem, inquit, stantem mori oportere, et consurgens inter manus sublevantium exstinctus est. Hunc principem, cum decem annos optime imperasset, excepit alius, etiam carior Romanis.

338.

Titus.

Tito pater reliquit imperium. Hic ab ineunte aetate, formae gratia, vi ingenii, multiplici doctrina, artibus corporis aliisque bonis, maxime autem miti placidoque ingenio, modestia, etiam post edita publice decora, et impigra cura, de patria merendi, multorum Romanorum oculos animosque in se convertit. Cariorem cum post Judaeos devictos fecerunt fortitudo, ingenium et clementia. Pater eum in imperii societatem adsumsit; sed erant, qui in suspicionem adfectati regni orientis vellent filium patri adducere. Hanc ut invidiam frangeret, *Titus* ex his locis contendens in Italiam, quum eo venisset, adeo festinavit, ut oneraria nave usus sine ullo instrumento et comitatu Romam veniret. Ita cum patri inopinanti supervenisset, valde conscius, se immerito argui acclamavit, et veni, inquit, pater, veni.

339

Tum vero mores praeter opinionem mutati. Multa violente et propemodum crudeliter faciebat, vitam sectabatur libidinosam cum perditis sodalibus, et litigantibus aequas sententias nundinabatur, ut Romani alium *Neronem* opinarentur. Sed hi metus, à *Tito* injecti, posteaquam adeptus est imperium, in maximas laudes conversi sunt. Nunc apparuit, ut libidinibus indulserit, quas et aetas et majestas, et sodales et luxuriosae civitatis illecebrae aut concedi aut certe ferri posse suadebant, ita eundem, cum ad imperium pervenerit, vim animi collegisse, ut auctam officiorum molem sustineret. Illud quidem usu venit, ut principis filius, qui adolescentiam in flagitiis consumebat,

adeptus principatum, eosdem teneat mores, vel etiam in pejus ruat. Tum enim legibus nequaquam se teneri opinatur. Sed tum, cum summa rerum potitus est, ut ad frugem redeat magisque operam det virtuti, id vero, cum non sine summa animi contentione efficiatur, paucissimi conantium consequuntur. *Titus* statim sumtis viris sapientibus, quorum familiaritate et consilio uteretur, veterum sodalium consuetudinem tam sedulo abrupit, ut et hominibus et oblectamentis, ipsi olim longe carissimis, prorsus abstineret.

340

In rebus omnibus comem se et benevolum praebebat cuilibet; neque tamen, quin recta et aequa vellet atque decerneret. Antea cum quisque Romanorum à novo Imperatore peteret, ut concessa à superiore beneficia rata haberet, *Titus*, quia neminem virum bonum vellet rerum suarum esse incertum, omnia à superioribus principibus concessa beneficia uno confirmavit edicto. Initio statim, si quis quid peteret, eum non sine spe dimittere decrevit. Quod cum faceret, admonentibus interdum domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset, non oportet quenquam, ait, à sermone principis tristem discedere. Neque enim, cum imperator esset, facultas non suppetebat, aliquo beneficio adfectos dimittendi, qui petitum venissent. Atque ille dies imperii ad beneficia per illos collata exigebat. Itaque quondam super coenam recordatus, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, moerorem prae se ferens, amici, ait, diem perdidi. Vox sane digna principe, cum hic tam excelso loco à Deo sit ideo positus, ut quasi ipsius vice non fatigetur dando beneficia, aut certe, ad dandum nunquam non sit paratus. Pro his moribus, quos non verbis jactabat *Titus*, amor ac deliciae generis humani adpellatus est.

341

Miti ingenio non impeditus, quo minus in homines improbos et alieno laetantes malo animadverteret, gravioribus etiam, quam pater, poenis adficiebat delatores, qui antea cives accusando fictisque vel exaggeratis criminibus insimulando praemia captabant. Sed flagellis ac fustibus sontes caedi jussisse contentus, non cujusquam

necis auctor erat, periturum se potius quam perditurum adjurans. Injurias ipsi illatas clementius ferens, neminem ejus rei poenas dare voluit. Neque enim quisquam, ajebat, injuria aut probro adficere me potest, qui nihil admittam, quod sit reprehendendum; quae autem falso criminantes spargunt, ea nequaquam curo. Duo nobiles Romani cum principatum ei vellent eripere, prodita eorum perfidia monuit, ab incepto desisterent, quia principatus fato daretur; si quid praeterea desiderarent, se tributurum. Confestim ad matrem alterius, de filio valde sollicitam, misit, qui salvum esse nuntiarent. Ipsos eadem nocte familiari coenae adhibuit, et insequenti die, gladiatores spectans, circa se collocavit, etiam ornamenta pugnantium, ipsi offerri solita, inspicienda porrexit.

Adeo ille clementia vincere adversarios cupiebat!

342

Munificentia, comitate et civilitate, qua in populum Rom. utebatur, his ille virtutibus omnes ante ipsum principes vicit. Quo magis carum habebant *Titum*; qui enim princeps interdum personam ponere videtur, ut aequo jure omnes homines nasci recordetur, nullius non ex populo favorem conciliat. Forte sub eo Romani foedis calamitatibus publicis adfligebantur. Vesevus mons ignivomus, circa Neapolin, ejectis flammis, cineribusque et pumicum incredibili mole vastitatem in agro late effecit. Isti conflagrationi accessit tremor terrae vehementissimus. Ignei montis cineres in terras longe remotas delati, coelo obducto, Romae lucem diei subito in noctem converterunt. Complura oppida prope Vesevum ista mole obruta et mersa; in his Herculanum et Pompeji, quarum pars magna viarum et aedium plus triginta annis abhinc reperta, ex iisque multa singulari opere artificioque perfecta sunt eruta. Aliae urbes eadem clade simul adflictae et infinita hominum multitudo oppressa. Hac strage nunciata *Titus* et summa ope adnisus est, ut pressis calamitate opem ferret, et ipse loca, de quibus dictum est, adiit.

343

Ibidem cum moraretur, ingens Romae pars foedo absumta est incendio. Consecuta mox pestilentia infinitam

hominum multitudinem leto dedit. Quo audito statim Romam reversus *Titus* populum edictis per civitates missis consolatus est, et quicquid cladis intulisset incendium, id omne ex suo aerario curavit restituendum, recusans eam, quae à locupletioribus, civitatibus, exterarum quoque gentium regibus ultro offerebatur, pecuniam accipere; quippe qui unum quasi parentem populi videri se vellet. Sed talem se praebere non nisi ad breve tempus potuit, qui vix ultra biennium imperaverit, vixque unum et quadraginta annos vixerit.

At enim hoc valde funestum fuit hominibus, quod principem tam bonum mors praematura eripuit rebus humanis. Sed plures ejusmodi casus memoria accepimus. Multi egregiae indolis adolescentes tum fato rapti sunt, cum pulcherrimam sui spem ostenderent; improbis hominibus, cum nihil aliud quam incommodis alios fatigarent, extrema aetate provectis. Id cur Deus sinat evenire, ipse unus perspicit. Nos admiramur, et ejusmodi casibus multa edocemur; sed de iis queri, nefas est; quisque nostrûm potius debet tanta festinatione tantaque contentione, ad summum virtutis gradum eniti, tanquam breve tempus ad vivendum ipsi detur.

344

Vitae jam adesse finem sentiens *Titus* conquestus est, quod in ipso aetatis flore sibi esset ex vita discedendum: quod questum esse facile ignoveris bono principi, qui aetatem in hominum salute juvanda consumere in animum induxisset. Illud etiam adjecit, unius duntaxat facti poenitendi conscientia se angi. Quis est, qui non magis admiretur *Titum*, abs quo sub vitae exitum hanc videat ad animum revocari et, quod quidem ipse sciat, unum modo facinus deprehendi quod à se perpetratum nolit.

Eo exstincto omnes non secus ac in domestico luctu moerebant. Laudes mortuo congestae sunt multo magis palam et majores, quam vivo, qui per adulationem elatus laudibus videri poterat. Malignis et sermonibus et consiliis *Domitiani*, fratris dissimillimi saepe lacessitum omnes hae offensae non permovebant, ut poenam à fratre sumeret. Interdum secreto et lacrymans orabat, ut mutuo tandem in se animo esset. Sed adeo fefellit operam *Domitianus*, quippe qui ab ineunte aetate vitiis indulsisset, ut fratris boni eum magis taederet. Quem penes cum esset, alium

sibi destinare successorem, quod quidem illum facere valde interfuisset, amore in fratrem victus illud omisit.

345

Nerva.

Domitianus, frater optimi *Titi* dissimillimus, non est dignus, cujus fiat mentio. Hoc suorum insidiis oppresso, Romanis iterum contigit, non multo ante annum centesimum principes habere laudabiles ultra annos octoginta continuos. Quorum primus *Nerva* tam mitem clementemque se praebebat dominum, ut vulgo daret libertatem, de qua re et quid quisque vellet, loquendi scribendique. Qua libertate etsi plerique hominum lasciviunt, tamen propter paucos, qui ea recte utuntur, nihil ea potest esse praestabilius. Hic princeps cum nihil vehementius cuperet, quam se Romanis esse carum, beneficiis eos cumulavit, et quo munificentior in cives egenos esse posset, etiam vasorum, quibus utebatur lautissimis, magnam partem vendidit.

Ipsius desideriorum modus magis erat finitus; quippe qui vitam lautiorem aspernaretur. Quidam *Atheniensis* invento intra aedes suas immenso argenti pondere, rem ad Imperatorem detulit, et, quid eo fieri vellet, interrogavit. Hic uno verbo respondit: tibi utere. Sed homo Atheniensis cum ne tum quidem desiisset arbitrari, grandiorem quam pro sua persona esse thesaurum, iterum ad Imperatorem decurrenti hic rescribit: tu vero abutere! facete significans, qui pecuniam invenisset, hunc debere in potestate eam habere. Denique comitas hujus principis erat ejusmodi, ut fidens diceret, securum se posse imperium deponere atque unum ex populo fieri, qui nullius facti conscientia angeretur, quo hominis iram adversus se commovisset.

346

Nerva, quanquam miti erat ingenio, tamen non passurus Romanos in lasciviam et mores perditos sine pudore prolabi, nihil aliud, quam poenas constitutas mitigavit, et ad supplicium duci neminem voluit, ne eos quidem, qui contra ipsius caput conjurassent. Sed violenta ingenia et ad libidinem proclivia neque rigor disciplinae coërcet,

neque magis lenis severitas. Capti insolentia milites praetoriani oderunt *Nervam*, qui non, ut *Domitianus*, ad indignorum facinorum ministeria ipsos adhibens ingentis accipiendae mercedis copiam daret. Ferociter et comminantes instabant, ut quosdam viros dignitate conspicuos, quos odissent, supplicio daret. Frustra conatus *Nerva* obsidentium domum suam animos lenire, cum caedem postulantium furori suum corpus objiceret, tamen homines illos, ipsis invisos, trucidarunt. Qua re admonitus princeps optimus, prope septuaginta annorum, senectutem suam nequissimis hominibus contemtui esse, *Trajanum*, quem imperio post ipsum suscipiendo maxime omnium parem existimaret, eundemque virili aetate florentem imperii socium delegit, nec multo post moriens principem reliquit.

347

Trajanus.

Trajanus spem, de se à civibus conceptam, omnem implevit. Hic cum esset bello valde strenuus, tamen id circo non putabat, omnia armis aut certe per vim agenda, in quod vitium praeceps est animus hominum bellandi cupidorum. Atque ille ne creari quidem se principem passurus erat, nisi auctores fuissent Romanorum nobilissimi. Sed non alios certe mores induit princeps, quam quos servasset Imperator; eaque de causa scripsit Senatui, non arbitrari se ideo, quod principatum obtinuisset, minus teneri legibus quam infimum quemque Romanorum. Igitur praefecto cohortis praetoriae gladium pro more tradens, cape, inquit, hunc gladium eoque utere: si meruero, pro me; si non meruero, contra me. Publicis autem votis, quae sub anni initium pro salute principis fiebant, pari animo adjecit has conditiones: si legibus obtemperaverit; si remp. sic, ut aequum et fas est, rexerit; si civibus consultum voluerit. *Trajanus* cum esset Imperator se et milites severiori disciplinae militari, patientiae laborum et contentioni virium adsuefecit; eundem morem tenuit princeps. Semper pedibus incedens ducebat exercitum, cum ceteri principes tum vehiculo aut lectica uterentur.

Cervices populi duras violentia franget
 Quodque negant voces civis, id arma dabunt.

Audis, quid clament indigna voce tyranni,
Qui belli studio pectora plena gerunt.
Non ita *Trajanus*, quo non dux fortior alter,
Pro miti sceptro saevus in arma ruit.
In caput hoc, dixit, gladium, supreme satelles
Stringe datum, meruit si mea culpa necem.
Publica vota dabit populus pro principe salvo,
Si legis freno pareat ipse sacrae.
Si res Romanas moderetur legibus aequis,
Si populum cupiat prosperitate frui.

348

Victus vestitusque parum differebat à cultu gregarii militis; ipsi mos erat, noctes, si major quaedam res urgeret, lucubrando consumere, suisque oculis omnia perlustrare, non eorum, qui retulissent, auctoritate niti. Quondam proelio cum hostibus commisso cum lintei copia non esset, quo multorum militum vulnera obligarentur, statim *Trajanus*, ut huic malo occurreretur, sua vestimenta discidit. In pace pariter impigrum et temperantem in victu cultuque se praebebat. Mira erat liberalitas et beneficentia, nec minor modestia et clementia in hostes. Cum debitam verecundiam legibus restituere in animum induxisset, et civibus romanis jus antiquum, quo suos magistratus ipsi crearent, reddidit, et ipse consulatum petens ambivit. Vias ille publicas, aquarum ductus, portus et alia opera utilia, inprimis quae Romae essent usui, constituit. Hoc caput imperii magnificis exornavit aedificiis et monumentis; ex quibus columna mirae altitudinis nomine ipsius adpellata etiam nunc admirationi est. Objicit ea oculis bis mille et quingentas imagines, hominem totum vel partem ejus superiorem repraesentantes, praeterea quam plurimos equos, arma et alia vasa eminenti opere caelata, quae sunt omnia servandae memoriae bellorum rerumque armis victricibus gestarum.

Principis ecce boni prostat *Trajanus* imago;
Haereat ante oculos principis illa boni.
Saepe humeros urget multarum sarcina rerum,
Et longas operas deficit ipsa dies.
Tunc inter tabulas videt illum luna sedentem
Et vigili dulcis lumine somnus abit.

Dumque sui cives jam somni munera carpunt
Pro populi votis excubat ipse sui.
Ipse suis oculis perlustrat quemque libellum,
Et venit ad patrias littera quaeque manus.
Non segnes praebet servis narrantibus aures;
Dictorum cautus ponderat ipse fidem.

349

Tot egregiis virtutibus et meritis *Trajani* permotus Senatus Romanus honorifico cognomine Optimi adpellandum censuit, quod ipse pluris faciebat, quam omnes ceteros honoris titulos, victoriarum causa ipsi collatos. Tam multas enim terras adjecit imperio Romano, ut latissime omnium fines ejus extenderit. In Europa quidem auxit remp. Dacia, sive Transsilvania quae nunc dicitur, Moldavia, Valachia et parte Hungariae, in Asia autem agro Parthorum, armis ultra Tigridem promotis.

Admirabili ingenio scripta latina laudatio, qua *Plinius* minor ornavit *Trajanum*, non tantum propter artem dicendi in illa ostentatam et laudes congestas, sed eo maxime in perpetuum memorabilis est et animis legentium commovendis aptissime, quod nihil ejus principis laudat, nisi manifestam virtutem resque ab ipso gestas.

Sed gloriosam viri memoriam adeo infixam animis tenebant Romani, ut nihil haberent, quod majus acclamarent principibus post eum imperantibus quam hoc: Sis felicior *Augusto*, melior *Trajano*!

Aeternum nomen *Trajanus* moribus aequis
A memori rerum posteritate tulit.
Si quis enim laudat virtutem principe dignam
Trajani sanctae jactitat esse parem.
Immeritum decus est, felicis nomine dici.
Fortuna indignis caeca favere solet.
Sed virtute viros una metimur honestos.
Haec decorat clarum laurea sola caput.
Hoc est, cur vireat *Trajani* fama perennis,
Caesaris hinc haeres nobilitate minor.
Si vultis reges famam per secla virentem:
Templum virtutis pectore ferte sacrum —

Adrianus.

Qui ei successit *Adrianus* non indignus fuit, ad quem perveniret imperium. Tantum quidem aberat, ut natum ad arma *Trajanum* aequaret, ut magnam partem terrarum in Asia maxime ab illo captarum iis, qui antea tenuissent, populis et regibus restitutam vellet. Sed non falso credebat, imperium suum etiam sine his satis esse amplum magnamque imperantis diligentiam desiderare; sed ab istis provinciis bella ex bellis seri necesse esse, quae vellet declinare. Immensae quidem molis imperium, cum illius princeps non is sit, qui in omnes partes pariter convertat animum oculosque, facile patet turbantium motibus; paucorum autem civium saluti consulere, eosque servare incolumes, longe magis gloriosum est, quam vasto populos tenere imperio, quibus non summa ope possit prospici. Hoc sibi faciendum, quantum in se esset, *Adrianus* putavit. Dicere solebat: principem idem facere debere, quod solem, qui omnia loca orbis terrarum collustret, foveat atque foecundet. Itaque non contentus, imperium etiam tum vastum missis à Roma decretis regere, omnes, quae illius essent, provincias suis inspicere oculis, quod deesset ubique restituere, quae essent vitiosa emendare, denique rebus à se cognitis populos, quibus praeesset, juvare constituit. Ac peragrando imperium prope septendecim annos consumsit. Ut autem adpareret, in aliorum salutem, non animi causa itinera à se suscipi, magnam ejus partem emensus est pedibus et capite non operto, per loca calidissima aeque ac frigidissima.

Qui sceptrum in latos terrarum porrigit orbes
 Hunc facile terret seditiosa manus.
Multa oculos fallunt immenso in gurgite rerum:
 Cura nequit cunctis invigilare locis.
Exiguos duxisse greges in pascua laeta
 Et flores parvi continuisse soli.
Pulchrius est vobis illud mihi credite reges,
 Quam populos armis et cohibere metu.
Quid juvat immensas sceptro compescere gentes
 Si vigiles oculos pars bene magna fugit?
Sol mites radios immensum mittit in orbem
 Et loca collustrat lumine cuncta suo.

Hic circumfuso tellurem mitigat aestu,
Et gravidam foetu seminibusque facit.
Non aliter princeps terras circumspicit omnes,
Subjectumque solum mitis ubique beat.

351

Quascunque civitates adiit, in iis multos beneficiis adfectos dimisit et jus cum maxima cura reddidit. Multa providit, quae essent tuendae gentium incolumitatis, multas urbes splendidis aedificiis, templis, bibliothecis, pontibus et aliis ejusmodi exornavit; idemque plura oppida, ea maxime, quae terrae motu essent adflicta, ex integro curavit restituenda. *Adrianopolis*, circa Constantinopolin, nunc etiam nomine ejus adpellatur.

Denique nemo principum nec plura nec utiliora aedificia exstruxit. Laudi est etiam illud, quod leges reip. causa in corpus jussit redigi. Unde beneficia daret, magis ipsi suppetebat, qui aspernaretur sui corporis nitorem, quem ut multi homines admirantur aut non aequis oculis intuentur, ita ipse, cujus in manu est, nihil eo esse vanius saepissime intelligit. Idcirco *Adrianus* pecunias, ipsi debitas, non privato sed publico aerario inferri jussit.

Qui ipsum, antequam principatum obtinuisset, offenderant, omnibus ultro veniam dedit, atque uni eorum, quondam obvio, per me principem creatum, ait, salvus es. Accedebant his multa egregia bona: singularis memoriae vis, multiplex eruditio, intelligentia picturae, musicae, poëticae et eloquentiae. Quod nisi interdum in crudelitatem ac libidinem lapsus esset, magis suo merito egregius princeps diceretur.

Sacravit suae memoriae factum ex marmore sepulchrum mirae pulchritudinis, quod ferme speciem praealtae statuisque distinctae turris referebat. Multis tentatum cladibus nunc pro munito castello est tuendae urbis parti, nomine arcis Angelicae insignitum.

Quo mihi corpus, ait princeps hoc nomine dignus,
Quod gemmae decorant purpureusque nitor.
Angustis animis puerilia vota relinquo,
Meque virile decet, non muliebre decus.
Illa stupet fateor, vulgus, dicitque beatos,
Qui toto portant vestem oriente gravem.
Macrescunt alii regnantum rebus opimis
Stultaque consumit pectora livor edax.

En ego, cui gemmas melior sors donat et ostrum,
　　At, quoties cerno, quam sit inane decus.
Vana alii prodeant hac majestate corusci:
　　Ex auro nobis gloria major erit.
Nam mihi posse datur rebus succurrere lapsis
　　Munificoque animo plenior arca patet.

352

Antoninus.

Marcum Aurelium, pulcherrimae spei adolescentem, *Antoninus*, qui *Adriano* successit, adoptatum, cui imperium relinqueret, destinavit. Illum cui traderet erudiendum princeps, *Apollonium* philosophum, Chalcide, Asiae oppido, Romam arcessivit. Missis deinde, qui rogarent, ut in aedes principis veniret, *Apollonius* discipulo, inquit, eundum esse ad praeceptorem, non praeceptori ad discipulum. Quo audito princeps subridens nihil aliud quam hoc dixit: An *Apollonio* magis incommodum videtur, ex suo deversorio ad aedes principis venire, quam Chalcide ad urbem Romam? sed adolescentem tamen jussit ad praeceptorem ire. Etiam acerbissimis lacessitus injuriis miti se animo praebuit ille princeps. Patefacta contra ipsius caput conjuratione, Senatum de consciis ulterius graves quaestiones habiturum, Imperator vetuit his verbis: Nolo multos homines scire, quam odio sim.

O servile pecus, grex o miserabilis aulae,
　　Qui nutum servas principis usque tui.
Quid tibi cum nobis, homines qui nempe vocamur,
　　Sed nata ex alio sanguine turba sumus.
Turpe putas, mortem docti deflére magistri;
　　Nam glebae fuerat deterioris homo.
Turpe putas, lacrymas manare à principis ore
　　Turpe, hominis mortem fronte dolere pia.
Sed tamen egregius princeps quid judicet, audi:
　　Non pius ex aulis exulat omnis amor.
Immites animi, juvenem cur flere vetatis?
　　Ah sinite, humani sit memor officii.
Non est majestas, non est sapientia dura
　　Ut molle ad luctum pectus habere vetent.

Die nächst vorstehenden Verse gehören eigentlich zu No. 106.

353

Aspera verba moresque importunos, si quid causae videbatur subesse, non moleste ferebat *Antoninus*. Quondam cum salutatum ivisset *Onulum*, locupletem Romanum, ut magnificas hominis aedes viseret, quaerenti tum forte, ubi quasdam columnas nitidas emisset, *Onulus*, inquit importune, in alienis aedibus surdum mutumque esse oportet. Quo responso se curiositatis argui princeps tulit.

Cum praefecti gerens personam venisset in Asiam, ad domum, quam Smirna habebat lautissimam, devertit, quae erat *Polemonis* rhetoris. Id se insciente factum, cum media nocte redisset domum, indigne ferens, linguae intemperie compulit *Antoninum*, ut eadem nocte aliud peteret deversorium. Hic postquam obtinuisset principatum, *Polemo*, id gratulaturus Romam venit. Princeps benigne exceptum habitare in suis aedibus jussit, ita tantum redarguens ejus importunitatem ut coram *Polemone* juberet ministrum aulicum, magnopere cavere, ne iste noctu ex conclavi expelleretur.

Principem tam egregium oportet in vita multa et fecisse et dixisse, digna, quae omni aevo et omni generi hominum innotescant. Sed paucissima nobis prodita accepimus, libris aliquot, in quibus erant scripta, injuria temporum abolitis.

Mos est autem fere plerisque rerum scriptoribus, bella tantum, divictas gentes, et alias ejusmodi res principum gestas, quae magnam faciunt admirationem, exponere, cetera vero quae memorabilia gesserunt, quae salubris exempli et sentiebant et eloquebantur, leviter delibare.

Tempus, edax rerum, quot libros faucibus hausit
Antiqui ingenii quot monumenta suis!
Hoc si non esset, nunc *Antonine* doceres
Exemplo reges principis ire boni.
Nunc quoque manaret doctae sapientia linguae
Et tua nunc virtus staret imago recens.
Quid prodest, Romam dictis implesse probatis.
Si non tale bonum posteritatis erat.
Pauca tamen tempus nostro quoque prodidit aevo.
Foecundi ingenii signa animique pii.
O fluxum et dubium rarae virtutis honorem!
Quem brevibus seclis charta caduca refert.

354

M. Aurelius.

Marcus Aurelius multa grati animi piaeque observantiae in eos, quibus utebatur doctoribus, documenta edidit. Eorum imagines in suo penetrali habebat positas; sepulchra saepe visens coronis et floribus decorabat; unum ex illis secundum à se locum tenere jussit, nullam rem majorem nisi eo consulto gerens. Iisdem magistris auctoribus duriorem adscivit vivendi morem, quem tenebat etiam princeps, ut crebro jejunio corpus exerceret, multis ciborum generibus abstineret, humi jaceret. Inter haec intentum studiis animum habens cum labefactasset valetudinem, tamen hoc consecutus est temperantia in victu, ut ad sexagesimum prope annum aetatem perduceret. Propter ingenium ad severitatem natura proclive non delectatus spectaculis et ludicris, tamen ut esset popularis et ne ejusmodi ludicra damnare videretur, interdum eo ventitabat. Inter haec autem, aut librum lectitabat, aut scribebat, aut de rebus majoribus cum iis, quorum consiliis utebatur in rep. regenda, conferebat sermones. Quam ob rem cavillante in eum multitudine, haec quid censeret, non magis quam alii viri sapientes curabat princeps, id tantum agens, ut suae satisfaceret conscientiae. Cum ipsius ingenium par esset regendo imperio, tamen à Romano Senatu se multis de rebus doceri posse ratus, hunc observabat, multas causas ei dirimendas relinquebat, in Senatum ipse pro Senatore veniebat, singulari modestia dictitans, magis esse consentaneum, se tot virorum sapientium consiliis uti, quam suae auctoritati tot viros sapientes parere.

Non gratum *Marco* ludos spectare jocosque:
 Huic magis ingenio seria quaeque placent.
Si tamen hos spectat (plebis datur illud amori)
 Circus in hac libros tum videt esse manu.
Aut molli graphium miratur vertere cera,
 Aut inter proceres publica jura loqui.
Os petulans solvit plebs in mordacia dicta
 Laeditur infestis frons gravis illa jocis.
At sapiens princeps linguarum tela maligna
 Spernit et in sueta tum gravitate manet.
Quid mihi vobiscum levis, inquit, turba malorum?
 Est animus judex; huic mea facta probo.

355

Ille primus, *Verum*, alterum principem, Imperii participem habuit. Qui quanquam eo fastigio dignus non erat, tamen quia *Antoninus* id jussisset, id mandatum *Aurelius* magno animo ratum habuit, miraque arte cavit, nequid damni ab ingenio *Veri* traheret respublica. Sed *Verus*, morte per libidinum intemperantiam accelerata, paucis annis post decessit.

Aurelio quidem inprimis cordi erat, ut cuilibet ex populo accurato judicio et incorrupto jus redderet. Itaque multas causas ipse summa cura cognoscebat, neque sontem quenquam capite damnari sinebat, nisi accusatione hominis diligentius explorata, auditisque omnibus, quae ille pro se diceret. Etsi mitissimo erat ingenio, tamen in eos, qui turpi scelere admisso poenam commeruissent, graviter animadvertebat. Veruntamen plura omnino clementiae quam saevitiae exempla ostendit. Hac autem principis liberalitate turpiter abutebantur multi civium, cum, amplis fungentes honoribus, sperabant, si potiora officia facerent, multorum flagitiorum veniam sibi daturum.

Imperii tuendi causa et propter externarum gentium incursionem tot bellis implicabatur *Aurelius*, ut per decem et octo annos fere continua essent gerenda. Haec ut invitus gerebat, ita si bellum averti non posset, quanto consilio, constantia, et fortitudine poterat, annitebatur, ut incolumi rep. illud finiret.

Jus *Marcus* justus dicebat civibus aequum
 Hoc primum officium principis esse ratus.
Non illum flexit facunda potentia linguae,
 Non clara ex veteri nobilitate domus.
Ergo ne temerè damnaret turpe tribunal,
 Sollicitos oculos litibus ipse dabat.
Non caput ante rei feriebat acuta securis,
 Quam capitis miserum cerneret ipse reum.
Ante dabat faciles causas orantibus aures,
 Quam tristi meritam scriberet ore necem.

356

Invasit imperium ejus bellum nec atrocius, nec pertinacius eo, quod plurimae Germanorum gentes, armis consociatis secundum Danubium et usque in Italiae fines,

contra illud moverunt. Pluribus eas proeliis vicit *Aurelius*; sed morte praeventus fructum ex clarissima victoria capere non potuit. Per illud bellum adeo exhaustum erat aerarium, ut pecunia non suppeteret, illi ulterius gerendo. Principi autem carior erat populus, quam cui imperaret collationem pecuniae, ex qua sumtus belli possent redigi. Igitur cum ipse mallet exemplo esse promtae voluntatis, qua quisque, quantum in se esset, patriae deberet operam navare, omne instrumentum regiae, quod erat splendidissimum, vasa aurea et argentea, egregias tabulas et signa, etiam vestes uxoris auro distinctas et praestantissimarum copiam margaritarum, in penetrali aedium repositam proscripsit. Redacta inde pecunia princeps non solum habuit, unde impensas belli sustineret, sed etiam unde ingruente annonae caritate singulari munificentia populum obstringeret. Denique aliquanto post tantum ipsi erat relictum, ut eorum, quae vendidisset, partem posset redimere; quanquam ita, ut integrum relinqueret emtoribus, vellentne emta retinere, an accepto pretio reddere. Ita fecit, quod simili in causa dixit: Principis nihil esse suum; sed, quae teneat, omnia esse publici juris.

Omnia sunt patriae, cum corpore spiritus ipse,
 Quicquid in angusta vel locuplete domo.
Omnia ne dubitent animi profundere fortes.
 Arma instant patrio cum peregrina solo.
Qui magnos animos excelso in pectore versant,
 His patriae potior creditur una salus.
Ecce bonus *Marcus* populo est laudabilis auctor,
 Publica quo pretio sit redimenda quies.
Exiit ex aula venalis lauta supellex
 Ut domus accepto plenior aere foret.
Non sibi parcebat, populo qui parcere vellet;
 Quod premeret cives, ipse subibat onus.

357

Nec foris tantum distinebant hostium arma *Aurelium*; quem unus etiam ex populo in discrimen imperii vitaeque adduxerit, *Cassius*, egregius dux prospereque rem gerens, nec impar regendo imperio. Admonitus primum princeps, ut ab insidiis ejus caveret, incredibili patientia clementiaque respondit: si fato sit datus *Cassio* principatus,

neminem ei erepturum; sin autem datus non sit, talia molientem ipsum sibi perniciei fore. Qui reus nondum actus sit, nec capite posse plecti. Si autem magis ex rep. esset, salvum esse *Cassium* quam liberos principis, velle se illum suorum exitio superstitem. Postea delata etiam à principe praefectura Asiae splendidissima, *Cassius*, cujus superbiam et dominandi libidinem non vicisset ista ingenua principis fiducia, affectavit principatum, multis quidem provinciis eum non aspernantibus principem. Adversus eum Imperator cum duxisset exercitum, priusquam cum eo congrederetur proelio, caput *Cassii*, à ducibus duobus obtruncati, delatum est. Quo viso, laeto multis aliis spectaculo, mitis princeps dolorem prae se ferens aversis oculis, caput mortui justo honore jussit humari, conquerens, ademtam sibi clementiae ostendendae potestatem.

358

Deinde à Senatu Rom. petiit, ut ne quemquam nobilium Rom. quos *Cassius* habuisset conjurationis participes, capite damnaret. Utinam, ait, eos quoque, quos prima hujus belli ira absumsit, ab Acheronte possim revocare! Postulavit etiam, ut *Cassii* conjux, liberi aliique propinqui non solum nulla poena adficerentur, sed etiam bonorum possessione non expellerentur. Nec id satis habuit princeps, sed eos postea amplissimis ornavit honoribus. Uxori etiam, ut in tot cives perfidos gravius animadverteret, exhortanti ita se excusavit, ut diceret, principem Romanorum nulla re magis quam clementia id consequi, ut carus esset hominibus. Amici quoque hanc ejus lenitatem reprehendebant, dicentes, non ea clementia in ipsum usurum fuisse *Cassium*, si voto potitus fuisset. Quibus princeps respondit: Ego neque talem in vita me gessi, neque ita Deos colui, ut metuendum mihi fuerit, ne faverent *Cassio*. Itaque recte factorum conscientia erat fretus, qui, quod sciret esse optimum, id semper fecisset, quanquam nihil sciebat, nisi quod posset bonus homo à doctrina christiana alienus. Is certe cum magnopere eniteretur, ut, qualis esset Deus, quidque sibi esset faciendum, in dies magis perspiceret, quicquid ipsi temporis à cura reip. vacabat, id omne consuetudini hominum ingenio et doctrina praestantium, legendisque libris bonis, maxime, menti meditationibus acuendae dare solebat. Hoc

enim maxime eam vim habet, ut, quae à nobis sint visa, audita, usu cognita et discendo percepta, haec omnia ad salutares vitae usus transferamus.

Est aliquid, doctos audire virosque peritos,
 Horum colloquiis, si vacat hora, frui.
Est aliquid, vacuum curis sibi sumere tempus
 Atque bonos inter posse sedere libros.
Sed labor hic fallit, si non intenditur arcus
 Mentis et in semet vertitur ille vigor.
Sume cibum largum, si non bene concoquat alvus,
 Corporis in succum non venit ille cibus.
Sic frustra nobis aures oculique laborant,
 Res si non istas mens agitare velit.
Haec res auditas ad vitae transferet usum
 Illas dum crebro versat in omne latus.

359

Multi alii principes, nec vero non homines, genere, fortuna, opibus superiores facile sibi persuadent, se tales esse, quales deceat, neque operam esse dandam, ut plura in dies addiscendo plus sapiant, quorum generi et potentiae honor sit habendus. Contra *M. Aurelius*, se, qui tam ingenti hominum multitudini imperet eisque honestarum rerum ducem se praebere debeat, ob id ipsum putabat debere eniti, ut ingenium moresque in dies magis emendet. Qua in re qua cura, qua diligentia, qua in semet ipsum acerbitate, quo veri studio elaboraverit, argumento est libellus, quem graeco sermone scriptum reliquit. Ad versandum hunc librum egregium ut princeps maxime est cohortandus, hujus imperatoris, quem merito admirantur, virtutes aemulaturus: ita quilibet, cui cordi est, suum ingenium magis nosse, ut, quod inest vitii, exuat; quam in curam incumbere, nos omnes oportet.

In isto libro *Aurelius* primum reminiscitur omnia recta et honesta, quae à patre, avo, abavo, matre et aliis atque aliis praeceptoribus accepta in consuetudinem sibi venerint; tum ut ad gratiam illis habendam animum exhortaretur, tum ut infixae ingenio haererent illae virtutes.

Saepe aliquis regum misera caligine mentis
 Hoc animum stultum decipit alloquio:

Naturae potui summum contingere culmen:
 Scandere non posses ulteriore gradu.
Cur mihi ducatur nova quavis linea luce?
 Non opus est, animo lumina ferre meo.
Me titulus faciet populo et persona verendum,
 Sim licet ingenii viribus ipse minor.
Sed *Marcum* non hic infelix abstulit error,
 Naturae calcem jam tetigisse ratus.
Illi cura fuit, plus luminis addere menti,
 Quaque animum vitiis plus vacuare die.

360

Aurelius ait: avo se debere, quod simplex et ad iram non proclive habeat ingenium; patris autem, quo admodum puer orbatus est, memoriae, quod verecundum et virilem induerit animum; matri deinde, quod pietati in Deum et beneficentiae adsueverit, eaque hortatrice non tantum malis facinoribus abstinuerit sed etiam peccandi libidinem compresserit et frugalitati studuerit; tum uni ex praeceptoribus, quod laboris sit patiens, paucis contentus, ipse manum admoveat operi, cum aliorum possit opera uti, alienis rebus se non immisceat, auresque non faciles praebeat delatori; alterius praeceptorum munus esse, quod mores suos esse corrigendos viderit, quod doctrinam non ostentet neque publicam ex ea laudem captet; quod placabilem se praebeat, neque cujuslibet insusurrationi assentetur: ab aliis, quorum doctrina sit usus, se esse doctum, animi aequitatem servare, sui semper esse compotem, et omnium hominum ingenia ferre. Haec et multa similia eum reminisci, in iisque plurimas virtutes, quarum exemplar habuerit *Antoninum* pium, valde laudabile est. Sed magis etiam laudandum est, quod acceptum se Diis referre adjicit *Aurelius*. Gratus meminit Deorum beneficio se consecutum, ut bonos et parentes et majores, et propinquos, et praeceptores et amicos nactus sit, ut omnibus iis, qualem deceret, talem se praebuerit; ut mores ab adolescentia retulerit intaminatos; ut inter comites principis, etiam imperii consors, vitae modestia aequare unum ex plebe potuerit; ut nunquam defecerit pecunia, egentibus dare beneficia cupientem.

Illud avi munus, quod prodo pectus apertum,
 Quod praeceps animum non habet ira meum.

Si robur mentis sumsi moresque pudicos,
Hoc fateor cari munus habere patris.
Hortatrix pietatis erat mihi mater amica,
Ad dandum promtas addidit illa manus.
Si culpam fugio, vel turpi pectore clausam,
Si parce vivo; matris id omne bonae.

361

Majores erunt causae, *Aurelium* principem diligendi, si relatum legeris, morem ei fuisse, quovis mane semet exhortandi, ut improbis malisque hominibus, quibuscum forsitan per instantem diem res futura sit, mitem se patientemque praebeat; consuevisse, meditando Numinis divini rationes animum erigere et hortari, ut ne querens de fortuna, sed gratiam habens Deo moreretur; induxisse in animum, ita in omnibus rebus sentire et agere, quasi e vita brevi discessurum; eum ut omnia terrena et humana pro nihilo duxisse, ita animum castum sanctumque longe omnibus rebus anteposuisse; vere eundem quasi acclamasse sibi ipsum: homo hominis causa natus est; ergo alter alterum aut doceat, aut ferat; cum animo suo deliberasse, quando tandem futurum sit, ut ad summum fastigium naturae, ad quod ipsa posset, eniteretur; incredibile esse, quam egregie novis argumentis et meditationibus sibi persuadeat, injuriis, quas sibi illatas putaret, non vehementer, vel non prorsus irasci se debere; postremo ipsum sibi auctorem fuisse, ut vel brevi tempore ad vivendum dato tamen aequo animo diem obiret, à supremo vitae domino jussus statione vitae decedere.

Quis est, quem istae praeclarae sententiae non incendant cupiditate, istum aureum libellum legendi, ut mores suos ad illius praecepta conformet?

Principis at *Marci* quem non delectat imago,
In qua non oculus, sed magis haeret amor.
Ille, diem quoties terris Aurora reducit
Hoc animum firmat robore, seque monet:
Forsitan hac instant homines tibi luce maligni;
Moribus his mitem te facilemque dabis.
Ille Dei sanctas rationes pectore volvit
Hasque animo vires colligit inde pio:
Si moriar, nostro non exeat ore querela,
Sed memori lingua tum celebrabo Deum.

Haec loquar, haec faciam, quae non meminisse pigebit,
Si me sub leges mors vocet ante diem.
Quid mihi vobiscum bona fluxa caducaque terrae!
Omnibus est potior mens mihi sancta bonis.
His terris natos communia vincula jungunt;
Ergo fer socios aut meliora doce.
Quando gradum dabitur virtuti tangere summum
Quo niti mentis me jubet ipse vigor!

362

Commodus.

Pater quantum viribus eniti, quantum consilio providere potuit, operam dederat, ut bonum principem efficeret *Commodum* filium. Sed accidit illi misere, quod multis aliis patribus sapienter rem suam gerentibus, quorum liberi aut prima aetate corrupti aut opinantes, se magis scire, quid ad suam felicitatem pertineat, curam parentum occulta moliendo fallunt. Imperator cum jam extremum traheret spiritum, veritus, ne filius vix undeviginti homo annorum facile in libidines prolabens in contemtum veniret hostibus imperii, principes amicorum et procerum ad lectum suum convenire jussos deficiente jam voce rogavit, ut suo patris officio posthac in filium ipsi vellent fungi. Adsistebat ipse. Sola benevolentia civium, ait, non praesidia militum, tuentur imperium. Vestrum est, recta ei praecipere, ut animi impetu ne abreptus, remp. cum laude regat. Sed *Commodus*, principatum adeptus fecit idem, quod innumeri alii juvenes, qui potestate et divitiis potiti hac fortuna uti nesciunt. Captus enim vana adolescentium oratione, qui sui ipsum juris et arbitrii esse jactabant, et virorum sapientium, quorum consiliis pater erat usus, seria nempe suadentium, auctoritatem aspernatus, brevi eo prolapsus est, ut libidine, violentia ac saevitia fere nemini principum cederet.

Saepe patrum recto contendit tramite cura
Ut sit natorum certa tenaxque salus.
Sed sanctum corrumpit opus clam triste venenum
Et vano ingenio fallitur iste labor.
Antonine pater, ventis tua verba dedisti;
Non vult in mores *Commodus* ire tuos.
Seria non audit sapientum dicta virorum,
Gratior est blandi stulta loquela soni.

Vix sibi morte patris laxatas sentit habenas,
Cum prodit mentis semina tecta malae.

363

Infinito flores arborum distinctos videmus discrimine. Eorum species omnium pulchra est et venusta, sed alius alium vincit. Bona sua etsi effusa benignitate largitur optimus rerum sator, tamen sui arbitrii esse vult, alia aliis bonis cumulare. At discrimen illud esse rerum levium videbis. Hujus quidem arboris flores albent, illa rubicundis distincta est lineis, alii non datis. Varia haec discrimina cum sint fortuita, arborum fertilitati nequaquam officiunt. Tibi quoque, adolescens, si Deus ea ornamenta noluit tribuere, quae alios juxta te vides ostentare, noli ea re angi. Demta enim decora fortuita, qualiacunque sint, nullo modo officiunt verae tuae saluti. Si opulentia, si potentia, si forma, alii te vincent; at nihil impedit, quo minus aeques eos felicitate et probitate, Deique pariter ac hominum gratiam consequaris. Dummodo recte factis et pietate in Deum sis conspicuus, vera te habere decora credas. Eò enim maxime nos delectant flores arborum, quod pomorum gratissimi saporis spem ostendunt.

Arbor habet vario pulchros discrimine flores
Et varias formas vix numerare licet.
Quisque sui praebet spectacula grata nitoris;
Forma tamen dispar, dissimilisque color.
En, Deus ex pleno cornu sua munera fundit.
Sed vult arbitrii dona manere sui.
Si libet, exiguis ornat rem dotibus illam,
Muneris hanc largi pondera magna premunt.
At leve discrimen solaque notabile parte;
Et numeros servat res tamen ipsa suos.
Cernis, ut haec florum certet cum lacte venustas,
Perque alium quaerat linea rubra viam.
Sed casus regit haec variae discrimina formae;
Arboris ad fructum nil valet ille color.
His, puer, exemplis ne torquè pectora curis
Si data sunt aliis munera, demta tibi.
In levibus fortuna bonis temeraria ludit;
Sed verum damni nil trahit inde bonum.
Ut vincant auro multi, titulisque superbis,
Ut forma niteant splendidiore genae;

At potes, ut multi, traducere leniter aevum;
Te penes est animi paxque quiesque boni.
Te penes est, hominum probitate merere favorem,
Te penes, aeternum conciliare Deum.
Si probus es metuensque Dei, si cultor honesti;
Tum capiti verum crede dedisse decus.
Hoc est, cur pulchris oblectet floribus arbor,
Quod dulces fructus spes ibi grata videt.

364

Cum animus noster futura tantum prospiciat, neque expleatur ejus desiderium, necesse est, ut alia bona post mortem sint speranda, desideriis nostris etiam ultra hujus vitae terminos tendentibus. Ex quo efficitur, ut non in hanc mortalitatem depressi, sed vitae nullo spatio terminatae nati simus. Solumne potius hominem ex omnibus naturis vi quadam esse praeditum, neque tamen factum ad id, cujus causa vim illam accepit? Solumne hominem natura ad quidquam ferri, neque reperire, unde animo satisfiat? An vero hominem in hac re infra pecudum genus esse? Bestia quidem si fame et siti urgetur, nunquam non incidit in cibum potumque, quo explere possit desiderium.

Videsne bombycem filis suis involvi et transfigurari? Hoccine censes futurum, si non alia conditio esset ventura, in quam novam indutus formam prodibit? Nostra omnis vita si hoc brevi aevo terminaretur, quid erat, quod desideria animis insererentur, quibus in hac vita non satisfieret? quid erat, quod vires darentur, quae nunquam essent agitandae? Imo, ista infinita desideria animorum, neque frustra neque pro tormento sunt insita.

Nequaquam fas est, omnem meam felicitatem ad fruendas res terrenas referri; cui potius, quicquid rerum laetarum in his terris percipio, haud dubiam illud spem praebeat, infinitae beatitatis praemia mihi mortuo esse proposita.

365

Cum alia multa parat Deus, quibus terra fiat foecundior, tum roris subsidium maxime certum et commune, quod quanti per se sit aestimandum, paucissimi mortalium intelligunt. Divinum hoc beneficium, quod ne in summa

quidem siccitate deficit, et quo solo tum, cum, quaecunque ex terra gignuntur, essent emoritura, haec vivunt vigentque, ex illis obtingit guttis fulgentibus, quarum innumera copia in frondibus arborum foliisque plantarum et mane et vesperi conspicitur.

Ros autem, quod olim falso opinabantur, non ex aethere demittitur, neque ex longinquis aëris nobis circumfusi regionibus, quod olim ajebant, neque magis ex stellis infinito spatio distantibus, à quibus exsudari rorem putabant superstitiosi. Ita opinantes coelitus demitti multos vecordes animum induxisse, aurum ex rore coquere verisimile est. Nostra aetate hoc inter omnes convenit, rorem nihil aliud esse, quam lacrymas plantarum, easque ex humo hauriri. Id ut exploratum habeas, planta vase vitreo operta, videbis largius rore adspersam, quam si coelo patuisset. Hoccine putas futurum, si ros ex aethere demitteretur, neque ex ipso telluris gremio nasceretur? Atque hoc facile est intellectu! Quis enim est, qui nesciat, calore solis et vapore per terram fuso effici, ut minutissimae particulae à quolibet corpore identidem avulsae pars in sublime ferantur, pars in aquae guttas cogantur.

366

Justis magistratibus carere non potest respublica. Nulla est omnino civitatis disciplina, incolumitas, salus, nisi praesit magistratus. Hic publicam disciplinam tuetur et leges condit, quae sint illius tuendae. Hic pro incolumitate ut universi populi ita singulorum hominum excubat. Per eum constitui possunt judices, qui prudentia, ingenio, auctoritate ortas lites dirimant. Cum aperta vis rempublicam infestis armis invadit, magistratus aut ipse vindex est salutis et exercitum ducit, aut peritos duces constituit. Si necesse esset, pro se quemque adversus civem aut hostem dimicare, tum ut quisque vinceret viribus, ita maxime vim repelleret; ulciscendae injuriae nullus esset finis; omnia ubique essent infesta; consueta munera civium, quorum in functione posita est reip. salus, vacua cessarent. Sed resp. certis magistratibus et verecundia magistratuum legumque ab iis decretarum satis munita accurate constituta, cives efficit virtuti dantes operam, omninoque efferari animos non patitur, cum incerta reip. forma seditiosas alendo factiones obstet, quominus ad humanitatis cultum animi informentur. Sed hominum

coetus egere magistratibus ipsa natura declarat, patres matresque praeesse jubens familiis.

367

Secundum ea experimenta, quae aetas recentior fecit, nulla alia re liquet effici fulgura et tonitrua, quam magna vi ignis electrici. Ex quo efficitur, ut, qui leges naturae perspexerit, is nihil prodigii metuat ab iis tempestatibus. At eandem ob causam neminem non mortalium oportebat capita principiorum Physicae habere cognita. Si cuique hominum cordi esset, ut vel ipse vim naturae animo scrutaretur, vel ab iis, qui sapiunt, se vellet edoctum, futurum esset, ut superstitio et formido brevi supprimerentur. Nos autem cum sciamus isto modo oriri fulgura et tonitrua, trepidum angorem, qui per id tempus animos invadit, his expellentes, vultu intrepido ad Deum suspiciamus, qui haec rerum miracula ostentat mortalibus. Etsi enim possumus originem fulgurum et tonitruum ad causas naturae certas ratasque referre, tamen ne tum quidem hic casus naturae non mirabilis est; in quo potius ea supersunt, quae quomodo fiant, ne summa quidem acies ingenii videat.

Nobis quidem sufficiat scire, per aëris et totius atmosphaerae naturam necesse esse, illud fieri, tempestatesque Deo ita regente foecundandae telluris esse, et propter has quoque gratiam à nobis habendam Deo, eumque suppliciter venerandum — —

368

Omnia, quibus utimur, frugum genera et maxima pars olerum ex peregrinis et fere calidioribus terris oriunda sunt. Pleraque ad nos transmisit Italia. Huic illa Graeci accepta ab Oriente tradiderunt. Post cognitam Americam, magna vis plantarum florumque antea incognitorum translata est in Europam. Far quidem et triticum solo Tatariae minoris et Sibiriae sunt innata, ibique nunc etiam sponte nascuntur. Quae loca primum genuerint hordeum et avenam, nescimus. Oryza, quem fructum Aethiopia gignit, hinc in Orientem, inde in Italiam transmissa est. Parem traxere originem fere omnia quibus fruimur olera. Borraginem generavit Syria, nasturtium Creta, brassicam botrytin Cyprus, asparagum Asia.

Allium procreavit Oriens, porrum sectilem Sibiria, raphanum China.

Item pulcherrimos flores in exteris terris genitos accepimus. Jasminum tulit India Orientalis, Syringam vulgarem Porria, tulipas Cappadocia, Leucoium et Narcissum Italia, Lilium Sina, Polianthen Java et Ceylon, Dianthum Italia, Asterem China. Agite haec bona à Deo collata cum grati animi laetitia intueamur. Deus cum peregrinas terras jubeat sua bona ad vitae nostrae et necessitatem et voluptatem conferre, quantà cura ut prosperis ita laetis rebus nostris consuluit!

Simul animos ad id advertamus, quod in terris vulgo sedes suas mutant, et homines, et ferae, et plantae. Id vero in animum inducamus, quocunque terrarum nos Deus transtulerit, non recusaturos, quin id, quod nobis datum sit officii, fungamur.

369

Nullum officium, ut ait *Cicero*, referendà gratià magis necessarium est. Quid facere debemus, ait, beneficio provocati? An imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Alio loco ait: Quum omnibus virtutibus me adfectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me et gratum esse et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt?

Qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt? Quae potest esse jucunditas vitae, sublatis amicitiis? Quae porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cujus opes tantae esse possunt, aut unquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? Quae certe, sublata memoria et gratia, nulla extare possunt.

Quae molli gremio suscepit semina sparsa,
 Haec fere cum magnò fenore reddit ager.
Non aliter crescunt bona facta in pectore grato,
 Et data multiplicat dona fidelis amor.
Sanctius officium non est, quam solvere grates,
 Et memori factum condere mente bonum.
Nam quis natorum pius est in utrumque parentem?
 Nempe memor tantam qui colit usque fidem.
De patria cara quis bello et pace merebit?
 Nempe bonam patriam qui meruisse videt.
Quis bonus atque Dei cultor? qui pectore grato
 Supplicat et grates qui canit ore pio.

370

Ut intelligatis, quam longe discrepet à grato ingratus animus, de hoc vitio quid *Cicero* et *Seneca* judicent, ita accipite, ut eorum sententias ordine à me proferri nolitis.

Ego ingrati animi crimen horreo; in quo vitio nihil mali non inest. Omnes immemorem beneficii oderunt. Inter plurima maximaque vitia nullum est frequentius, quam ingrati animi. Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbatur. Quanquam Persas quidem accepimus, si quem audierint, gratiam cum posset, non retulisse, in eum graviter animadvertisse, existimantes, homines ingratos neque Deorum esse reverentes neque illis curae esse parentes, patriam, amicos. Apud Athenienses autem lex erat, quae liberos ingratos arceret magistratibus, sanciretque, ut nulla res magna ejus hominis fidei committeretur. Sapienter enim judicabant, qui primo omnium officio in parentes non sit functus, eum neque sacra pro rep. pie facere, neque omnino quicquam bene recteque exequi posse. Animi ingrati vitium intolerabile est, et quod dissociet homines, dissipet concordiam. Sed usque eo vulgare est, ut illud, nec qui queritur quidem, effugerit. Cogita tecum, an quibuscunque debueris, gratiam retuleris, an nullum unquam apud te perierit beneficium, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis, quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa. Quomodo gratus quisquam esse adversus beneficia potest, qui omnem vitam suam transilit?

Ingrati omnes sumus. Quis sine querela moritur?

Spernis agrum, steriles in quo dominantur avenae,
Quem pro spe frugum carduus asper habet.
Rara tamen fallit tellus ingrata colonum,
Saepius haec hominum pectora culpa premit.
Heu mihi, quot video tam turpi crimine sontes
Quod nescit meritis aequa referre bonis!
At nihil hoc vitio sol vidit turpius unquam;
Uberior non est hac seges ulla mali.
Quis tamen ingratus trepidat sub judice tristi?
Hoc animus nullo vindice crimen amat.
Poena est, exosum quaesito limine pelli,
Et sola ingenuis posse placere fuga.
Intolerabilius nihil est hoc crimine foedo
Dulcia quod vitae vincula nempe secat.
Illud amicorum veteres dissolvit amores
Saepius et fratrum frigida corda facit.

371

Sicut omnis calamitas, ita bellum quamvis plurima ex eo nascantur mala, id habet commodi, ut materiam praebeat multas virtutes edendi, quae latuissent. Multa quidem specimina virtutis edere videmus milites Franciae; sed quanquam virtus, in quocunque eminet, admiranda est, tamen proclivior est animus ad laudanda egregie facta et dicta hominum suae gentis. Circa Ulmam cum alii tum *Albertus*, juvenis princeps stirpis Hohenlohicae, annorum viginti trium cecidit, simili fato quo frater suus paucis abhinc annis. Ille trajectus glande femur, non fugiens sed fortiter instans hosti, diutius morando Ulmam equo petiit, ignaris viae comitibus. Ibi elusa chirurgorum maxime gnarorum arte, tertio die decessit ea animi aequitate, quae veram virtutem viri fortis declarat, omnibus, qui moribundo adsistebant, admirantibus, omnibus, qui norant, casum plorantibus. Vehementer commovebantur animi, cum plures turmales ad lectum ejus ruebant in lacrymas effusi, cum magister excubiarum homo strenuus recens parta virtutis insignia projecit, vitam juvenis, si fieri posset, ita redemturus. Quorsum illae lacrymae, ait egregius juvenis. Militem decet jam jamque imminentem mortem aequo animo videre; serius an ocyus, nihil interest.

Non inter flores exsurgit quercus in horto;
Hanc gignunt montes, aspera silva, tui.

Telluris tutum nautas non educat aequor;
Undis jactatus discit arare fretum.
Non aliter magnas exercent ardua mentes;
Virtutis dura est illa palaestra bonae.
Nascitur ex bello series immensa malorum;
Sed quam materiam laudis habere vides?
Tunc ad certamen prodit prius abdita virtus
Saevaque tum clarum lumen in arma jacit.

372

Simili casu et eodem animo, quo apud Mantineam *Epaminondas*, cecidit *Nelsonus* clarissimi vir nominis, pugna navali prope Gades, qua vix atrociorem factam Angli perhibent. Ille ictus glande de tabulato in puppim deportari se jussit. Ibi chirurgum illico vulnus scrutari parantem, *Nelsonus*, qui plures vidisset vulneratos, monuit, ut differret, donec ordo ipsum posceret. Illum inspecto vulnere toto ore expallescentem hic allocutus intelligo, ait ex vultu tuo, vulnus lethale me accepisse. Ad quae cum ille nihil responderet, illico *Nelsonus* accitum ductorem militum dimisit, qui ultimum salutaret classis propraetorem. Tum, quae porro facienda essent, aequissimo animo praecipiens, identidem interrogavit, quam multae hostium naves velis demissis victoriam concessissent. Cum renunciatum esset, alias super alias concedere, vultum remittere videbatur, Deficientibus jam viribus captae erant naves quindecim numero. Paulo antequam efflavit animam cum renunciatum esset, Hispanorum navem praetoriam victam se dedisse, corpus prae gaudio vehementissime agitari visum. Jamque innixus humero ducis navium gratias egit Deo, quod mortem suam decorasset victoria rogavitque, ut dilectis amicis suis omnibus ultimum vale diceretur; testatusque, sibi gratissimum futurum, si ultimum amplecti illos liceret, sed in decreto Dei se acquiescere, inter lacrymas et questus eorum. qui circumstabant, expiravit.

Invictus morior; patriam victoria servat!
Haec est vox magni nomine digna viri.
Ille *Polymnides* voce exspiravit in illa
Et vita cessit laetus honore suo.
En similis decorat *Nelsonum* gloria mortis;
Optatum ad manes abstulit ille decus.

En anima invicti victrici in nave moratur,
Dum vicisse audit vela Britanna libens.
Jamque memor laudis cum sanguine vulneris exit
Certa, suos manes praemia digna sequi.

373

Illi viri, qui majoribus negotiis et magnis rebus gerendis praesunt, si eodem gloriae studio eademque patriae caritate, qua *Nelsonus*, res mandatas obirent, melius esset consultum et populis et iis qui imperant. Talis autem animus minus facile impertitur doctrina, quam opinentur multi, qui pueros susceperunt erudiendos; illum potius natura insitum esse oportet. Historia docet, indolem clari viri etiam in puero deprehendi. Ac inprimis memorabile est illud, quod virorum illustrium multi iidem in parentes pii fuerunt, ex quo intelligitur, caritatem in parentes egregiarum virtutum atque etiam clarorum facinorum esse genitricem. Ut omittamus *Epaminondam*, cui ideo potius grata erat victoria, quia parentibus grata esset futura, ut taceamus *Coriolauum*, pariter in matrem animo adfectum; quid *Nelsonum* legitis fecisse adolescentulum? Hic cum avunculo, à quo scientiam rei nauticae doctus est, ad expeditionem navalem profectus, aliquando per totam noctem à nave abesse visus, ubique requirebatur. Orta luce apparuit, eum paulo longinquius super glacie pyrobolo instructum grandiori urso instare. Compellanti reversum centurioni, cur hoc tempore à nave digressus sit, adolescens *Nelsonus* respondit, se oppressum voluisse ursum, ut patri pellem pro dono mitteret.

Natorum pietas in caros grata parentes
Conspicuos factis gignit alitque viros.
Felices animos, quos hic sacer impetus aufert!
Nam doctrina illum rara movere potest.
I puer et veterum tot nomina clara recense,
Hic poteris natos enumerare pios.
Scilicet haec pietas patriae quoque sacrat amorem
Huic sacros ignes admovet illa simul.
Illa virum fortem medios inducit in hostes
Pro patriisque libens induit arma focis.
Marcius ille rudis, laturus praemia matri
Sollicitae curae, laetus ab hoste redit.

Ille *Polymnides* cur sic exultat in armis,
Cum Spartam vicit Leuctrica pugna trucem?
Nempe quod excelso vir pectore gaudia volvit,
Quae patri et matri fecerit illa dies.

374

Dividor haut aliter quam si mea membra relinquam.

Tyrolis, quae ditionis Austriacae adhuc fuit, capta Francorum armis, cedente Germanorum Imperatore, regis Bavarorum facta est ingens accessio virium. Incolarum numerus est hominum sexcenties quinquagies mille, eorumque fortitudine, fide, labore et solertia praestantium. Meruerunt illi, quos, qui adhuc ipsis imperavit, ultimum alloqueretur his verbis:

Venit tempus illud mihi acerbissimum, quo dura necessitas me cogit, domini jure in Tyrolim cedere. Hanc amissionem quam moleste animus ferat meus, non nesciunt Tyrolenses spectatae fidei homines. Ego autem malo de hac re nihil praeterea dicere, ne, quod vulnus imposita continuis calamitatibus necessitas nostram societatem dirimendi aeque mihi ac dignissimis amore meo popularibus inflixit, illud multo patentius relinquat mea oratio. Quae fidei et caritatis documenta in me, post susceptum imperium multa et varia edita sunt à Tyrolensibus, ea nunquam mea memoria excident. Equidem testem habeo animi mei conscientiam, me, quantum viribus adniti potuerim, id omne ad amplificandam hujus populi fortunam contulisse. Quodsi penes me non erat, atrocissimam illam calamitatem depellere, certe quantacunque poteram auctoritate intercessi, ut satisfieret Evocatis Tyrolensium optantibus, ut fines manerent integri et reip. suae formula servaretur.

375

Milites praesidiarios Vindobonae futuros, *Carolus* Archidux hoc edicto monuit: Cives Vindobonae eo tempore, quo hostes occupatam tenuerint urbem insignia fidei et caritatis in suum Principem documenta edidisse. Illos in armis fuisse, incolumitatem civium custodiisse, diligenter obeundo munia militum admirationem sui etiam hostibus

injecisse. Se satis confidere, ingressos urbem milites modestia in tales cives usuros. Civitatem omnibus malis misere vexatam fuisse, multos cives ad inopiam redactos reip. causa ingens rei fam. detrimentum fecisse omnes. Contra fas et aequum facturos, si, quae incolumi fortuna ab iis exspectare potuerint quaeque jam praestare res non patiatur, eadem ultro danda beneficia, eandemque liberaliter excipiendi voluntatem postularent. Se sperare, duces militum impense operam daturos, ut, quicquid materiam praebeat altercandi exprobrandique et cavillandi et quicquid dissolvat concordiam, id omne, quantacunque ope possit, amoveatur. Si qui civium incidant importuni, et qui de illatis aerumnis indignabundi voces jaciant, leniter in illos esse consulendum.

Haec demum pietas, hoc verum pignus amoris,
Si non evertunt tempora dura fidem.
Vindobonae cives, hunc justum fertis honorem
Quem vestrae fidei *Caesar* amicus habet.
Ille pios animos agnovit tempore duro;
Hoc summum ex bello nunc decus ille tulit.
Ille triumphavit de fido civis amore;
Pulchrius hoc victor nemo redire potest.

376

Pluribus annis abhinc cum *Josephus* Imperator Regem Neapolis et Siciliae monuisset, in ipsius regnis soluta et confusa esse omnia; vitiose administrari remp. respondit ille, se non ignorare, non sine vitio geri, quae ad remp. pertinerent; sed cum non nesciat, se rerum minus gnarum esse, non audere vel minima movere, metuentem, ne vitia publica cumularet, non tolleret; omnia alia proclivia esse; sed deteriora mutare melioribus, illud esse magni discriminis negotium; si ipsi suaderentur salubria quae corrigeret, et ejusmodi esse ipsi persuaderetur, se libentissime probaturum.

Quis non videt, huic responso inesse sanae mentis specimen? Aut quis casuum *Josephi* memor non cupit, hunc regis, quem ipse volebat monere, monita probasse ipsum? Nam operae suae in corrigendis imperii rebus quam mercedem tulit? Dolor elusi moliminis mortem ipsius acceleravit et major pars parentium gratiam non habuit nec vivo nec mortuo.

Hoc rerum regimen, tua quod sapientia culpat,
Mens mea non numeros cernit habere suos.
Sed lumen nostri desidero pectoris illud
Quod monstret regni vulnera vera mei.
Ergo vel digito non ausim tangere vulnus
Ne mihi nascatur tristius inde malum.
Hydrae si nostrae multum caput ense recidam,
Heu timeo, gignat ne cruor ille novum.
Non labor est animis nostris, meliora probare;
Sed mutare labor deteriora bonis.

377

Illustris ille *Pittius*, si non eodem funeris adparatu, quo *Nelsonus*, tamen ut ipsius gloria dignum erat, elatus est Londini. Hunc virum contra illud, quod Ovidius ait: pascitur — alii summis laudibus efferunt, alii acerbius mortuum quam vivum criminantur. Nos his omissis, quaedam de ejus vitae exitu memorabimus.

Qui circa aegrotantem erant pluribus abhinc diebus sciebant omnes, salutem esse desperatam. Ipse unus spem non dimittebat et nihil tale opinanti, medicus biduo ante obitum, necessitatem moriendi adesse denunciavit. Raro ille per hoc extremum tempus mentis compos erat. Firmam ejus persuasionem, vitam ultra mortem sperandam esse, colloquium cum episcopo, quo doctore fuerat usus, confirmasse dicitur. Paucis erat transactum, cum moribundus mallet, rem animo suo meditari. Vix quisquam princeps regii Senatus opulentissimi regni in tanta paupertate decessit.

Hoc unum est praeclarum viri elogium. Etiam ii, qui in ipsum et ejus rationem reip. administrandae graviter invecti erant libellis editis, eam ferunt sententiam, quae vivo gratissima erat futura. Ejus morte ajunt orbam consilio relinqui remp.

Qui mortem rides et anilia somnia dicis
Aeternae vitae quae documenta damus.
Huc age, clarus ubi postremas occupat horas
Pittius et scena fortis abire parat.
Ille vigens animus, tricarum conditor ingens,
Europae terror, civibus una salus,
Horret, divinam condi cum corpore mentem
Dimidiumque sui vivere posse cupit.

Ergo cum dulci solatia quaerit amico
 Spes ultra mortem, quae sit habenda, videns.
Statque animo magno fidei sententia certae:
 In cineres lapsus non ego totus ero.

378

Clarissimus ille *Reinhardus*, qui concionatoris locum apud Principem tenet Dresdae, demonstraturus, quantum intersit ad publicam felicitatem privatorum domos esse fortunatas, ita disserit.

O infelicem populum illum, ex quo sublata est felicitas familiarum! Ejus omnes familias dissociat discordia; ibi soluta sunt societatis vincula sanctissima; ibi non pensi habentur officia maxima; inimica est virium inter se contentio; omissa educandae erudiendaeque subolis cura ex domibus prodit hominum genus, qui commoda sua per fraudem et nefas comparant; ad quaevis facinora parati inveniuntur; profligata est legum publicarum vis et auctoritas; nullum supplicium, nullus coercendi modus eam vim habet, ut incolumitatem, modestiamque civium et securitatem tucatur; denique universa resp. similis est corpori, cujus omnia miscet seditio et quod membris omnibus affectis convulsisque indies celerius labitur ad interitum. Intuemini contra populum fortunatis florentem familiis. Quam valent singulae ejus partes, quam plenus vigor implet ejus membra, quam expedito ordine moventur omnia!

Deme patrum domibus sua fulcra salutis avitae;
 Mox omnem populum foeda ruina trahit.
Infelix ibi dissociat discordia mentes
 Et sancta extinctus foedera rumpit amor.
Muneris ad magni partes ibi pectora frigent,
 Vim bona sectantem vis inimica premit.
Non ibi mansuescit cultu lasciva juventus;
 Absque patrum cura nam rude pectus habent.

379

Non est, quod civitatem adhibita vi contineat modestia, quae nullo ejus auxilio adjuta, leni imperio omnes domos temperat; neque oportet vires paratas ut magno negotio suscitet, quae in omnibus familiis excitatae ad

mutuum certamen optimarum artium se provocant. Si opus sit hominum fidelium ministerio et gnavorum opera, nihil est quod anxie circumspiciat, cui nulla non domus homines praebeat adsuetos, vires suas intendere et cum diligentia ac fide suum facere officium. Nec illud habere debet sollicitum, si dextras, quibus defendatur, si milites qui praesidio sint, desiderat, nulla non domo alente homines fortes, paratos, sanguinem animamque pro salute suorum profundere et pro ea patria dimicare, in qua ipsis admodum bene est. Denique apud quem populum habitat felicitas domorum, ille nihil metuat de civibus futuris; hi in sinu amoris foventur; ibi sub tutela benignissima pubescunt; ibi vires diligentissima cura nutritae adolescunt; ibi mores induunt hominum, circa ipsos pietate in Deum et probitate eminentium; ibi sensim inscii eam mentem concipiunt, qua imbuti venturae proli bene consulunt, et patriae magno sunt usui.

Militis hic civem non tela minacia terrent,
 Non domat hic animos missus ab arce metus.
Nam placidis illic pudor omnia flectit habenis:
 Nulla domus justum nescit habere modum.
Non labor est illic, vires excire latentes;
 Motus ibi quavis certat in arte vigor.
Vult populus gnavas dextras animosque fideles?
 In quavis habitat cura fidesque domo.
Qui gladios vibrent, validos vult ille lacertos?
 Poscit, qui clypeis omnia cara tegant?
Cuncta domus duros animos hic educat armis,
 Corpora, quae belli vulnera nulla timent.
Prodigus hinc animae juvenis, cum poscitur, exit
 Pro patriae dulci laetificoque sinu.
Nascitur hic etiam senibus spes grata nepotum,
 Quos pia materno fovit amore domus.
Educat hic animos pueriles cura benigna
 Tutela et vires elicit illa vigil.
Eminet hos circa pietas, elucet honestum;
 Induit hinc mores ipsa juventa probos.

380

Exempla virorum, quos accurate cognita scribarum scientia, quantacunque est, ejusque tractandae usus spectatus ad amplissimos honores extulit, magnopere exhortari

debebant adolescentulos, ut illi scientiae, si hoc nomine adpellare per eruditos licet, quam maxima diligentia cognoscendae operam darent. Illa, accedente rerum quae ad fiscum pertinent, scientia eam nacta est auctoritatem, ut principes, quibus cordi est, augeri vectigalia, hanc aliis, quae nihil conferunt ad quaestum pecuniae, longe anteponere videantur. Sed ob ipsam ejus magnitudinem publice probatam placuit, eorum juvenum, qui ejus generis honores ambiant, collectam scientiam summa severitate explorari. Quod magni ad rempublicam momenti opus qui susciperent, viri delecti sunt experto ingenio et doctrina, ex quo facile est intellectu, cognitionem hominum non ut assolet, exploratam fuisse. Hoc monitos vos putate, qui scribarum scientiae operam dare in animum induxistis, et isto recens instituto more res ingenio perceptas gravi judicio explorandi, facite exstimulemini, ut virium intentionem nunquam remittatis, persuasum habentes, ad illam scientiam, praeter alia, non vulgarem opus esse linguae latinae germanicaeque notitiam.

Nunc juvenes o nunc cunctis incumbite nervis
 Qui vultis scribae praemia ferre boni.
Pulcher et ad magnos monstratur cursus honores;
 Ad metam forti currite quisque pede.
Scriba bonus lateri prae doctis principis haeret;
 Multis consiliis unus amicus adest.
Sed labor est, illam manibus contingere palmam
 Et studiis illis area lata patet.
Vestros ad calamos veniet censura severa,
 Turpe erit à tanto judice ferre notam.
At tantis placuisse viris non ultima laus est;
 Inde favor scribis, inde petitus honor.

381

Scriptorem quendam id agentem, ut Imperatoris Germaniae et Regis Borussiae animos dissociet, is, qui librum publico examinat judicio, his verbis redarguit. Eosne duos populos, qui soli tantum pollent, ut Germanici nominis gloriam prodant posteritati, et qui ut hoc non aliter quam concordia efficere, ita sui imperii custodiam munire possunt, aeternis iris et suspicionibus alienari? Hoccine propositum esse melioribus? Anceps illud dis-

crimen, in quo agitur de prodendo posteris aut tollendo libertatis ac cultioris vitae usu, non eam vim habere, ut palam jubente necessitate compescatur odiosarum rerum recordatio? Nihilne unquam audistis, viri Germanici sanguinis, de *Aetolia* et *Achaja*, de *Philippo* et *Antiocho*? Annon in mentem venit, quid exitio fuerit ut Batavis ita Helvetis foederatis, et qua re factum sit, ut illud, quod sacrosanctum et romanum dicitur imperium à finibus nongentos annos vindicatis, contumeliose armis summotum, contumeliosius leges de sua republica impositas acceperit? Qui Austriacorum, qui Borussorum, qui Germanorum, si quidem fas est hos discerni, vocem miserit, quae obstet, quo minus Germanorum vires consocientur, ille, quanquam cetera egregius, in hoc quidem pro parricida est habendus.

382

Extremo mense elapsi anni ablati his terris sunt quatuor viri insignes, non ingressuri hunc annum, ut meritis in cives et populares suos collatis adderent alia. Et Stuttgartiae quidem *Kerner*, qui, post insignem operam in maximis rebus navatam patriae, inter ipsum opus mandatum pulcherrima morte occubuit; Ulmae *Huber*, ephemeridum multis passim cupide lectarum scriptor, homo qui impavidus profitebatur verum, qui hac urbe discessit, suas utilitates ad rempublicam etiam munere obeundo adlaturus; Berolini *Teller*, ecclesiastes doctrina pariter ac probitate et virtutum edendarum studio clarus; Lipsiae *Weisse*, à quo scriptus est ille, vulgo probatus liber, qui inscribitur: Kinderfreund. Omnes illi non sua sed hominum aliorum causa magnam aetatis partem in studiis magna opera consumebant, acerbiore nunc fato rapti, dum, qui indulgent desidiae pestemque reipublicae adferunt homines, molestum genus, supersunt. Is, quem extremo loco diximus, inprimis dignus est, quem aetas tenera mortuum desideret. Meruerat ille, cui solemnia instituens funebria per omnem Germaniam parentaret illa aetas. Nam si nihil aliud quam primus in animum induxit, libris aeque jucundis ac utilibus editis aetatem teneram erudire, satis egregie meruit de Germania. Sed ille, quod temporis à mandato munere vacabat, illud in opere maxime praeclaro consumsit. Quoties ille bona indole liberis, quoties adultis etiam, qui salubria quae-

dam legere cupiebant, tanquam pater cum suis confabulans, suaviter et sic ut nunquam poeniteret, tempus fefellit! Memoria viri aeque cara erit ac *Gellerti*, aeque magnam mercedem feret in sede beatorum.

383

Cato ait in oratione, quam *Sallustius* habentem facit: Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, necquidquam Deos implores. Olim fuerint, qui arbitrarentur, impie haec locutum esse *Catonem*; hunc fuisse hominem à metu cultuque Dei prorsus alienum. Sed profecto nihil magis consentaneum rationi dici potest. Vos quidem fama accepistis, apud omnes populos multa esse provisa, febri nervosae prohibendae. Quid prodesset, ad omnia templa supplicare Deo implorantes, ut illud malum averruncet, si homines falsa opinantes de auxilio Dei, dum nihil per se agerent, auxilium vellent securi exspectare? Quo datam esse hominibus rationem, quo tam multa auxilia Deo auctore parata habere, si eos nihil aliud quam implorare Deum vellet, neque de remediis mali cogitare? Romanus ille sapiens arbitrabatur, in rebus dubiis non omnem rem verti in supplicationibus Deorum, sed homines simul suas et animi et corporis vires debere adferre. Atque ita se res habet. Nisi Dei ope implorata nihil agitur intentis viribus; optima quaeque provisa non plane prosperum habent eventum, nisi annuente precantibus Deo. Qui homo sapit pioque in Deum animo est, utrumque simul faciens, omnia relinquit tutelae Dei, res humanas infinita sapientia gubernantis; qui et animi et corporis segnitie laborat, Deum vult habere liberatorem, quo providente ipse possit omni labore supersedere.

384

D. *Storrius.*

Non illo melior quisquam, nec amantior aequi.

Gravis luctus indictus est patriae, et Germaniae literisque et maxime rerum, quas codex sacer tradit, pie re-

verentibus animis. Mors, quae circa nos insidians praedam aliam super aliam capit, ante tempus rapuit virum, cujus etiam nomine memorato summa implereris et admiratione et reverentia. Amisit patria insigne decus, Germania rerum divinarum interpretem acutissimi ingenii summaeque doctrinae, omne genus literarum unice vacantem ipsis cultorem, liber ille divinus patronum ut acerrimum ita doctissimum, factio hominum incorruptam doctrinam christianam impugnantium propugnatorem maxime formidatum. Hoc viro rebus humanis rapto haud immerito queri videremur, quod *Theophrastus*, nisi multiplex ejus doctrina libris vigeret sacrata, posteris verum cupientibus videre profutura. Equidem non is sum, qui, quod ille de literis meruerit, satis digne commemorem. Virtutes autem viri referre paene vetat ipsius pudor, isque tam eminens, ut timeas, ne sacros Manes offendas illas enumerando. Ego autem facere non possum, quin convenire in eum dicam, quod *Vellejus* ait, *Scipionem* nihil in vita nisi laudandum aut fecisse aut dixisse, ac sensisse; item illud, quod praedicat, *Catonem* fuisse virtuti simillimum et per omnia Diis quam hominibus propiorem; nunquam recte fecisse, ut facere videretur, sed quia aliter facere non potuerit; omnibus vitiis humanis immunem fuisse, et semper fortunam in potestate habuisse. Tali praeconio efferri si qua virtus merebat, haec merebat, cujus lumina nunc desiderabimus. Addo his, quae *Cicero Laelium* facit dicentem: id si ita est, ut optimi cujusque animus facillime in morte tanquam e custodia vinculisque corporis evolet: cui censemus cursum ad Deum faciliorem fuisse?

385

Si oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Mos erat Aegyptiis, corpora mortuorum condire conditaque domi secum babere, ut nec mors ipsos divelleret ab his, quos caros habebant. Qui autem carum sibi mortuum secum habere vult, huic non opus est ejus corpore; quanquam hoc cupienti parata est manus artificis, omnem oris habitum expressura. Et hoc facile caret. Reminiscendi et imaginandi facultas in iis viribus est habenda, quibus optimis animum nostrum instruxit Deus. Per has nobis licet non solum multa, quae mortui dixerunt, rursus audire, multa, quae fecerunt, rursus

videre, sed etiam corporis habitum totum praesentem animo sistere, ut desiderantibus nobis, quandocunque libuerit, praesto esse videantur, et tanquam nobis adsidere. O suaves socias solitudinis, quam illae leniunt viduarum aut matrum dolorem! quam illae minuunt aerumnam adflictorum! Tum si eum, qui desideratur, diligebant, observabant, verebantur homines, si cum vivis eum compares, quam est jucundum meminisse: ita loquebatur ille, tam amanter cum suis, tam comiter cum omnibus, qui consulebant et discere cupiebant, tam mansueta voce cum peccantibus, tanta miseratione cum calamitosis; hic erat vultus exeuntis domo, hic redeuntis! Si *Ovidius* ait, flere esse quandam voluptatem, quam gratas simul et acerbas esse oportet istas recordationes! Ita suum sibi *Scipionem* reddebat *Laelius*; quanquam subito ereptum sibi vivere, semperque victurum; virtutem enim amasse illius viri, quae exstincta non sit; hanc sibi ob oculos versari; se hujus amicitiae recordatione sic frui, ut beate vixisse sibi videatur, quia cum *Scipione* vixerit.

Mors non divellit mentes cum corpore nostras;
 Non homines totos orcus avarus habet.
Si vis post mortem caros tibi vivere tecum,
 Illos, quando libet, mens revocare potest.
O magnum munus, quod vires mens habet illas,
 Quod praesens adstat, quem mihi posco virum.
Oris dilecti consultas audio voces,
 Multa oculis video reddita facta meis.
Sic viduae raptus sueto adsidet ore maritus,
 Sic natum in gremio mater amica fovet.
Solatur luctum tanquam praesentis imago,
 Et memor orbatis vulnera lenit amor.

386

Corporis nostri natura digna est, ad quam summa cura animum advertamus. Num quid tandem magis composite ad ridendum hominem dici posset, quam eum nomina centum hominum ipsi prorsus alienorum posse edere, amicos autem et liberos ab eo ignorari? At hoc minus esset ridendum, quam si adjiceres illud: nec mira arte facta instrumenta visus auditusque cognovit, nec cognoscendi cupidus est. Erubesceremus quidem, si vicos urbis nesciremus internoscere; at non pudet, nostri corporis

fabricam non magis cognitam habere quinquaginta annorum homines, quam quinque annorum parvulos. Animus noster in imaginibus haerens assidue nova quaedam speculatur, et qui in circulum convenerunt, saepe horam totam inani quodam rumore pascuntur. Cur tandem tam multa nova et mirabilia in nostro corpore gestamus non cognita? Illa nullius hominis ingenio perspecta ratio, qua sumti à nobis cibi in sanguinem, carnem, ossa, capillos, sudorem et alia transmutantur, annon ejusmodi est, ut admiranda nobis videri debeat? Circuitus autem sanguinis, arteriarum ictus tam saepe varians, cordis palpitatio, nonne exhortantur ad meditationes, quae abstrahere animum possint, quo minus nimium immergatur hujus vitae deliciis? Haec cognitu salubria ne differamus, donec forte morbo aut vulnere diuturno moniti artificiosam corporis nostri fabricationem animo magis intento ac propius inspiciamus.

387

Cum in plerisque Graecorum libris, tum maxime apud *Isocratem* multa inveniuntur scita praecepta et sentiendi et agendi. Ex his quaedam latino sermone reddenda et animo volvenda dabo. Quod habes cognitum, id meditando fac teneas; quod non didicisti, id fac addiscas. Nam salubrem sermonem audisse neque ex illo quicquam discere, aeque turpe est ac bonum ab amico oblatum aspernari. Quod temporis tibi vacuum est, id ponendum puta in sermonibus cupide audiendis: ita enim, quae ab aliis magno labore sunt inventa, ea facile discere continget. Memento, rerum, quas audire liceat, multas pluris esse, quam ingens patrimonium; hoc enim facile deficit, illud deserit nunquam; omnium enim, quae habemus, sapientia sola non est fragilis et caduca. Ne pigeat, ad eos, qui salubria se tradituros promittunt, longum iter suscipere; nam turpe est, mercatores augendae rei familiaris causa tam vasta maria trajicere, adolescentes ne terra quidem velle iter facere, ut mentem magis instruant doctrina. Adsuesce operibus sponte faciendis, ut ferendis, quae invito imponantur, ne sis impar. Des operam continentiae in omnibus iis, quibus animum obnoxium esse pati, indignum est. Quod verborum apud te depositum est, id magis custodias, quam quod pecuniae; bonorum quippe virorum est ostendere, se honestatis servandae diligentiores esse quam juramenti. Sectare

oblectationes, quae sint honestae; nam cum honestate gaudere optimum, sine illa pessimum. Metue criminationes etiam vanas; plerique enim non videntes, quod res est, opinionem respiciunt. Plurimum feres laudis, si prae te feras, te id non facere, quod, si facerent alii, esses reprehensurus.

Quod bene doctus habes, meditans in pectore fige;
Artes ignotas artibus adde tuis.
Turpe est, sermonem potuisse audire salubrem,
Et nihil ex illo velle referre domum.
Non aliter quam sponte bonum si donet amicus,
Et spernas, illud munus habere datum.
Quae vacat hora tibi, da lucro pectoris illam
Ut bene dicentum discere verba velis.
Sic facili disces opera, sic pectore condes,
Quae multo didicit cura aliena die.
Omnia quae nostras sapientia portat ad aures
Magnis divitiis utiliora puta.
Hae facile spes effugiunt haeredis avaras:
Devotos nullo deserit illa die.
Omne bonum fragile est; sapientia sola perennis
Aeterna ut laurus fronde decora viret.

388

Mense proxime elapso, qui Lindaviae morantur scenici homines, fabulam à *Kotzebue* scriptam, in qua persona agitur hominis surdi ejusdemque muti, tali modo ediderunt, quali vix editam esse constat. Totius quidem argumenti personam hominis surdi ejusdemque muti egit puer tredecim annorum, sine usu auditus vocisque natus; Abbatis autem *Epei*, egregius magister pueri, *Kauderer*, ludi moderator, qui triennio discipulum suum impigrum eo usque erudivit, ut non solum sciat recte literas ducere, facile expedire arithmetica, typis expressa pariter ac manu scripta non solum oculis legere, sed quaedam saltim ore plane pronunciare. Homines illius civitatis puerum actorem intra theatrum et extra illud admodum benigne donarunt, ut ipsius magister ex illis donis modicam habeat pecuniam, quam fenori det in vitae subsidium. Egregius ille ludi moderator, qui nullo usus doctore facilem docendi rationem suopte ingenio excogitavit, illam

conscripsit, et sunt, qui typis exscriptam vulgari in usum publicum velint. Adjiciunt auctores, dubitasse spectantes, utrum discipulum an magistrum magis admirandum putarent.

Quid surdo mutoque magis miserabile visu?
Quam misera hos fecit conditione Deus!
Sensit triste malum bonus Abbas doctus *Epeus*,
Ad dandam miseris ingeniosus opem.
Assidui nil non hominis solertia vincit,
Ingenii haec laus est Francia clara tui.
Ille vir aeternum memori dicendus ab aevo
Mira illis miseris edidit arte scholam.
Qui modo mutus erat, nunc sentit vincla soluta,
Et qui non audit, discere signa potest.
Nunc meruit laudem ludi moderator eandem
Sanguine germano, clarus ab arte nova.
Illius nomen laudat Lindavia nobis,
Gloria Germani nominis ille manet.

389

Super ripa rivi, ex labe nivis et imbre undosi, prope pagum Vilam, duo pueri, alter septem, sex annorum alter, ludebant, spumae undarum manibus hauriendae intenti. Horum minor natu cum pronior inclinaret corpus, prolapsum in rivum torrens abstulit. Tardus quidem natura puer, vel animi timidioris aut adstitisset, plangendo tempus terens, aut se proripuisset, casum nuntiaturus paganis. Sed alio ingenio puer natu major, cui nomen *Glaeser*; (nam, cujus nomen memoretur, aeque dignus est ac quilibet hominis servator;) vix ablatum flumine socium videns, celeriter reperto, quid facto sit opus, secundum ripam ad ponticulum, intervallo triginta passuum in rivo factum, propere decurrit, eique incumbens aequalem exspectat, eoque delatum manu, quam ex undis tendebat, prehensa salvum extrahit. Praeclarum vero facinus, et consilium, quam subitum vix capturum sperares ejus aetatis puerum. Gratiam facto referet, perpetua vita servatae animae memor puer; meritum in annalibus illius ecclesiae proditum ad mortui laudationem olim pertinebit. Qualem juvenem et virum censemus futurum hunc puerum, qui animo tam praesenti se praebuit? Consilium hóc suscipiendi non ex diligenti doctrina in mentem venit

puero, sed à rudi et inculto animi impetu erat profectum. Et tale nobis videri debet egregium illud factum, si satis digne illud volumus admirari. Sed hominum tenerae aetatis rectorum, qui virtutem egregiam aliam super aliam animis educandorum se impressuros opinantur, etiam si ad illas concipiendas non sint natura compositi, arrogantiam valde retundit illa quaestio apud *Horatium* occurrens: Virtutem doctrina paret, naturane donet?

Quae non in teneris animis latet insita virtus,
Hanc nullae possunt ingenerare scholae.
Sponte solum violas gignit cum tempore verno,
Sponte agrum cyanos progenuisse vides.
Quid jactas Mentor virtutum semina sparsa,
Si non est aptum pectoris ante solum?
Hic nil proficient artes, et cura magistri;
Quot similes Scythis Attica terra tulit?

390.

Mulierum fida caritas in eos, quos diligunt et amant, non tantum ex illa, quae intus et domi elucet, pia sollicitudine, qua aliorum necessitatibus, commodis et gaudiis prospiciunt, omissis propter ea suis; nec tantum ex isto animo suarum rerum immemore, quo saepe sua incommoda non respiciunt, ut leventur aliena; sed cum incidunt res novae, eadem cernitur ex fortitudine, quae non dubitat, aliorum salutem anteponere suae, eo magis digna admiratione, quo minus ab illarum ingeniis, ceteroqui timidis, eam postulare possis. Insignium hac virtute mulierum exemplis abundat historia. Cum tempora et casus praeter consuetudinem incidunt, tum clarius exsplendescunt et virtutes et vitia. Illa tempestas, qua Francorum respublica violentis motibus mutata est, multis novo quodam casu materiam praebuit ostentandae illius virtutis. Inter istos atrocissimorum facinorum terrores, cum apud Francos leges publicae simul cum jure hominibus debito sancte haberi desierunt, cum pro reo erat, qui proscripti hominis calamitati aliquam opem tulisset, complures viri probi, quos hominum caedis cupidorum furor neci destinaverat, sola opera piarum fortiumque, quidam, ultro supplicia subeuntium uxorum filiarum aut familiarium, salvi evaserunt.

Femina si moerens justi induit arma doloris,
Audet magnanimi fortia facta viri.
Alcesten jactat Graecorum fabula pulchra;
Nos animo multas ingenioque pares.
Omnem pellit amor muliebri corde timorem;
In medios enses corpora mittit amor.
Uxor amans in bella audet comes ire marito,
Avellunt pectus nulla pericla pium.
Ad duros migrat pietas haec fida Sibiros,
Cum caris patitur vincula juncta viris.

391

Nescit plebes jejuna timere.

LVCAN.

Principem Algeriae, sine corporis custodia non procul urbe super saxo sedentem, armati Turcae quatuor adgressi, explosis primo in eum duobus sclopetis manuariis decies ictum gladio vulnerarunt. Horum duo ab iis, qui advolarant, illico trucidati, duo ceteri fuga elapsi; postero die unus comprehensus et strangulatus. Princeps, qui initio graviter laborarat ex vulneribus, brevi nihil de morte metuebat. Eo casu paululum motus initio concitum et apud milites et apud oppidanos; portae urbis, pariter tabernae, omnes clausae. Milites illorum castrorum, quibus accensebantur insidiatores, cum hominem postero die comprehensum custodia liberare velle viderentur, cum lenibus verbis tum comminationibus repressi. Quae res illud facinus arcessierit, non liquet; illud pro comperto est, ab immani pretio annonae vulgo iras hominum exortas, tantumque abfuisse, ut princeps expediret consilium, et egestati subveniret, ut publicae calamitati etiam insultare videretur, qui quotidie ad loca munienda et opera topiaria in villa sua facienda sexcentos vel octingentos Mauros ex interiore terra arcessitos, adhibuerit. Pridem monentibus, quos in consilium adhibet, quosque ante alios diligit, ut, dum penuria panis laboraretur, opera intermitteret, neque oppido egrederetur, nisi stipatus satellitum praesidio, se opera persecuturum respondit, et more consueto exiturum; fato praestitutum sibi tempus moriendi, et, si ingenti corporis custodia septus prodiret, id fore parum confidentis Numinis tutela.

Dura fames, aegris mortalibus ultima poena,
Omnem poenarum vincit adaucta metum.
Illa furens rumpit rigidarum vincula legum,
Illa necis certae ridet ubique minas.
Illud triste malum regnis prohibete tyranni,
Si vobis regni jura manere placet.
In rabiem plebs versa fame dabit omnia pessum;
Miscet ut esuriens omnia caede leo.
Credite, latranti nihil inviolabile ventri;
In sacrum gladios dirigit ille caput.

392

Quod cives Tiguri, *Salomoni Gessnero*, clarissimo populari suo, circa hanc, in qua natus est, urbem in loco amoenissimo ad deambulandum aptato ad confluentes Sihlium et Limmatum fecerant, splendidum monumentum, illud nuper fractum noctu evertit petulans improbitas. Illud trium exercituum hostilium, qui paucis abhinc annis continuo adventu, et bis post proelia admodum cruenta Tigurum armis expugnaverunt, vastationem, tanquam miraculo, salvum evaserat. Inde etiam cum quadam religione ostendebatur, damnum glandis tormentariae, quae isto tempore, nihil laeso monumento, arborem, quae prope erat, diffidit. Hoc mira arte factum opus, cum semper nullo praesidio, nulla custodia septum, non alios habuisset custodes, quam fiduciam publicae incolumitatis et honorem viro probo, cui statutum erat, vulgo habitum, eo magis indigno facinore violatum est. Magistratus Tiguri, praemium trecentorum nummorum francorum publice proposuerunt, si quis auctores hujus indigni facinoris prodidisset, ac simul eos, ad quoscunque forte venerint disjectae splendidi illius monumenti partes, eos monuerunt, in praetorium illas deferrent.

Mitte, memor pietas, virtuti condere rarae
Bustum vel scitae quodlibet artis opus.
Tempus edax illud consumet dente maligno,
Nil aeternum hominis condidit ulla manus.
Si tamen intactum longos permansit in annos
Improbus eversor Vandalus hostis erit.
Dum furor in cursu est, non curat Mummius artem
Illum non tabulae pulchraque signa movent.
Ille tamen miles, qui belli barbara jura
Exercet dura saevus ubique manu.

At novus hic furor est, nostro quis crederet aevo?
 Gesneri manes sollicitare sacros.
Illud opus, merito pietas quod struxit honori,
 Quodque sacrum populis post tria bella stetit.
Illud lascivis fregit furor impius armis,
 Quae nulla tenuit relligione metus.
Hoc ausas dextras tristis tum luna videbat
 Et nollet foedum tecta videre nefas.

393

Chirurgus, artem suam bene doctus, quique suum munus obit fideliter, mitique et comi ingenio, in genere hominum maxime verendo habendus est. Vix ulla officii pars est, quae specie magis magnifica et admiranda ostendat humanitatem. Quid admirabilius ea virtute, quae adspectu foedissima, resque suo periculo suscipiendas, somnique et vitae commodae fructum carendum non respiciens, in curam, hominis omni ope destituti vulnera fomentis molliendi, eumque sanandi, et vitae restituendi, tota incumbit, non aliud praemium sperans, quam conscientiam animi hominis officio functi, et laetitiam ex curatione bene perfecta? Tam eximia virtus agnoscitur in illo D. *Larrey*, qui praefecti chirurgorum locum tenens *Napoleoni* imperatori in Aegypto bellanti comes, incredibilis caritatis in homines in tractandis hominum vulneribus documenta edidit, qui nec eorum miserrimam conditionem neglexerit, quos ex praesidiariis vulneratos reliquerant hostes. Strati erant in cellis super putri stramento, pediculis obsiti, nullo refecti cibo, omnium rerum inopes, à popularibus immani animo deserti. His ille restituendis incredibili diligentia operam dedit, tum sua manu obligans vulnera, tum se coram obliganda curans. Dum Acre per octo hebdomades obsidebatur, ille ne paululum quidem quiescere, bis mille hominibus vulneratis. Idem vir magni animi magnam gratiam habens *Napoleoni* memorat ejus humanitatem in cura vulneratorum habenda, quos, quia ad Acren aëris insalubritate absumti fuissent, in Aegyptum curavit transportandos. Qui quo commodius transportarentur, clarum imperatorem, quicquid esset equorum in exercitu, praesto esse jussisse, et suis ad id ministerium datis aliquandiu peditem duxisse milites.

394

Hindorum sacro sermone ipsorum terra dicitur terra virtutum, quem honoris titulum prae omnibus ubique gentium etiam nunc merere videtur. Insignis apud Hindos simplicitas morum, ingenia mitia et placida, admirabilis in victu cultuque continentia. Apud eos corrupti mores et luxuria Europaeorum multo minus, quam apud Indos occidentales, corrupere traditum à majoribus morem indigenarum. Hindi etiam nunc juxta magnificas domos Europaeorum in angustis humilibusque habitant tuguriis, ex canna et arundine Bambi factis. Etiam nunc conspicua est matronarum pudicitia et modesta rei familiaris cura, liberorum pia obedientia, virorum labor, vulgo omnium aequitas animi rebus suis contenti, et ex ultima egestate felicitas familiae plerumque efflorescit invidenda. Admodum bona fide agunt, qui sunt in famulatu. His quinquagenis vel sexagenis per atria domorum, quas locupletes Europaei habent, apertis foribus noctu quiescentibus, nihil aufertur. Hindorum mite ingenium maxime cernitur ex humanitate in servos. Hos illi clementer habent, nullo asperiore labore exercent, nec acerbius in eos animadvertunt, quam in matres familias rei domesticae negligentes, et liberos imperia detrectantes.

395

Hindorum incredibilis perseverantia et patientia maxime eminet in iis, qui delictorum poenas à se expetunt, et iis, qui agros mercede accepta custodiunt. Et hi quidem totum diem solis aestu miserrime usti, mediis in agris in loco leniter edito, argilla constructo, perstant, assidue intenti in eam curam, ut aves, quas necare superstitione quadam prohibiti non audent, clamoribus terrendo abigant. Eosdem religionis à majoribus traditae summa et immota fide tenaces esse constat. Olim Calcutta habet constitutos ab Anglis legatos, qui doctrinae christianae tradunt formulam, et nuperrime adjectos Dani nominis; sed illi consociato studio adhuc consecuti non sunt, ut vel infimae plebis Hindum ad suorum sacrorum communionem illicerent. Hindi quanquam vehementer aversantur Europaeos sacrilegos, tamen doctrina se longe ab iis vinci verecunde agnoscunt. Jam animos eorum movere coepit desiderium ita prospiciendi liberis, ut more Euro-

paeorum eruditi, eodem ingeniorum cultu fruantur, itaque apud multos deprehenderes libros elementares Anglorum sermone scriptos. Jamque apud eosdem locus datur nonnullis Europaeorum artibus, qui naves fabricandi artem ab Anglis tam egregie didicerint, ut non possis non ingenium admirari.

396.

Alfredus, Rex Anglorum, ingressus imperium mores populi extrema labe adfectos vidit. Inter bella homines licentiae rapinisque adsueverant, nulla magistratuum legumque verecundia. Jam ille in hanc curam incumbebat, ut juris legumque auctoritatem restitueret, melioremque disciplinam revocaret. Angliam in comitatus, hos deinde in minores regiones divisit. Harum in unam contributum esse oportebat, qui legum praesidio vellet uti. Nemo non pater familias jubebatur rationem reddere eorum, quae quisque domesticorum faceret, etiam quae hospites, si ultra triduum apud ipsum deversarentur. Pariter omnes adscriptos coetui decem familiarum oportebat quodam modo in se recipere culpam singulorum, et spondere, non recusaturos in judicium vocatos venire, qua re multum proficiebatur in multitudine efferata. Rex jussit crebro exerceri judicia; idemque illos privatos judices constituit, qui etiam nunc apud Anglos sententias dicunt; sive cuilibet civi alios certi numeri cives ejusdem loci judices dedit; hi jurabant, reum à se incorruptum jus laturum, nec erat, quod rei metuerent, ne quid contra jus fieret ab iis, quorum judices vicissim ipsi essent futuri. Diligentiori cura juris dicendi factum, ut nulla usquam loca essent infesta. Rex cum de arbore juxta viam publicam armillas aureas jussisset clam suspendi, auferre illas nemo audebat, cum antea sine telo, quo latronum vim defenderet, nemo ausus esset iter facere.

Bella trahunt foedam communi more ruinam,
 Hinc miseris populis vulnera longa dolent.
Pacis longa mora est, donec desaeviit ira;
 Tarde pacari sic maris ira solet.
Interea saevit consueta licentia ferri,
 Oppressa et rigido jura sub ense jacent.
Nil usquam tutum; didicerunt vivere rapto
 Qui toties miseras diripuere casas.

Dulcis amor praedae bellantum corda subegit,
Et jam latronum sunt loca plena metu.
Nullus ubique pudor, legum contemnere poenas,
Praetorisque dati nullus ubique timor.

397

Nullo non aevo funesta exempla calamitatis ex terrae motu extitere. Sub *Tiberii* principatu tredecim ingentes Asiae urbes deletae. Anno post Christum 242. Aegyptum et totum Orientem pervaserunt terrae tremores; una nox urbes sexcentas solo aequavit. Lima, caput imperii Peruviani, anno 1746. eversa cum portu, quicquid erat aedium, undis maris mersum, quicquid erat hominum, aquis exstinctum; praeter unam turrim nihil relictum. Lisbonae urbi. quam exitiosus fuerit terrae motus, quis ignorat? Idem quas clades fecerit Messinae et in Calabria, multi meminerunt. Ea tempestate dicuntur plus sexaginta mille homines interiisse. His exemplis recens addit Neapolis. Ibi quam vastitatem terrae tremores exeunte Julio reliquerunt, ea aestimari non potest. Nullum ibi aedificium non laesum, multa habitari non possunt. Coenobia, templa, turres, domus ampliores, foede rimis dehiscunt omnia. Omnes fere trabes domorum loco emotae, nec januae, nec fores aptae. Horologia quiescere, campanae non pulsatae sonare. Omnes vias opplebant homines Deo supplicantes, suamque vicem miserantes. Relatum à magistratibus, quatuor tantum homines interiisse, paucos vulneratos, quod simile miraculo est, si scias, quae sit intus domorum forma. Secundum ea, quae adhuc publice sunt relata, terrae motus maxime complectebatur loca circa Mollisam, cujus regionis urbs Iseria tota in ruinam collapsa, et missus inde cursor publicus funestum nuncium attulit, jam plus mille homines ex ruinis erutos et multo plures jacere oppressos.

398

Quos religionis interpretum munere olim fungi volumus, eos qui ita instruere vult, ut ad hoc munus, quod recte obiri et reipublicae et hominum plurimum interest, parati accedant, profecto non parvum negotium suscipit. Et nulla quidem mora facienda est, quin in illud

incumbas, ut animum simul informes eumque pietate in Deum et recti honestique verecundia imbuas, nec tantum ingenii, sed animi quoque vim elicias. Tum ubi adolescentes, erudiendae multitudini destinati, ad aetatem juvenilem pervenerunt, quid potius faciendum fuerit, quam ut coetus hominum celebrare jubeantur, artemque doceantur, hominum mores observandi, et maxime reconditas naturae humanae latebras vestigandi, et copia illis fiat, quas rationes sequatur vulgus, quibus sint obnoxii cupiditatibus, quibus teneantur vehementioribus animorum studiis, propius inspiciendi? Nam quid est propositum verba facientibus apud multitudinem? Nempe ut eam ad sanitatem, morumque honestatem et animi aequitatem in dies magis perducant, et talem efficiant, quae potiundae aeternae felicitati sit idonea. Quae omnia quomodo ille homo faciet, si ipse nec mores habeat doctrina cultos, neque ex congressu hominum artem retulerit, naturam humanam perspiciendi neque religioni plurimum tribuat, et quaevis pro ea suscipere in animum induxerit?

399

Adolescentes olim formulas religionis publice tradituri, si minus commode, nec eo, quo heri demonstravimus instruendos esse, modo ad munus suum fuerint instructi, ita dicent pro concione, ut suae orationis proposito valde officiant. Qui recte vivendi rationem et cognitionem vulgo salubrem tradere debebant, de ejusmodi rebus disserent apud audientes, quae et abhorreant ab ingenio populari nec ejusmodi sint, quibus ad vitam agendam possint uti. Ineptis scholasticorum quaestiunculis aures ferient eorum, quos doceri oportebat, quid quemque deceat facere, et quemadmodum facile ac libenter suo quisque officio fungi possit. Nova quae placent, refutabunt, quos decebat, quae perperam sentit vulgus, corrigere, praejudicatis opinionibus et superstitioni obviam ire, vanas rerum corporis voluptati servientium species, et quae incorruptos animos circumveniunt, insidias nudare; quique sperabant se audituros, quo alant animi desideria, quo illum solentur adflicti, quo spes suas confirment, eorum aures eruditorum argutiis fatigabunt. Quid autem proficientes suis animis nondum cultis tradere audebunt formulas religionis, quae tota refertur ad animum? quo ardore iis, quia audiunt, ad frugem revocandis operam

dabunt, ipsorum animis nullo recti studio incensis? Quomodo probitatis eam speciem dabunt, quae alliciat atque invitet, ipsorum cultu ita neglecto, ut ad omnia torpeant? Quales se magistros ducesque praebebunt hominibus, id quod maxime cordi est quaerentibus, si naturae hominum non sint gnari?

Est aliquid, populo doctrinae dogmata sacrae
Tradere, et hunc cultum velle docere Dei.
Ad populi regimen magni res ponderis illa est,
Humanae vitae est hac sine nulla salus.
Ergo opus est magnum, juvenes in tramite recto
Ducere, quo discant munus adire sacrum.
Tolle moram, quisquis puerorum suscipis illam
Curam, et formandis mentibus adde manum.
Ut tenerum caleat cor relligicnis honore,
Ut recti sancto flagret amore, vide.
Non satis, ingenium multas acuisse per artes;
Venas est animi fas aperire simul.
Jamque tuus juvenis si vires cepit adultas,
In populi coëtu crebrius esse jube.
Suescat ibi varios hominum perdiscere mores,
Humani occultas cordis adire vias.
Noscat ibi vulgum, quem morem quisque sequatur,
Quo rapiat quemvis impetus ille suus.
Nempe jubet munus, populum caligine mentis
Solvere, ut ille relit nunc meliora sequi.
Ad vitium pronos in tramite sistere recti,
Curarum tristes pellere corde metus.
Denique in hos mores animos traducere vulgi,
Aeternae ut possint pacis inire domos.
Talia non ausit, qui non limaverit ipse
Doctrinis animum, qui fuit ante rudis.
Qui non ex populo bene norit pectoris artes,
Cui potior non sit relligionis honor.

* * *

In mores si non juvenis maturuit illos,
Ad populum faciet frigida verba rudem.
Non hic monstrabit, traducere leniter aevum,
Et quod sit verae prosperitatis iter.
Disseret, ingenio quod non penetrabile vulgi,
Ex quo nil succi publica vita trahat;
Auribus indoctis jactabit lingua diserta
Argutae quondam garrula bella scholae;

Fas erat, officii varias describere formas
 Et pronam ad rectum significare viam;
Quae nova coxerunt arguto pectore docti
 Contundet lingua militis arte boni.
At decuit densas animis depellere nubes
 Quas circum mentem credula turba dedit;
Bellare errores contra, patrimonia avorum,
 Quaeque superstitio pectore fixa sedet;
Et fucum nudare tuum, damnosa libido,
 Quaeque pudico animo retia nexa latent.
Ille dabit, quod habet librorum docta supellex,
 Auribus hinc populi taedia magna dabit.
Hic audire tamen sperabat pabula mentis
 Verbaque jejunum quae bona pectus alant.
Sperabat jucunda aegro solatia cordi
 Et sua spes robur sumeret unde novum.
At te, relligio, quî suadeat, impius ipse,
 Quae, procul ingenio, pectora sola movet?
Quo dabit is stimulos ad recta sequenda calore,
 Cui cor incultum friget ad omne bonum?
Quî pulchram recti speciem dabit horridus ille,
 Cui proprium pectus torpet inerte situ?
Denique, qui mores humanos discere sprevit,
 Quî veniet magnae duxque comesque viae?

400

Sunt eruditi, qui coelo maxime ali artes et literas arbitrantur. Alii censent, artes et literas, nisi apud liberum populum, florere non posse. Id censere imprimis Angli coeperunt. Apud eos honor est studiis. Multi praeclaro ingenio apud eos eminent. Apud eos videas operis vigorem, inventionum solertiam, artium elegantiam; quae omnia proficisci ex usu libertatis arbitrantur. Mihi quidem videntur errare, qui ingenia facile erudiri non putant, nisi in ea republica, in qua summum imperium populo concessum aut cum pluribus communicatum sit ordinibus. Id qui dicunt, Graeciam sive Athenas adferunt. Sed in Graecia praeter Athenas multae erant civitates, quae populari utentes imperio, paucis exceptis, à literarum cultu abhorrebant. Nulla civitas libertate et aequali jure magis erat adstricta, quam Lacedaemoniorum; tamen tantum aberat, ut eloquentiae vel poëtarum laude, vel alio doctrinae genere floreret, ut famam eruditionis se indignam arbitraretur.

Jam quis nescit rudes esse populos, qui, etsi regnum ignorent, omnemque vitam et remp. eam habeant constitutam, quae ad naturalem libertatem proxime accedat, tamen à feritate ad humanitatem ne paullulum quidem processerint? De hoc ipso dubitari potest, num civitates, quae dicuntur liberae, praesertim eae, apud quas summum imperium omne penes populum est, vel auxilia satis copiosa alendis artibus et literis habeant, eaque usurpari velint.

Ita discrepantibus sententiis, ea inconstantia animorum, tam turbulenta vicissitudine rerum, quibus exagitari non desinunt ejusmodi civitates, vix ita tandem erunt confirmatae, ut informandis moribus et ingeniis, ornandisque artibus bonas ac idoneas leges sanciant, aut sancitas diligenti cura tueantur.

Posse negant coelo Musas habitare sub omni,
 Sed gratum certi nomen amare loci.
Pars censent, ubi non dominentur sceptra superba,
 Hic artes potius posse vigere bonas.
Si petis exemplum, subito datur ille Britannus,
 Artes qui raro doctus honore colit.
Nonne vides, clamant, quid possint libera jura
 Et nulli domini subdita Musa jugo?
Aequali potuit Lacedaemon vivere jure;
 Cur tamen inter eos carmina nemo canit?
Cur populum nullius ibi facundia flectit?
 Nempe viri docti nomen habere pudet.

401.

Si quid impedit, quo minus humana mens rite ac justa rerum divinarum humanarumque cognitione formetur; si quid teneram adhuc indolem vel frangit ad praeclara haec studia vel plane hebetat: id maxime positum est in mala illa assuetudine libros legendi non nisi ludicros, animum ad tempus demulcentes ejusque vim licenter vagam inter dubiam voluptariarum imaginum copiam distrahentes. Quicunque enim puer huic se libidini temere dedit, orbi quasi inanium specierum somniorumque adeo mancipatur, ut rerum eum praesentium verarumque taedeat, animusque et studium in communem utilitatem conferendi refugiat et graviora fastidiat negotia, nec admittat porro grammaticas disciplinas, quibus certe ad

juvenilis ingenii vires exercendas nihil est fructuosius. Ita fit, ut mens ad imagines quidem rerum ultro fingendas resque concinne et argute concipiendas acuatur, ad easdem vero et subtiliter disquirendas et sollerter judicandas plane languescat. Ita fit, quod est apud celeberrimum quendam nostrae aetatis philosophum, ut juvenis supinae incogitantiae stuporique totus obnoxius reddatur, vi memoriae et recordationis deficiat, nec fere, nisi ad miseram artem exerceatur, et tempus frivole fallendi et reddendi se aliis prorsus inutilem.

(Rogatus latine reddidit Prof. *Drück.*)

402

Earum calamitatum, quae adfligunt mortales, haud dubie nulla atrocior est, quam quae ex bello oritur. Illud innumeros homines, alios anima, alios corporis incolumitate privat, domosque permultas iis, qui praesidio ac tutelae esse debebant, iisque de victu prospicere; illud res populorum perturbat eosque ad egestatem redigit; efferatque hominum ingenia, floremque artium et literarum perdit, moresque gentium corrumpit. Hoc etsi nemo eat infitias, tamen, si quis est cogitationi rerum intentus pieque Deum respicit, ut de omnibus aliis, ita de illo belli malo aliud quiddam judicans, paratum esse videt ad illud, ut rationem divinam, res humanas pro perducendis ad meliora animis gubernandi, peragat. Ad illud quid valeat bellum, quanquam non utique evidenter demonstrari potest ex historia et aetatum exemplis, tamen illa cogitatio rei, quae ad persuasionem vulgi refertur, Deum praeesse rebus humanis, ita non convellitur. Praeterea exemplis cognitum certe habemus illud: ut proposita virtutes in rebus arduis et honestis edendi materia animi tentarentur atque ita in meliora transferrentur singulorum ingenia, imperiorumque et coetuum christianorum vitia corrigerentur, libereque sentiendi de religione daretur potestas, abolerenturque inveterati errores, et commodius inirent gentes foedera, visque mentis humanae moveretur, denique, non quidem directo, ut florerent ex integro artes et literae, haec omnia cruentis effecta fuisse certaminibus.

Anhang

von

Elegen.

Thema 2.

Quid memorem laudans bona Libri oracula Sacri?
Haec abs te volvi nocte dieque volo.
Da mihi, quotquot habet nova terra et prisca, libellos;
Omnes hos vincet littera sacra tamen;
Ah! nostro exemplo nil te divellet ab illa,
Tum quoque, cum voces mors rapit atra meas.
Quae tibi sum crebro, quae tu mihi verba locutus,
Vive memor, menti subjice cuncta tuae.
Nempe puta cives monita exaudisse paterna,
Nam nostrae vocis gens tua testis erat.
Accipe, spes patris, quae nunc tibi Biblia trado,
En quondam patribus Biblia trita tuis!
Per caput hoc juro tibi perque parentis amorem,
Fac habeant certam dicta paterna fidem:
Nulla mihi melior, non acta quietior hora est;
Quam post lecta mihi factaque verba Dei.
Ah, precor, ut quaevis te sic Aurora salutet
Et carum videat principis esse librum!
Hunc scelus esse putes, illum qui spernere suadet
Aut animi ridet tam pia signa tui.
Haereat illa dies in tristi pectore fixa,
Quae vidit nostras saepe madere genas!
Quid prodest, coelum si votis, nate, fatigem
Nulla tibi ut veniat tristis eatque dies?
Nemo adeo bonus est, quem non dolor occupet olim,
Virtutem sequitur proxima cura piam.
Pulvis et umbra sumus, mortali sanguine creti,
Praesentis quanquam simus imago Dei.
Tu vivas nulli pietatis amore secundus,
Huic serves animo non simulante fidem.
Principis exemplum est patriae fortuna salusque,
Spargit idem longi semen ubique mali.

Thema 3.

Hogarthum tulit Europam sua fama per omnem
Nunc etiam claret pingere docta manus.
Non alius mores expressit verius illo
Acrius aut sceleri verbera justa dedit.

Quodque scelus verbis castigat lingua severa
 Hoc oculis foedum dextera rara probat.
Huc age, qui nescis auriga dolore moveri!
 Quam gemat haec Angli vera figura, vide.

Thema 6.

Quam mens nostra calet diverso concita motu
 Errans historia per loca multa duce!
Hac duce seclorum in scenam redit illa priorum,
 Hac, quod praeteriit, rursus adesse videt.
Hac quasi post scenam spectat mortalia facta,
 Et quae causa subest, quid sibi quisque velit.
Nunc inter reges versatur et inspicit aulas,
 Nunc etiam in viles devenit illa casas.
Hinc audit voces sapientum factaque cernit,
 Stultorumque illinc omnia plena videt.
Inde nitet virtutis amor studiumque verendae;
 Hinc oculi tristes impia facta stupent.
Semper homo prostat bonitate aut labe notandus;
 Sors juvat hunc, illum semper iniqua premit.
Idem semper homo scena spectatur in illa
 Quanquam dissimili multiplicique modo.

Thema 7.

Hinc leges surgunt et disciplina severa
 Et bonitas morum pectora cuncta movet.
Hoc facit, ut vigeant armis duroque labore
 Regna beata diu, robore fulta suo.
Inde jacent leges, vitiorum pondere victae
 Et disciplinae languida frena jacent.
Discordes animos regnandi saeva libido
 Exstimulans, tandem bella cruenta movet.
Irritat gulas et ventres copia rerum;
 Dura prius languor membra resolvit iners.
Quosque viros nullus domuit labor, otia frangunt,
 Jamque salus regni debilitata jacet.
Viribus inde suis Musae nituntur et artes;
 Jam virtute magis natio et arte placet.
Altera gens illinc Musis intacta manebat
 Sed mores nil non asperitatis habent.
Hoc unum didicit, non bella timere nec hostes
 Et victos victis addere velle novos.

Nunc labor et virtus palmas plaususque reportant,
Nunc caput infandum pulchra corona premit.
Tristis in hoc casus, melior successus in illo;
Nulla tamen ratio vidit utrumque prius.

Thema 8.

Siste, tyranne, minas et fulmina dira reconde;
Nam bona nil metuit vindice causa Deo.
Hic domat immanes dextras ausus que potentum
Hic frangit promtas in mala multa manus.
Crudeli in cives accingitur ense tyrannus,
Sed vertente Deo mors inopina rapit.
Tam tenui pendent hominum conamina filo,
Tam spes humanas dissecat hora brevis.
Cum totum eripiunt densissima nubila coelum
Numine sol tenebras discutiente redit.

Thema 9.

Sacrorum studio qui Christicolae ante calebant,
Mox *Constantinus* frigus habere videt.
Luce Deo sacra non jam cessare laborem,
Non justa ancillae pensa trahentis opus;
Tempora nulla Deo tribui mentique severae,
Non quaeri votis regna beata Dei.
Inde pius *Caesar* christiano sanxit in orbe,
Ut solis lux sit prima dicata sacris.
Luce sacra solitis requiescat curia rebus,
Cessent verbosi garrula bella fori.
Non lima mordente gemat tractabile ferrum,
Arceat emtorum clausa taberna pedes.
Colla juvencorum duro solvantur aratro,
Non ligo desertos experiatur agros.
Si tamen assiduos imbres advexerit Auster
Et pulsis niteat nubibus illa dies:
Tum non cunctantes messem curate, coloni,
Sentiat et falcem vinea luce sacra.
Nam Deus ipse dedit tempus messoribus aptum
Et non vult anni vota perire boni.

Thema 10.

Lutheri cineres bona Vittenberga recondit;
Quam magni est custos corporis ille locus!

Ne tamen aurato sub marmore condita credas,
 Ossa viri Tanti lamina nuda tegit.
Simplex, non ingrata manus bene sculpsit in illa;
 Nomen litterulis officiumque viri.
Addidit his annum donatae et lucis ademtae;
 Proximus his paries vultum humerosque refert.
Sed manet hoc nomen quovis aeternius aere
 Et vincit factis tempora longa bonis.
Huc ades o Christiane memor virtutis avitae
 Ut cineres sanctos cum pietate colas.
Quisquis es, ad bustum veniens ne stare graveris
 Et dicas: magnis muneris auctor erat!

Thema 12.

Sparta senectuti summos tribuebat honores,
 Grande decus capitum ruga senilis erat.
Non ibi divitiae, non magna potentia, dignum
 Sed gradus aetatis, fecit honore virum.
Turpis ibi juvenis senis aspera verba timebat,
 Et monito pueri sedit in ore pudor.
Nos, inter Musas, quantum distamus ab illis,
 Qui vacuum Musis cor habuére, viris.
I nunc, cane Senex! puerorum corripe mores,
 Si tibi ludibrii praemia ferre libet.

Thema 13.

Nonne vides, quantae sint pestis causa poëtae
 Vitaque mortalis quid trahat inde mali?
Scena videt per eos lacrymas manare virorum
 Inque armis siccas ante madere genas.
Hi frangunt animi robur nervosque remittunt,
 Ut dolor exilis mollia corda domet.
Ah nimium dulces juvenilia pectora mulcent
 Et bibit ut sitiens carmina lecta puer.
Nec legisse satis; memori quoque pectore condunt
 Mersaque sic animis illa venena latent.

Thema 14.

Aula potens regum miseris est anxia curis
 Omnia sollicito sunt loca plena metu.
Ille Syracosia qui saeviit arce tyrannus
 Exemplum miseri grande timoris erat.

Quale tibi visa est, regum fortuna, *Damocle*?
　Quid fuit, ut nolles regis honore frui?
Nempe bono laetis cervicibus imminet ensis
　Jamjam casurus, teque necare parans.
Neve putes mirum, nil regibus esse beatum;
　Bellorum quoties ingemuére malis?
Aut lugent agros ex foeda clade jacentes
　Aut cari populi funera mille dolent.
Gaudeat ut victor factis extendere famam
　Et patriis raptum finibus addat agrum.
At quam multarum damnum est miserabile rerum!
　Et magnos luctus ille triumphus habet.
Sin miles pulsus cessit victricibus armis;
　Tum facies regni quam miseranda datur!
Tristia fert civis captivo vincula collo
　Aut sicco esuriens postulat ore cibum.
Aut mersus squalore gemit crudelia fata,
　Et linguae hostilis verbera dura timet.

Thema 15.

Nostra Europa orbis magni non maxima pars est,
　Sed reliqui victrix tardior orbis erat.
Illa quidem, fateor, nimbosam vergit ad Arcton
　Et loca non gratum plurima frigus habet.
In fines illos penetravit serior aetas,
　Surgebant istis oppida sera locis.
Multas ab reliquis fruges artesque poposcit
　Inventique novi Graecia mater erat.
Ah! quoties gemuit flammis hostilibus usta!
　Ah! quoties belli viderat omne malum!
Quam multos terris sol jam reparaverat annos,
　Dum sensit secli vincula rupta feri!
Sed jam post annos si vis numerare trecentos
　Europae facies eminet atque decus.
O cives, cives, si quem sors vexat iniqua,
　Vestra est, eximii non ea culpa soli.

Thema 16.

Ut valeat corpus vel morbo membra leventur
　Integra mens vires sufficit ipsa suas.
Saepe vigor mentis medica plus arte valebit,
　Istaque Galenis regula vera placet.

Horas aegrotis medici praescribite laetas
 Ut pellat morbum viribus herba suis.
Alfonsus rex aeger erat, medicamine nullo
 Devictum docta cessit ab arte malum.
Curtium, ait, posco, calamo qui fortiter usus
 Emathii regis bella cruenta refert.
Dum legit aegrotans tanti molimina regis,
 Mox sentit morbo membra levata gravi.
Quid mihi vobiscum, medici? rex firmior inquit,
 Te, *Curti*, medicum laetor habere meum.

Thema 17.

Cur precibus coelum stultis votisque fatigas?
 Nonne Deum, valeant si tua vota, times?
Sin tibi te sortem censes petiisse beatam;
 Nonne potest dubio res tua stare loco?
Rex ille Emathiae quatuor post funera regnat
 Optandumque sibi nil superesse videt.
Septem annos fruitur voto sceptroque potitur;
 Tum vero obtruncat fidus amicus eum.
Obtruncat regnare ardens *Craterus* amatus,
 Et, quam non metuit, perfida dextra fuit.
Sed tamen ipse cadit telo *Craterus* eodem
 Cum tenuit sceptrum tres quatuorve dies.
Quid juvet imperio totum regnare per orbem,
 Sanguine si redimas gaudia tanta tuo?

Thema 19.

Cum nox atra suo texit velamine terras
 Et jam mollis habet languida membra torus;
Tum judex animi sedeas censorque severus,
 Excutias toto dictaque et acta die.
Quaere: cui morbo poterat lux acta mederi?
 An vitii victor jam meliorve redis?
O hominis morem, quo non est pulchrior alter,
 Aequa transactam pendere lance diem!
At cujus mores noctis censura probavit,
 Quam placidos somnos carpere posse putas?

Thema 22. 23.

Germano quis non gaudet se sanguine natum,
 Quae gens conspicuum tollit in orbe caput?

Excelso fortes animos in pectore versat,
Non tendit virtus *Teutone* nata dolos.
Ulturusque palam gentis dolor induit arma,
Non latet in Siculo sica dolosa sinu.
Genti fervet opus, mentem corpusque fatigat,
Propositique tenax non cadit ille labor.
Foecundum ingenium cunctas emanat in artes,
Rimatur latebras sedula cura novas.
Laus populi prima est, quodvis addiscere velle,
Ut nullum teneat dira cupido modum.
Extera sed nimio bona demiratur amore,
Debitus ut patriae non tribuatur honos.
Scilicet Europam per linguas exit in omnem,
Hinc cuncta admirans in sua tecta redit.
Justior inde redit virtutem doctus amare,
Cui virtute sua plus aliena placet.

Thema 24.

Antiquo Germana fides laudatur ab aevo
Nudaque simplicitas cordis in ore sedens.
Gallorum fucus faciem non perdidit omnem
Et serae proli laus vetus illa manet.
Dat stimulos illis immensum gloria calcar
Et movet antiquus pectora celsa pudor.
Hoc, *Luthere*, sumus; damus haec tibi pignora priscae
Laudis, quae quondam fluxit ab ore tuo.
Ah, servent tua dicta fidem, Pater optime gentis,
Inque illa maneat relligione nepos!
Sic vir clarus ait: laus nostri nominis haec est,
Quod non mentitur linguaque corque fidem.
Quod certa est oris semper fiducia nostri
Quod nec amicitiae perfida terga damus.
Insita gestamus virtutis semina priscae
Nec nihil antiquae nobilitatis adest.
Nam subit ora rubor, mendaces odimus esse,
Non levis est nobis fallere posse jocus.

Thema 25.

Intrantem quam laeta dies te vidit in urbem
Te votum populi deliciasque tui!
Id quoque quam cunctis laetum et mirabile visu!
Intrasti placido nostra per ora pede.

Quam tibi dissimiles regum de stirpe priores!
 Vidimus ingressos ambitione nova.
Mitto, quadrijugo curru sedisse superbos
 Albentes et equos isse colore sacro.
Majus erat crimen! foedum et miserabile dictu!
 Portabant humeris corpora serva Ducem!!
Te, *Trajane*, tuis majorem corpore pulchro
 Te medium cives constupuére tui.
Non sensére tuum servilia terga triumphum;
 Victorem sensit turba superba suum.
Non aetas, non morbus iners, non denique sexus
 Tardavit cupidos te comitare pedes.
Nemo non dulces satiare ardebat ocellos
 Scena, quam nemo viderat ante, nova.
Noscere te pueri, digito monstrare tenellis
 Laetati juvenes, te stupuére senes.
Quid loquor? aegroti monitus sprevére medentum
 Tabida non dubii membra levare toro.
Prorepsére avidi tectis, vix membra trahentes,
 Ut credas, per te posse vigere ratos.
Hinc pars clamavit: nunc me juvat ire sub umbras,
 Dulcia nam vidi Principis ora boni.
Hinc pars ad dulcem referens sua vota salutem;
 Nunc magis has auras carpere posse juvat.
Denique laetitiam foecunda puerpera sensit
 Adspiciens casti pignora cara tori.
Laeta bono peperisse suos patriaeque Parenti
 Et fortes forti laeta aluisse Duci.
Tecta videbamus spectantum mole gravata
 Milleque corporibus culmina pressa piis.
Milleque sub pedibus vicique viaeque latebant
 Urgebatque tuum densa caterva latus.
Undique plebs hilaris plausuque et voce fremebat,
 Ridens undique frons, clamor ubique sonans.

Thema 26.

Attica gens fuso laetata cruore nocentum
 Ipsa datos meritae judicat esse neci.
Post, ubi cum dominis non lenta licentia crevit
 Cum pravis jugulat dira libido bonos.
Infelix vulgus quanto tua gaudia stabant!
 Ipsa tyrannorum clauserat ora metus.
Sic, quae Sparta dedit servilia vincla gerebas
 Stultitiae referens praemia moestae tuae.

Cum Sulla exultat Damasippi sanguine laetus,
Publica jus rigidum judicis ora probant.
At mors illa fuit miserandae cladis origo;
Mox causa est subitae villa domusque necis.
Si quis erat dives, proscriptus in urbe latebat;
Divitiis alios vincere, crimen erat.
Quid facitis, stulti, quibus est nex causa jocandi?
Mox palo adfixos vos quoque lictor habet.

Thema 27.

Venturos casus densa caligine texit
Consilio pollens et ratione Deus.
Nulla potest acies noctem penetrare per illam;
Nempe Dei mitis dextera claudit iter.
Ni Deus hoc faciat, praesentium imago malorum
Invitos oculos haereat ante tuos.
Heu quota pars hominum, si non sors dura lateret,
Infelix animo viveret ante diem!
Quo tibi, Rex *Ludovice*, tuum diadema superbum,
Indigna si te morte perire scias?
Quo tibi sublimem solio sedisse paterno
Squalida pro sceptro si fore vincla putes?
Tu ne scire velis, quid serior advehat hora;
Utilius nescis, quod tua fata jubent.

Thema 28.

Nulla magis ratio patriae suadebit amorem,
Quam quae christianae est relligionis opus.
Illa dabit nobis aes circa pectora triplex,
Coelesti galea proteget illa caput.
Illa pio validum lateri circumdabit ensem
In medios enses ducet agetque pedes.
Illa jubet verum patriae telluris amorem,
Pro patria dulci fata subire jubet.
Laudes illa viros hortatur quaerere veras
Datque harum stimulos exacuitque magis.
At magnum decus est, si denique fata tulerunt,
Pro patria fuso sanguine sponte mori.
Illa Deo suadet mortales credere casus
Et non incertam nos docet esse fidem.
Offert illa animis certissima pignora nostris,
Tecturum clypeo praesidioque Deum.

Aeternam jubet illa pios sperare coronam
Pro patria fortes qui cecidere sua.
Talia si credunt, si sperant talia cives,
In saeva hinc animis fortibus arma ruunt.

Thema 30.

Dulce solum patriae, vitae incunabula nostrae,
Altricemque bonam diligit omnis homo.
Et cui nos populo jungunt communia jura,
Is reliquis populis carior esse solet.
Impetus ille sacer cujus non arma lacessat
Pro patriis aris sumta suisque focis?
Pro duce dilecto quis stare morique recuset?
Ad vitam telis offeret Ipse suam.
Aras everti si postulat impius hostis,
Cui non hoc justi causa furoris erit?
In bona si miles conetur avita venire,
Quis tum frigenti pectore cesset iners?
At cives aluit bona Wurtembergia fortes
Dum stat majorum tam generosa domus.
Stantes pro patria viderunt secula multos:
O redeat nostris impetus ille viris!
Quo vicére Deo majores vindice tuti,
Is custos serae posteritatis erit.

Thema 31.

Divino nutu si fractus corruat orbis
Et mersos montes obruat unda maris;
Si coeli et terrae circumsonet undique terror,
Non tamen attonito pallor in ore sedet.
Pocula si mortis Deus horrida porrigat atrae;
Una tamen spes est in bonitate Dei.
Talia qui forti solatia pectore gestat,
Quid non elata spernere mente potest?
An ratio quondam sic mentem evexit ad astra?
An cernis clarae robora tanta Stoae?
Ex hac commemora fortes ut mirer Jobos
Qui virtute pari sustinuére loqui:
Qui dedit hanc mihi fortunam, Deus abstulit idem
Laudo tamen justi nomina mira Dei.

Thema 33.

Funestum bellum, quod vidit septimus annus,
Europae pugnis miscuit arma feris.
Communis contra fortem stetit ira *Leonem*
Artes adversus, Rex *Friderice*, tuas.
Denique cesserunt hostes victricibus armis
Virtutis victor praemia pulchra tulit.
Tot tamen annorum Germania cladibus icta
Suffecit, magnis viribus usa suis.
Non duram adduxére famem tot vota gularum,
Arida nec toto corpore vena fuit.
At magnum decus hoc reperit Germania bello
Conspicuumque armis extulit illa caput.
Haec famam Europae partes emisit in omnes,
Has laudes nostris reddidit illa viris.
Auspice *Fridrico* Germanus miles ad arma
Doctas prae cunctis suevit habere manus.

Thema 34.

Quam multo quondam saturavit litora Rheni
Sanguine germano Gallicus iste furor!
Nec pepulisse satis miserosque necasse colonos;
Saeviit in vacuas Gallica flamma casas.
Nunc alius furor est, mutataque crimina belli;
Nunc hostis praedam vix bene visus agit.
Stare domos videas et nullo sanguine tinctas,
Sed nudas avidae deseruére manus.
Abductasque boves praesepia tristia lugent,
Jamque rapax vacuum lustret ovile lupus.
Tota domus squalet diris exhausta rapinis
Quales non aetas viderat ulla prius.
At solos oculos miseris habuisse relictum
Ut tantis possint illacrymare malis.
Heu, quam multorum est infelix causa dolorum
Gallia, Germani pestis amara soli!

Thema 35.

Mira placet nobis Romanae gloria gentis
Et movet egregium pectora nostra decus.
Sed duris armis si bellica Roma valebat,
Non tamen hac una gens mihi laude placet.

Nam majora canam; Romanus pectore magno
 Fortia concepit dignaque facta viris.
Omnibus unus amor patriae, concorsque voluntas,
 Aurea libertas omnibus unus honor.
Condidit immensas in publica commoda moles.
 Quas longam haud credas carpere posse diem.
Fabricios genuit, *Curios*, durosque *Catones*:
 Tantorum decorum copia magna fuit.
Egregiae Romam leges et jura regebant;
 Laudabat leges gens quoque victa bonas.
Romani hinc viguit populi venerabile nomen;
 Qui vires posset solvere, nullus erat.

Thema 36.

Quam grata est oculis haec consita floribus arbor;
 At decus hoc gratum quam brevis hora rapit!
Non aliter quondam marcescent ora puellae
 Quae nunc incedit flore superba suo.
Hortis hoc moniti nostros discamus in usus,
 Hunc mentis fructum quilibet inde ferat.
Virtutis fructu reparemus divite damna,
 Cum formae fragili demitur omne decus.
Flore suo pulchras quae spes ostenderat arbor,
 Ut tot divitias vix bene ferre putes;
Sed ramis illam nudis mox adspicit aestas,
 Umbra ejus teneris stirpibus obstat iners;
Hanc limis oculis hortorum spernit amator
 Et steriles umbras perdere vota dolet.
Non aliter cunctis triste et miserabile visu
 Omni virtutum munere nudus homo.
Corporis omne decus viridi hunc ornabat in aevo,
 Nactus erat sortis praemia pulchra puer.
Cum flavent segetes, cum pomis arbor onusta,
 Hic sterili frugum pectore nudus adest.
Nec satis est, nullos aestati prodere fructus;
 Vicinis etiam fructibus ille nocet.

Thema 37.

Altum sidus erat Tubingae et luce coruscum
 Schiccardus nostri gloria rara soli.
Hic doctas Orientis opes aperire juventae,
 Hic cursum astrorum dicere, doctus erat.

Dulcibus heu citius rapuit mors invida Musis,
 Montibus in sacris flos brevis ille fuit!
At multos fudit fructus haec impigra cura
 Et sterilem pleno fonte rigavit humum.
Doctrinae in partes multas ille exiit ardor
 Et palmas patrio laudis ab orbe tulit.
Foecundum pectus, divino semine plenum,
 Artis amans, promtum res reperire bonas;
Nulla fatigabat mentem res ardua Tantam
 Sed, quidquid vellet, discere promtus erat.
Nec didicisse satis; facili quoque voce docebat
 Et facili mentes norat adire via.
Denique, quam laudem raros meruisse recordor,
 Cessantem poterat nulla videre dies.

Thema 38.

Saepius in pueri mentem sapientia vitae
 Prudentis casto matris ab ore fluit.
Et, quae commisit primum bona semina cordi
 Haerent ingenio menteque fixa manent.
Sic dulcis labor est; quis saxa per ardua spernit
 Scandere, si ducat mater amata manu?
Credite, si virtus viguit probitasque virorum,
 Matris id agnorunt munus habere piae.
Illaesus pudor et virtus in flore juventae
 Ad vitae cursum quam grave pondus habent!
Quis tamen eminuit tam pulchri muneris auctor?
 Nempe piae matris laus ea tota fuit.
Paucis complectar: vitae tot commoda nostrae
 Tu mulier sapiens castaque saepe paris.

Thema 40.

Germani ardebant omnes virtutis amore
 Proque levi puduit crimen habere joco.
Non secli mos stultus erat laesisse pudorem
 Aut, suadente alio, criminis esse reum.
Ipse decor recti populum sine lege regebat
 Proque bonis valuit legibus ipse pudor.
Nam quid mortales peccatis fortiter arcet?
 Horrida nempe timent judicis ora sui.
Sed recti quem sanctus amor movet atque gubernat,
 Is facit officium vel sine lege suum.

Thema 41.

Si vis doctrinam felici attingere cursu
 Et sine sollicito currere posse metu;
Si tibi non artis petitur modo gloria multae
 Sed sapiens animus si tibi cura prior:
Ah! bone nate, precor, nunquam corde excidat illud:
 Plena Dei sancto sit mea vita metu;
Si recti sincerus amor tibi corde sedebit,
 Artes ingenuas tum magis ipse coles.
Sperne metum cultumque Dei vitaeque pudorem,
 Doctrinae poteris nomen habere tamen.
Sed scito: miser est, projecta vilior alga,
 Qui spreta est doctus relligione Dei.

Thema 42.

Te, bone *Vespasiane*, videt Galilaea rebellis,
 Qui multo ad fines milite cinctus ades.
Sentit ibi doctus *Josephus* vincula Romae,
 Qui bene Judaei nominis acta refert.
Mox Jotapae victor portas exercitus intrat
 Tergaque dux propius seditiosa premit.
Interea Solymas tendit Judaea caterva
 Irae qui tacitum pectore virus alunt.
Jamque pavet sicas metuens urbs tota latentes
 Insidiisque vacat nullus in urbe locus.
Scinditur extremo studia in contraria vulgus,
 In tres nempe ruit gens scelerata globos.
Sic turba in turbam fraudes exercet et arma,
 Urbs est in poenas ingeniosa novas.

Thema 43.

Sol hoc interitu nil vidit foedius unquam,
 Quem passa est longis urbs Solymaea malis.
Quot matrum lacrymas tunc angulus omnis habebat
 Quotque viri ferro, quot periére fame!
Quos odit natura cibos, quos ora repellunt,
 Hausit eos avidis dentibus atra fames.
Inde luis miseri contagia foeda trahebant,
 Commune in tota saeviit urbe malum.
Crudeles in se ferrum strinxére catervae,
 Admoto jacuit plurimus ense suo.

Thema 44.

Christianum in vulgus lasciva saeviit ira
 Triste *Nero* secli dedecus ille sui.
Impius hic flammas, quis crederet? intulit urbi
 Ut pulchram scenam tristia damna darent.
Audiit interea plebem jactare querelas
 Et timuit, rabies quae dare tela solet.
Mox in christicolas torsit sua crimina puros
 Hac aedes clamans interiisse manu.
Jamque ministravit furor impius arma cruenta,
 Tota manabat plurimus urbe cruor.
Quo fugerent miseri? fugientes corripit ira
 Et trahit ad poenas ingeniosa novas.
Turpem forte canes ursum lacerare putabant;
 Christicolam pellis texerat illa probum.
In cruce pendebant alieno crimine sontes,
 Ardebat picea pro face noctis homo.

Thema 45.

Romanos animos non causa armaverat una
 In Christi sanctos innocuosque greges.
Publica tractari sacra lex nocturna vetabat;
 Vespera christicolas vidit adesse sacris.
Omnibus in fanis stabant simulacra Deorum;
 Christicolae nulli thura tulere Deo.
Romanos sacrae fallebat opinio coenae,
 Quamque ignorabant, res sacra crimen erat.
Publicus hinc clamor: christiani, credite, saevi
 Humana ventrem pascere carne solent.
Si tamen innocuos plebs illos vivere vidit;
 At sperni vidit fana Deosque suos.
Quique Deos patriae nolint, qui thura recusent,
 His sperni leges, his nova jura peti.
Ira sacerdotum, qua vix crudelior ulla,
 Accendit mentes ignibus usque novis.

Thema 46.

Triste malum terris, rudis ignorantia rerum,
 Quae domina in coeco pectore dura sedes,
Terra diu sensit torpens tua ferrea regna
 Et tam multus homo plumbea corda gerens.

Non illae luci tenui cessére tenebrae
Pectora quam radio docta dedére levi.
In rebus summis miseri rude pectus habebant:
Quid mens, quidve Deus? dicere nemo potens;
An maneat nobis animus post fata superstes?
Ultrix an scelerum sit metuenda dies?
Ergo vertit in omne nefas scelerata libido,
Tuta metu, sceleris vindice tuta sui.
Jamque genae nulla culpa erubuere procaces;
Ex templis etiam jussus abire pudor.
Nullus deinde timor, sanctas subvertere leges,
Quaerere divitias fenoris arte mala.

Thema 47.

Caeca sibi finxit plebs omnia plena Deorum
Deque sacris rebus credula turba fuit.
Sed parcus Superûm cultor vel denique demens
Contemtor Superûm tunc Epicurus erat.
Nec quovis poterant tenebris emergere nisu
Et verae tandem quaerere lucis iter.
Tum vero rupit densas lux vera tenebras
Et miseram coelo reddita visit humum.
Longos errores hominum depellere missa
Atque Deûm coeco solvere corda metu.
At prius ipsa Dei sapientis cura benigna
Luminibus facilem fecit habere viam.
Viderat errorem jam tum pars plurima coecum,
Stulte marmoreis se dare thura Diis.

Thema 48.

Ille liber, reddens terris oracula Diva,
Nunc etiam Grajo coeperat ore loqui.
Hoc, *Ptolomaee*, tuum, rex, terrae munus habebant,
Vidisti tantum, Nile, parare bonum,
Pertulit in terras Grajorum lingua remotas,
Noti per Christum dogmata sacra Dei.
Sic fons ille sacer totum manavit in orbem,
Vir quoque Judaei nominis inde bibit.
Nempe labor nullus, tantum sibi quaerere munus,
Si quem tangebat tam bona cura virum.
Ergo mox Graeco Christus regnavit in orbe,
Mox sparsit gratam nuntia laeta fidem:
Pone metum, mortale genus! nam victima Christus
Restituit laesi foedera prisca Dei.

Thema 52.

Nosse scholae socios virtus est magna docentum
Ingenii et varios cernere posse modos;
Dicere, quem potius dederit natura tenorem
Et clam quos ignes fertile pectus alat.
Sic proprias vires intendet cura magistri
Ostendetque viam, qua Deus ire jubet
Hunc juvat, annales veterum perdiscere rerum,
Musa alios pueros in sua sacra vocat.
Hic melius discet populo praescribere jura,
Hunc vis ingenii mittet in arva minor.
Ingenii certe vires discernere, multum est;
Istaque non facilis cura parentts erit.

Thema 53.

Qui fortis steterat quaevis ad praelia vitae,
Hunc quoque mors fortem sentiet esse virum.
Haec sunt virtutis certissima pignora firmae,
Mortis praesentis spernere posse minas.
Qui cadit in bello, medios qui currit in hostes
Hujus virtuti non trepidare vacat.
Si mors lenta parat dulci sua retia vitae
Atque diu praedam praeparat illa suam.
Fortia qui Christi tunc induit arma, pavoris
Nil in corde gerens, vir mihi fortis erit.
Hunc mihi relligio clypeum das sola potentem,
Hunc obdam telis, mors inimica, tuis.

Thema 58.

Ingentes animos qui magno in pectore versant,
Quod vulgo vile est, hoc decus esse putant.
Ille *Petrus*, Magni merito cognomine clarus,
Diverso gentes visit in orbe novas.
Artis cura virum peregrinas egit in urbes,
Mirata est juvenem regia multa domus.
At non ille urbes frustra lustravit et aulas;
Immenso volvit pectore majus opus.
Quas Europa sinu foecundo nutriat artes
Has animo magno noscere, cura fuit.
Sic, ait, arte bona mores lenire ferinos
Et regno tenebras pellere posse datur.
Ergo majestas voluit latitare sub umbra
Et duros inter caedere ligna fabros.

Thema 60.

Utilis est veterum sapientia docta virorum;
Nam suadet modice tempora dura pati.
Sed majora tamen rebus solatia duris
Ingerit in mentes littera sacra pias.
Hic liber abstergit lacrymas ex ore dolentum,
Hic placida vitae dat quoque pace frui.
Quis, divine liber, meritis te laudibus effert?
Tu requies curae, tu medicina mali.
Omnia si pereant, non sentiet ille pavorem
Adsueta voces qui bibit aure tuas.
Dat tua scena viros divino robore fultos
Omnem fortunam qui potuere pati.
Illi conciliant divinis pondera dictis-
Ut nunc illa ratam sint habitura fidem.
Quid mihi vobiscum, solatia docta librorum
Quorum vim magnam pars modo parva capit?
Ille liber vero mentes solamine mulcet,
Ad casus omnes ille dat arma liber.

Thema 61.

Multa dies aperit nobis quoque suave theatrum,
Spectatum ludos femina virque venit.
Hoc licet interdum pueris tenerisque puellis,
Dummodo ducat eos cum patre casta parens.
Sic minus innocuos animos contagia laedent.
Et poterit salvus saepe redire pudor.
Sed, dulces pueri, nostra quoque luditur aula,
Scena illic major splendidiorque viget.
Ante oculos vestros praesens stat imago virorum
Et, quorum voces audiat, auris habet.
Si libet, in scenâ stabunt pulchréque loquentur
Ingeniique sui pignora certa dabunt.
Hanc scenam mecum, si fas orare, libenter
Optime vise puer, si tibi cura tui est.

Thema 62.

Quid juvat egregias scitè dignoscere formas
Et, quid sit pulchrum, dicere posse statim?
Si castum pectus laedas sanctumque pudorem
Et tuus hinc oculus tecta venena bibat.

Hoc procul aspectu pueri procul este profano,
 Qui possit mores commaculare bonos.
Inde referte pedem, tristis latet anguis in herba,
 Aeterna hic diro vulnera dente dabit.
Ut placeat multis Pario de marmore forma
 Grataque sit multo judice nuda *Venus*;
Terga dabit juvenis, qui vult servare pudorem
 Atque oculos malet non habuisse suos.
Nil foedum visu casta ponatur in urbe,
 Cui pia servandae est cura pudicitiae.
Nam facile teneras vitiant contagia mentes,
 Cum jam virgineo fugit ab ore pudor.

Thema 63.

Matronae dictum sapientis spernere noli;
 Utile consilium femina saepe dedit.
Nempe sciunt aditus faciles ad corda virorum,
 Quodque jubent, tacita voce rogare putes.
Sed tamen ingenii praestat contendere nervos
 Dum florens aetas hoc meliorque sinit.
Ne tibi suffundat sapiens matrona ruborem,
 Et det virginibus mens tua stulta jocum.
Digna viro res est, quamvis superare puellam
 Ingenio, et docti nomen habere viri.

Thema 64.

Vipera saepe latet pulchris sub floribus herbae,
 Si florem carpas, vulnerat illa manum.
Non aliter frons est multorum grata librorum,
 Sed pestes animis insidiasque parant.
Moribus ista bonis damnosa est gratia dicti
 Et pudor ex tuto pectore pulsus abit.
A rebus foedis teneros avertite vultus,
 Virtutis custos nam fugit ipse pudor.
En tibi docta dedit tam multos cura libellos
 Qui prosunt animis ingeniumque juvant.
Hos evolve, puer, si verae est cura salutis,
 Hi tibi vivendi tempora laeta dabunt.

Thema 65.

Mortem pro patria testatur Wimpfia claram;
 Hic posses cives Sparta videre tuos.

Ducit ad infensos Hispanos Marchio Badae
Fidam Suevorum fidior ipse manum.
Inter utrosque volat dubiis victoria pennis,
Dat finem pugnae causa sinistra malum.
Flamma subit pyrio cumulatos pulvere currus
Et subito stantes sparsa fragore fugat.
Praecipitique fuga miles se proripit ultro
Nudatumque latus dux bonus ille videt.
In medios enses saevum rapit ira Leonem,
Ars tamen atque manus denique fessa cadit.
Jam cedit pugna lentus mucrone cruento
Nam cedit populi victus amore boni.
Pforzhemi at cives, aeterno nomine digni,
Opponunt caro corpora fida Duci.
Illos Spartanos fortis Deimlinge regebas,
Te duce tot mortis non timuére gradus.
Stant contra innumeros, ut murus aheneus, hostes,
Ut Princeps tuta possit abire fuga.
Non illos mortis terret praesentis imago,
Devota est letho jam pia turba pari.
Bis dux hostilis: veniam dabo, cedite, dixit;
Bis clamant: victi nolumus esse tui.
Quisque animam patriae devotam linquere gaudet
Pro patria vitam ponere, dulce putant.

Thema 66.

Nunquam sol vidit meliori sanguine pugnam;
Pforzhemi ut cives, non cecidere viri.
Non ut desertos furor illos caecus agebat
Non gemitum, victus quem solet, ore dabant.
Non ibi plangebant moribunda voce jacentes;
Fortibus hic cernas omnia digna viris.
Natus humi stratum sicco videt ore parentem,
Non moeret fratris funere frater amans.
Haustum morte pia non plorat amicus amicum;
Quisque Duci et Patriae victima pulchra cadit.

Thema 69.

Permisit lex graeca recens exponere natos
Et dare, quos nollet tollere quisque, neci.
Fecerunt homines, quod vel lupa saeva recuset
Et mater potuit durior esse lupo.

Aut cibus esse feris projectus debuit infans
Aut longae misera morte perire famis.
His fuit utilius, dulcem non visere lucem
Et ne sint odio patribus, ante mori,
Gratia, Christe, tibi! tua lex morem expulit istum
Implevitque sacra relligione patres.

Thema 71.

Culpa quidem gravis est, verum non ore fateri
Ignavoque animum dissimulare metu.
Fas homini potius, vel vitam impendere vero,
Si Phalaris taurum comparet ille suum.
Sed frenare jubent et res et tempora linguam
Et juvat in certo desipuisse loco.
Tunc inhibe linguam, si non tacuisse nocebit,
Et, quae dissimulas si leve pondus habent.
Stulte, quid incautus respondes dura tyrannis?
An nescis, longas regibus esse manus?

Thema 72.

Fingebat pubem Romano sanguine claram
Ingens, quam nequeas carpere, cura patrum.
In ludum missus primum puer ire solebat,
Artis ut imbiberet semina prima bonae.
Jamque satis tenero libatis fontibus ore
Servabat puerum liminis umbra sui.
Deinde virum doctum propria pater aede fovebat,
Qui puero studii duxque comesque foret.
Sed primus patris ille labor, dare posse magistrum
Cui sedeat sanctus semper in ore pudor.
Mox artes pacis natum pater ipse docebat
Quod poterat tanta nemo docere fide.

Thema 73.

Quae nostro ex animo venit ingenioque voluptas
Effugit admotam vix bene prensa manum.
Ac veluti somni gratissima cedit imago
Cum jam somnus abit: sic fugit illa cito.
Quaere voluptatem, quae manat fonte perenni
Quae vena nunquam deficiente fluit.

Haec est ingenii, quod mentis robora sumsit,
Haec est sinceri pectoris atque pii.
Hanc pulchri reddunt mundi spectacula mira,
Hic oculis cupidis area lata patet.
Adspice sublimi labentia sidera coelo,
Adspice velatam tegmine floris humum.
Audi conceptus volucrum, quibus aëra mulcent,
Oblatas oculis prospice mille vias.
Tot tibi quaerenti sunt undique laeta parata;
Culpa tua est, animus si tibi torpet iners.
Forsitan hanc oculo speciem properante videbas
Aut turpe in stulto pectore frigus habes.
Scilicet haec ars est sanctae pulcherrima mentis
Quae Christum vera relligione colit,
Nil vetat hanc, facili sua gaudia carpere sumtu;
Nullum, quae carpit, gaudia crimen habent.

Thema 75.

Pulchris terra jubet pulchros succedere flores
Herbaeque in vacuum mox venit herba locum.
Non aliter veteri proli subit altera proles,
Quo Deus ipse jubet tempore quoque loco.
Dum nova laetatur suboles in limine vitae,
In cineres redeunt corpora multa suos.
Ad vitae scenam personas induit ille,
Partibus hic actis denique missus abit.
Nescio, fatali mea sors quando exeat urna;
O utinam scena laetus abire queam!
O utinam possim mecum portare placentis
Seu tulipae laudem, seu rosa pulchra tuam!
Nam qua laetitia quaque utilitate beabant
Illum, quo stabat consita quaeque, locum!
Sin mors atra rapit cultorem juris et aequi
Tum mea sollicito corda timore vacant.
Nempe locum vacuum ratio divina replebit,
Ut damna herbarum florida supplet humus.

Thema 76.

Qui felix vultis traducere leniter aevum,
Ex aequis apibus discite recta sequi.
En illae patriam communi lege tuentur,
Communis curam prosperitatis habent.

Quo natura loco, qua te statione locavit,
Da vires cunctis da patriaeque tuas.
Hoc pietas, hoc ipsa salus, hoc denique factum,
Quo junctus vivis, jus sociale jubet.
Illis una quies operum, labor omnibus unus,
Et se, cum poscit resque locusque, levant.
In partes operis sic tu succede libenter,
Si fas est, socio subjice colla jugo.
In damno ne pone tuo, si ferre jubebit
Te pietas humeris vel graviora tuis.
Sed decus esse puta, plures intendere nervos,
Officio socios vincere posse pio.
Sordida ne lucri subigat tua corda cupido;
Mentibus angustis est ea cura prior.
Turpe est, per luctus alienos quaerere nummos,
Turpe est, ex patriae se saturare bonis.

Thema 78.

Inspice defixos avium super arbore nidos;
Nam contemplatu est res ea digna tuo.
Quis non tectorum justam mirabitur artem?
Illud opus rostri est et labor ille pedum.
Quam variis rebus parvas conglutinat aedes,
Quoque avis ingenio sedula nectit opus!
Construit ecce domos hominum solertia pulchras;
Sed docto hanc artem pectore promit homo.
Jnvenit ille sibi sua ferramenta parata,
Sylvaque materiam, mons sua saxa dabit.
Non ita sunt positae volucres; his omnia desunt,
Adportant ad opus rostra pedesque suos.
Quis tamen in nidis miram desiderat artem,
Aedes non structas pro ratione videt?

Thema 79.

Quocunque adspicio, nihil est nisi grata voluptas,
Quam mihi nunc coelum, nunc bona terra creat.
Hinc oculis res pulchra meis placet, auribus illinc,
Hinc grata ingenio pabula monstrat humus.
Quicquid habet rerum cultu pulcherrimus orbis
Dat varios rerum laetitiaeque modos.
Orba voluptatum fructu pars nulla diei,
Ingenium pascit quaelibet hora meum.

Dum sol diversum sua lumina mittit in orbem
Cerno tot plantas et pecus omne libens.
Cum jam nox terras fuscis complectitur alis,
Spectantes oculi sidera clara stupent.

Thema 80.

Mortales acuunt in mutua vulnera ferrum
Turbaque sunt damnis ingeniosa suis.
Qui jactat pecudes humana stirpe minores,
Has infra vitio pectoris ille cadit.
Qui mentem clamat rationis lumine duci,
Huic lumen demens eripit omne furor.
Arte prius placida tauri sedabitur aestus
Quam victas hominis det gravis ira manus.
Nil adeo sanctum, quod non homo negligat ultor,
Illum nil satiat, non habet ira modum.
Cum ruit in caedem, cor lento frigore torpet,
Alter in alterius sustinet ire necem.

Thema 83.

Interdum puer in turpi qui vagiit antro
Divini ingenii semina corde tulit.
Ex lacero panno virtus sua lumina misit,
Ingeniique ducem quaesiit ipsa bonum.
Nacta ducem, subito vires adolevit in omnes
Proque suis meritis sedit in arce senex.
Scilicet invicto via nulla negata labori,
Certaque continuus praemia sudor habet.
Evehit ad magnos foecundum pectus honores,
Sic virtus plebem nobilitare potest.

Thema 85.

Huc pia turba veni, lacrymis conspergite bustum
Quod terris rapti nunc tegit ossa viri.
Vos, quorum membris Ars intulit illa vigorem,
Vos, quibus incertae causa salutis erat.
Quos per Eum, vivos jam non habet Orcus avarus —
Manibus His lacrymas fundite corde pio.
Nam quoties praesens terrebat mortis imago,
At quoties diras reppulit Ille minas!
Qui modo languebat praesentis praeda sepulchri
Mox celeri ad vivos prodiit ille gradu.

Ferte pias lacrymas; non jam solabitur Ille
 Aegrotas mentes aegraque membra simul.
Ad gemitus vestros non jam solatia portat
 Quos vita aeternis torquet amara malis,
Discite tam magno tormentum ferre Magistro
 Et mortis demto spernere tela metu.

Thema 88.

Dum solio residet *Catharinae* filius alto
 Moscoviae arrident secla beata rudi.
Coelitus esse datum credas pro munere magno
 Quem liquet in magno pectore ferre Deum,
Regia res illi, rebus succurrere lapsis
 Et populos dura mole levare suos.
Ut timidae voces veniant ad Principis aurem
 Nulli difficilem repperit ipse viam.
Cista jacet clemens votis, adeunda querelae
 Ad portas aulae *Caesareae*que domus.
Huc licet absque metu chartas inferre rogantum
 Has dabit in patriam filius ipse manum.
Felicem populum, cui sic patet ara precanti
 Et via per vestros turba ministra dolos!

Thema 89.

Hoc utinam vellent omnes audire tyranni,
 Qui populum nulla parte levare volunt.
Aes ultra partum quod sedula cura reponit
 Hoc duri pretium dulce laboris erit.
Non illud rapiat manibus dominator avaris;
 Non illam messem falx aliena metat.
Sic stimulis acuet tardas imitatio mentes,
 Inde labor fervens et novus ardor erit.
Sic bene cultus ager reddet cum fenore fructum
 Artis et incultum sic polietur opus.
Sic flos Moscoviis exsurget laetior oris
 Optatos populus sic videt ire dies.

Thema 92.

Salve, laeta dies. studium quae dulce reportas
 Et teneram revocas ad sua pensa manum.
Ah, quoties illam votis adduximus horam
 Rursus dilecta quae daret arte frui!

Optatae salvete scholae, salvete libelli,
Quam juvat in vestris posse sedere bonis!
Sat somno ludoque datum; nunc otia sordent,
Adsuetumque animus denique poscit opus.
Ad vos cura redit; nam vos bene fallitis horas
Et facitis, longum ne male tempus eat.

Thema 93.

Ergo sopor lethi non exorabilis urget,
Conspicuum factis ingenioque virum?
Cui quando inveniet seclum virtutibus orbum
Vel cura officii vel probitate parem?
Ostensum terris lumen, dum fulmina mittit
Per patriae tenebras, nox inopina premit.
Sidere tam certo navem non error agebat
Sed poterat cursum certa tenere bonum.
Nunc subito casu mediis in fluctibus haeret;
Ista nam clavus desiit arte regi.
Invidit patriae decus hoc fortuna maligna
Abdidit et coelo quod breve sidus erat.
Sed mala nil fortuna facis; lucramur ademtum,
Hoc astrum ardemus gnava juventa sequi.

Thema 101.

Fronte dabit sortem, si poscas, debitor aequa:
Naturae hanc animam sic ego reddo libens.
Illa suum munus veteri nunc jure reposcit;
Ergo, quod dederas, optima mater, habe.
Pars hominis melior si turpia vincula rumpit
Corporis, id magnum munus habere decet.
Securus morior: non vitae poenitet actae
Non angit pectus sordida culpa meum.
Quod me sicarum non fraus occulta peremit
Quod non in caput hoc stricta securis erat;
Quod reddo hanc animam, non lentis febribus haustam,
Hoc, Deus, hoc fateor munus habere tuum.

Thema 103.

Si vultis reges cumulatos aeris acervos
Tutaque regalis limina stare domus;
Raram vos docuit sapiens *Constantius* artem
Quae reddet fidei pignora certa bonae.

Si populus vobis animis linguisque favebit,
 Tum dabit argenti quaelibet hora satis.
In populi vobis aurum bene conditur arca,
 Si libet, hinc vobis omnia reddet amor.
Credite, cum populo princeps est divite dives,
 Idem cum populo paupere pauper erit.
Sed pellit monitus à principis aure satelles
 Veraque non illuc dicta meare sinit.

Thema 104.

Hoc precor, hoc moneo, pueri teneraeque puellae,
 Volvite divinum nocte dieque librum.
Haec est aetatis vestrae sapientia prima
 Quae larga ex illo fonte bibenda fluit.
Si dulcedo semel tenero est gustata palato,
 Fiet melle brevi dulcior ille liquor.
Fida manus dabitur, quae vivas ducat ad undas,
 Hortatrix studii consiliumque pii.
Haec datur una pie ducendae semita vitae,
 Una datur vitiis haec medicina malis.
Vestra manus properat ruris decerpere flores;
 Flores aeternos porrigit ille liber.
Inde juvat pulchram capiti nexisse coronam,
 Qua tibi coelestes detur inire choros.

Thema 105.

Ille pius princeps et tanto nomine dignus
 Qui res in merito ponit honore sacras.
Qui non ad poenas, non est ad praemia tardus,
 Qui facili cives excipit ore bonos.
Sarcina cui non est populi custodia fidi
 Nec venit ad partes languida cura suas.
Exibunt nullo tristes ex ore querelae,
 Sed vehitur populi laeta per ora pii.
Ut domus una patrem, populus sic respicit illum
 Proque sua regnum respicit ille domo.
Nunquam summovit durus bona vota satelles,
 Sed faciles aditus principis auris habet.

Thema 106.

Ingenuas lacrymas damnasti, dure satelles,
 Nempe tuo ferri semina corde geris.

Turpe putas puero, lacrymis decorare magistrum
 Quae meriti gratum pignus amoris erant.
At nunquam magis ora pio maduere dolore
 Et nunquam pietas justior ulla fuit.
O pulchras lacrymas, quae manant regis ab ore!
 Carum flere caput purpura nulla vetat.
Quis furor est, mollem naturae obtundere vocem
 Et lacrymas regum velle tenere pias!

Thema 114.

Occidit heu! lumen nostri tam dulce Lycaei,
 Heu! modo stella nitens occidit ante diem.
Ex nitidis radiis omnes fulsére columnae
 Hujus, quae pueros excolit arte, domus.
Ictu nunc nimium duro quassata tremiscit
 Atque locum Musis sentit hiare sacrum.
Indue lugubrem vestem crinesque resolve
 Quisquis Eum nôras artis alumne bonae.
Quisquis Eum viridi coluisti gratus in aevo
 Quo scis ingenio qua bonitate virum.
Felices illos, capiti qui nectere sertum,
 Ex illo poterant fertilis artis agro!
Sed, quibus invidit fructum fortuna maligna,
 Vos non speratam quisque dolete vicem.

Thema 116.

Non est conveniens homini sed dura voluptas
 Securas avium diripuisse domos.
Parce puer melior, doctrinae mitis alumne,
 E cunis teneras ferre cruentus aves.
Audin', quos gemitus fundant ex gutture matres?
 An trepidas alas post tua terga vides?
Redde piis precibus nidum, nam praeda cruenta est,
 Inque feras etiam mite cor esse proba.
Ista decet feritas puerorum ignobile vulgus,
 Qui silices circum pectora dura gerunt.
Hos juvat, innocuos silvarum perdere cives
 Et turbasse avida molle cubile manu.
Non movet hos matrum luctus comitansque querela
 Insultat querulis impia lingua sonis.
Ite piae matres vacuosque revisite nidos;
 Vestras delicias barbarus hostis habet.

Thema 124.

O nimium sapiens! naturam disce vereri
Hisque nihil melius legibus esse puta.
Ingenium miscere tuum istis legibus aude;
Ingenio cernes omnia versa tuo.
Quam Deus instituit sapiens, haec optima lex est,
Quem dedit is, mundi est optimus ille tenor.
Fac bellum picis, fac ut genus exsulet omne;
Mox irae poenas stulte colone dabis.
Corrodet teneras eruca nocentior herbas,
Infestus segeti tum scarabaeus erit.

Thema 127.

Dico virum magnum positis pro nomine signis,
Quod cogi in numeros syllaba multa vetat.
Strenuus hic olim, vires minuente senecta,
Pertaesa ponit regia sceptra manu.
Cum partes oculis jam non circumspicit omnes,
Non vult imperii vivere pondus iners.
Spernit jus Domini, regales spernit honores,
Totque manus fisco ferre tributa suo.
Mira quidem res est et vix credenda tyranno,
Qui tantis nollet cedere sponte bonis.
Sed redit ad dulces Princeps bonus ille Salonas;
Novit enim parvae plurima laeta domus.
Regalesque manus, quae tam bene sceptra gerebant,
Nunc oleri portant, quis mihi credat, aquam.

Thema 147.

Vir fuit immanis, *Busiride* saevior ipso,
(Ponere pro vero nomine signa libet.)
Cui nimium subita parebat caede securis,
Dum vixit terror, Gallica terra, tuus.
Heu mihi, cervices avidis quot faucibus hausit
Innocuas duri carnificina viri!
Tum via moerebat civili adspersa cruore
Et tota trepidans ibat in urbe pavor.
Fulgebat virtus mediis ut Lucifer astris,
Sed fulsisse novo lumine, crimen erat.
Rara fides culpae tum vincula dura trahebat,
Carnifici pietas tum dabat ipsa caput.
Nec lacrymae populi redimebant morte cruenta,
At poterant testes funeris esse sacri.

Thema 148.

Saepe animum pueri violentior impetus aufert
Contra quem vano pugnat amore parens.
Naturae arbitrium est ratione valentius omni,
Haec frustra adversis brachia jactat aquis.
Si quis ad arma puer viridi tendebat ab aevo,
Aspera naturae vox monet, ista sequi.
Desine, moeste parens, tum coelum implere querela;
Ire sines potius quo sua fata trahunt.

Thema 149.

Pro certa patri sua stat ratione voluntas;
Pro lege hanc natus debet habere sacra.
Devovet illa patri pietas vel pectoris ignes
Et nihil arbitrii judicat esse sui.
Si quem naturae violentior impetus aufert,
Filius hunc meriti frenat amore patris.
Frustra flamma potens in tali pectore fervet,
Subjicit officio filius omne sacro.
Ite, pii juvenes, exemplo id discite magno;
Hujus *Moravius* dux pietatis erit.

Thema 150.

Advolat ex castris miles lacrymisque parentat
Et madido cari Manibus ore patris.
Nec lacrymasse satis; servat mandata paterna
Quae scripsit testans deficiente manu.
In cineres caros pietas non desinit illa
Sed rara praestat relligione fidem.

Thema 151.

Ex longo cedit victrix certamine virtus
Laetaque pugnanti denique palma datur.
Omnia tela Patres hominem jaculantur in unum;
Sed ridet minitans omnia tela *Cato*.
Non ille ad turpes decurrit sordidus artes,
Non captat blandi pectora voce soni.
Ille forum totum praesens virtutibus implet
Et forti justas jactitat ore minas:
„Non placeo vobis Censor cum fronte severa;
Improbus hinc vester tot movet arma furor.

„Sed non fomentis sanantur vulnera Romae,
Hic opus est medico, qui secat ense malum.
„Vestra mihi et *Flacco* suffragia postulo, cives,
Moribus una malis nos medicina sumus."
Sic ait: insignesque viros vox postulat una,
Nominibus tantis personat omne forum.

Thema 154.

Turpe viro, sua quem fecit persona verendum,
Scortorum illecebris blanditiisque capi.
Sirenum voces blandas contemsit *Ulysses*,
Et *Scipio* in pulchra virgine lentus erat.
Talem sensisses si *Flaminine* pudorem
Non turpem traheret foeda libido notam.
Nil in te poterat duri Censura *Catonis*:
Servasset nomen Curia sancta tuum.

Thema 155.

Fluctibus insultat rupes immota marinis,
Hanc movet antiquo nulla procella loco.
Praecipitem Boream non curat quercus et Austrum
Nam per radices firma stat illa suas.
Non aliter nullis est expugnabile telis
Pectus constantis magnanimique viri.
Clamabat Romae frenis offensa libido
Adversus mores aspera verba novos.
At duras Censor dabat his clamoribus aures;
Immotus stabat propositique tenax.

Thema 156. 157. 159.

Non fovet in dulci gremio manibusve reponit
Inda parens casti pignora cara tori.
Gramen molle premunt infantum mollia membra,
Aut duro videas illa jacere solo.
Non illic tenerum constringit fascia corpus,
Non parvas cohibent vincula stulta manus.
Hinc nullus labor est pueris, acquirere robur,
Et vires acuunt libera membra suas.
Turgescunt validis nervis firmi inde lacerti
Ossaque maturo robore fulta vigent.
Incedunt juvenes procero corpore pulchri
Et membra innumeris flexibus apta gerunt.

* * *

India non docte pueriles erudit annos,
Non aperit magnis sumtibus illa scholas.
Turba tenella gerens vestem, quae vix tegat ossa,
Cogitur et laetos arboris umbra capit.
Cocus ibi viridis late sua brachia pandit,
Discentum series gnava recumbit humi.
Illic litterulas fulva describit arena,
Format eas digito parvula dextra suo.
Laeva notas veteres in sicco pulvere delet
Ut pateat signis area plana novis.
Adversa spectat scribentes fronte magister
Mutandi mendas praecipit ille modum.
Indocilis dextrae primis conatibus adstat
Ad promtos digitos adsidet absque mora.
Seu cervi pellis seu tigridis accipit illum,
Seu stratum viridi textile fronde premit.

* * *

Aetatem teneram bonus imbuit accola Gangis
Praesentis casta relligione Dei,
Illi vana colunt, fateor, simulacra Priapi:
Sed tamen est illis cura, timere Deum.
In teneras vult ipse pater descendere mentes
Impressumque sacri Numinis esse metum.
Acclamant: Deus est rerum tutela tuarum,
Si quid habes, almi munus id omne Dei est.
Cura piis animis Numen coeleste verendi
Ad mores magnum, credite, pondus habet.
Si tamen hoc dubitas aut hoc tibi discere cura est,
Quid pietas habeat ponderis Inda, vide.
Illic nempe Deo vix abnuet unus honorem
Et spernent cultum vix duo tresve sacrum.

Thema 160.

Tres veniunt Romam, sapientum nomine clari,
Ablegarat eos Attica docta viros.
Ipsa videbatur sapientia visere Romam,
Sic juvenum allexit gloria rara globos.
Melliferas ut apes invitat gratia floris
Et circum succos sedula turba volat:
Non aliter lateri docto Romana juventus
Haesit, Graecorum tam nova dicta stupens.
Quam cupida doctos sermones aure bibebant!
Ut longam credas exsatiare sitim.

At gravis angebat tristem nunc cura *Catonem*
Ingenii Graji subdola verba timens.
Tam dulces linguas ut mox prohiberet ab urbe,
Haec fuit austeri proxima cura viri
Nam metuo, dixit, ne Grajo capta juventus
Ingenio nolit vivere more patrum.

Thema 168.

Poenus Apenninum foedas superavit ut Alpes,
Sed multus sensit dura pericla labor.
Ventus ibi densos imbres spargebat in ora
Et nihil auxilii militis arma dabant.
Fallebatque labor, si contra tendere vellent,
Sternebat vortex corpora versa solo.
Jamque animae pressum vento claudente meatum,
Ut caperent animam terga dedere viri.
Tum vero ingenti strepuit cum murmure coelum
Nubibus hinc atris, ignibus inde minax.
Horrendosque inter flammae micuere fragores
Torpebant aures hoc oculique metu.

Thema 170.

Ebrius ecce jacet torpens et sensibus orbus
Largaque ludibrio vina dedere virum.
Si libet, imbellis dabit hunc in vincula virgo,
Nam membra in vinclis crapula turpis habet.
Quolibet hunc vino portabunt plaustra madentem;
Vivit, et est vitae nescius ipse suae.
Si cui vincla paras, incauto pocula pone
Inque tua imprudens mox erit ille manu:
Ebrietas poterit, quod non armata caterva;
Sic quiddam scelus hoc utilitatis habet.
Si tamen ad pecudes vitium nos dejicit illud,
Insidias sapiens horreo, *Bacche*, tuas.

Thema 171.

Omnes si numeras animantes ordine longo,
Ultimus in serie denique stabit homo.
En dominum terrae, tanta virtute potentem,
Ut vincat reliquum nobilitate genus.
Corpus habet brutae pecudi confine, fatemur;
Sed magni tamen est hospitis illa domus.

Hospitis est animi sedes, quanta arte parata!
 Cui summi fixa est ultima meta boni.
Mentis amoena domus, quae, vasto quicquid in orbe est,
 Humano totum subjicit ingenio.
Deme hominem terris, series mox rumpitur omnis,
 Natura et numerum non habet ipsa suum.
Nos mortale genus virtus facit una beatos;
 Huic tamen absque Deo quis locus esse potest?
Elicit hic omnis latitantia semina recti
 Monstrans, quo jubeat valle meare pedem.
Admovet hic stimulos, si pes piger ire recusat,
 Hic iter, ostendens praemia pulchra, levat.

Thema 172.

Roma famem sensit, nulli tolerabile ventri
 Quodque feros animos plus domat ense malum?
Seu sperata seges vanis elusit aristis,
 Aëris et vitio languit herba soli.
Seu tum ruricolae pigrum cessavit aratrum
 Et rastrum fugit desidiosa manus.
Nempe magis gratum plebi, quam gaudia ruris,
 Urbis adire forum deliciisque frui.
Jamque ibat misera multus legatus ab urbe
 In loca longinqui finitimique soli.
Aut illos properante rota via longa videbat,
 Aut ventis tumidum per mare vela dabant.
Auxilii missos omnes spes grata fefellit;
 Quod ferrent trepidis civibus, angor erat.

Thema 173.

Anglum quod puerum, pueros id non decet omnes;
 Servat enim mores Anglia clara suos.
Hic datur ingeniis miranda licentia laetis,
 Lascivisque animis luxuriare licet.
Utque bono curae est olitori planta tenella,
 Ne possit nudam laedere tristis hiems:
Sic ibi cura patris pueri frenare vigorem
 Et dura officii lege tenere fugit.
Libertas venit inde viris, obnoxia nulli,
 Hinc non servilis lingua superba soni.
Foxius exemplo est, qui raro lumine mentis
 Fortiter Anglorum garrula bella gerit.
Hanc pater ingenii spem cauto more fovebat,
 Ne male foecundae vena periret aquae.

Thema 174.

Vivae materiam non est opus addere flammae;
Divitiis nimium pascitur illa suis.
Non aliter pueri ferventior aestuat aetas;
His nullos ignes ignibus adde, precor.
Semina nequitiae si non sub corde latebant,
Inferet ingenio mox leviore pater.
Hollando natum cur jam tenet alea blanda,
Ut noctem ploret crastina saepe dies?
Nempe pater lusu suadebat perdere noctes;
Bis septem messes viderat ille puer.
Argentum est illi, fateor, jam vilius alga,
Turpis abest auri, non satianda, fames.
Sed quoties auri fortis contemtor egeret,
Si non auxilium ferret amica manus?

Thema 175.

Quos dare successus melior fortuna spopondit,
His non expletur cordis avara fames.
Ad summum tendit furiosa libido cacumen
Et semper nitens altius ire cupit.
O miserum pectus, titulos quod captat inanes!
Triste malum praeceps in sua damna ruit.
Principio fasces agitabat mente superba
Maelius ille emto plebis amore potens.
Mox non digna satis lictorum turba placebat;
Haec illi merces ambitione minor.
Sceptra tenere manu solioque sedere corusco,
Haec vidit nisu praemia digna suo.

Thema 176.

Infelix *Maeli*! jam te spes impia fallet,
Jam nihil auxilii condita tela dabunt.
En, Dictator adest, nimium metuenda potestas
*Servilius*que pari mente Magister adest.
Quid trepidas, quid adire times ad triste tribunal?
Nempe paratum horres jam meminisse scelus.
At carum caput illa teget tam fida caterva?
Falleris; ingenium mobile vulgus habet.
Exclamas frustra: regi succurrite vestro,
Ne Patrum invidiae victima grata cadam.

Ultor adest spreti imperii, jugulare paratus
Et vana extinguit sanguine regna tuo.
O turbatores! vanae ne credite plebi!
Vos inter mediam deserit illa necem.

Thema 177.

Quos sibi legatos Christus de plebe creavit,
Quis tantae moli crederet esse pares?
At non infirmos humeros ea sarcina pressit,
Sarcina sexcentis vix subeunda viris.
In viridi solidae florebant corpore vires,
Fusus per venas sanguinis ardor erat.
Corporis inde vigor multos durabat in annos,
Ut Christi magnum surgere posset opus.
Corpora gestabant longo durata labore;
Has vires illis dura juventa dabat.
Adsuetis oculis fugiebant munera somni;
Imbrem doctus erat quisque nivemque pati.
Si non frangebant terrae pelagique labores
Corpora, tot vitae fluctibus acta suae.
Arcebant omnes robusto corpore morbos
Mutato quamvis aëre sive cibo.
Quid referam mores raro candore probatos
Intactum vitiis innocuumque gregem?
Non illi fraudem mendaci fronte tegebant.
Quis dictis certam nollet habere fidem?

Thema 178.

Quisquis amas Numen casta pietate vereri
Corque pia plenum relligione geris.
Laeta tibi referam sed vulgo mira profano:
Insidet in multo pectore cura Dei.
Non omnes terris gens impia sustulit aras
Statque Deo priscae relligionis honos.
Fortis *Nelsonus* Gallorum strage triumphans
Fessos caede viros ad pia sacra vocat.
Huc agite, o cives, in vota resolvite linguas
Et pia supremo carmina ferte Deo.
Dixit — et ex animis laus debita surgit ad astra
Stantque omnes pleni relligione viri.
Te, Deus omnipotens, animo celebramus et ore,
Auspiciis Galli vicimus arma tuis.

Haec animi grati praeconia spectat et audit
 Contemtrix magni Gallica turba Dei.
Attoniti feriunt hoc pectora carmine mota
 Ignotaque Dei relligione calent.
Exclamantque duces: qua vincitis arte, Britanni,
 Vidimus, et leges cur grave pondus habent.
Quid non audebunt plenae hac pietate cohortes,
 Imperioque viros quis meliore reget?
Quas habeat vires reverentia Numinis almi
 Vidimus; o animis, Gallia, redde Deum!

Thema 180.

Quam grata est oculis tranquillae pacis imago!
 O maneas patriae dulcis imago meae!
Tum bos tutus arat; non illum solvit aratro
 Armorum linquens rusticus arva metu.
Laeta quoque est urbis facies hoc munere pacis;
 Securas claudit janua nulla domos.
Ostentat merces oculo ingeniosa taberna
 Emtoresque suos adtrahit artis opus.
Exercetque manus doctas labor impiger omnes,
 Incudes fervent multiplicantque sonos.
Ludum diversis discentes vocibus implent
 Et pulchra sacer hic perstrepit arte locus.
Semita plena pedum, pueri teneraeque puellae
 Vadunt, qua ducit res sua quemque via.
Oraque laeta vides, et nullis pallida curis
 Et pacis loca sunt omnia plena bonae.

Thema 181.

Concordes animos scindit discordia tristis
 Iraque nunc stimulat, quos modo junxit amor.
O crudele malum, quot damni semina spargis!
 Semina, quae duram saepe tulére necem!
Quo ruitis cives, in quae certamina vestras
 Infelix armat nec brevis ira manus!
Hic in vestra furor, mihi credite, viscera saevit,
 Evertit vestras illa ruina domos.
Innumero saturant hostes de sanguine campum
 Multaque maternus funera deflet amor.
Per modo felices urbes incendia fumant
 Inque casis passim corpora nuda vides.

Dira famem sequitur clades; haec ultima poena,
 Haec est humani denique summa mali.
Quot miseros dat foeda neci contagio morbi
 Cui nullum ponit docta medela modum!
Haec mala sunt, fateor; sed habent ea denique finem,
 Istaque quod sanet vulnera, tempus erit.
At belli aeterni semen discordia gignit;
 Exitio populos haec dedit atque dabit.

Thema 182.

Quod mare, quod tellus foecunda, quod educat aër,
 Omne meum est; uni dat mihi cuncta Deus.
Me Philomela beat, viridi cum tecta sub umbra
 Artifici querulos fundit ab ore sonos.
Me spectare juvat vestitas gramine valles
 Prataque, quae vario picta colore nitent.
Me rosa delectat, rubeos induta colores,
 Ille meis gratus naribus exit odor.
Solus miror aves plumae discrimine grato,
 Solus in adspecto papilione moror.
Spes mea, dulce pirum, jucundaque mala palato;
 Spes mea, sub patulis quae latet uva comis.
Haec bona sunt, fateor; menti meliora supersunt
 Terrarum nullis aequiparanda bonis.
Me trahit aptarum series pulcerrima rerum,
 Me solum coeli congruus ordo movet.
At brutis animis non carpitur illa voluptas,
 Non ea sunt miserae dona parata ferae.

Thema 184.

Relligio melior primos servavit honores
 Immotasque aras gens pia stare videt.
Non aliter cedrus, quam Libanus educat altus,
 Tempus edax vincit, flore superba novo.
Dogma Deo natum, solamen dulce piorum,
 Vis potuit longa vincere nulla mora.
Non *Baal*, non ille *Moloch*, non *Juppiter* ipse
 Antiquo vivum movit honore Deum.
Dulcem doctrinam feriit gens impia terrae
 Ictibus assiduis, sed leve vulnus erat.
Non illam *Antiochi*, non vulgus turpe *Neronum*
 Suppliciis poterant sede fugare suis.

Non illi nocuit prodentum perfida lingua
Qui castra haec turpi deseruere fuga.
Tot scelerum servi scelerato hanc ore ferentes
Invictum castae non rapuere decus.
Quaeque terit ferrum, quae vincit saxa vetustas
Istam non potuit dente domare suo.
Omnia dogma sacrum poteras eludere tela,
Omnes, qui vellent te vitiare, dolos.

Thema 186.

Ambae stant acies: hinc Poenus et inde Quirites —
Pingue solum ut saturent sanguine quaeque suo.
De quanto pretio belli nunc alea ludet!
Victori merces Martia Roma cadit.
Ecce ingens imber fertur, mirabile dictu,
Admiscet foedas horrida grando minas.
Miles utrinque pavens trepidat formidine coeli
Et vix arma tenens in sua castra fugit.
Altera lux stantes hesterna sede cohortes
Adspicit et promtas in nova bella manus.
Ira eadem coeli pugnantum dirimit iras;
In sua quemque jubet castra referre pedem.
Mox ridet coelum vultu, modo triste, sereno
Auraque vix rapido turbine mota silet.

Thema 187.

Ira viros cogit paribus concurrere telis
Infestisque animis accelerare necem.
Stant gladiis strictis, sibi vulnera ferre parati
Et rabies toto spargit ab ore minas.
Hostili venae turgent in fronte capilli
Horrent, ex oculis ultio dira micat.
Non aliter tauri coëunt in proelia saeva
Truxque illis acuit cornua curva furor.
Sic pugnant Galli cristisque rubentibus instant
Seque petunt rostris, manat utrinque cruor.
Barbarus hic mos est, nutritus corde ferino;
Talis pugna hominum quid feritatis habet?
Quid facitis, stulti, cur cernitis ense querelas?
Sanguine non fas est quaerere jura suo.
Turpe viro forti famam defendere ferro
Turpe, sua ultrici plectere probra manu.
Nempe magistratus rixarum est arbiter aequus
Et jus sedandi bella tribunal habet.

Thema 188.

Adspicis, ut facile mortales aspera tangant
Impleat ut moestas multa querela domos.
Quot votis coelum lacrymosa voce fatigant
Quam multas luctus mittit ad astra preces!
Deme, Deus clemens, onus hoc cervicibus aegris!
Ah, rebus duris redde precamur opem!
Jamque Deus solem disjecta nube reducit,
Jam feriunt timidum fulmina nulla caput.
Nunc, credo, memores properabunt solvere vota;
Falleris; ingrato fallitur ore Deus.
Segnior est animus tangi melioribus horis;
Post sanata illum vulnera torpor habet.
Auxilium veniens exspectant pectore lento;
Cur veteris speras hos meminisse boni?

Thema 189.

Longum illud bellum, cui Suecia misit *Adolphum*,
Quam multas animas Teutonis hausit agri!
Pars animam dulcem ferro liquére peremti,
Oppressos alios flamma voravit edax!
Corpora mille fames, terrae poena ultima, stravit,
Foeda alios miserae damna dedere neci.
Quae modo floruerant porrecto limite terrae,
Harum nunc late vasta jacebat humus.
Non ibi cernere erat sata laeta boumque labores,
Non ibi versarant ferrea rastra solum.
Non hic in villam rediere ex urbe coloni;
Usserat innocuas hostica flamma casas.
Oppida si passim stabant intacta furore;
At, quem spectares, incola rarus erat.

Thema 190.

Triste malum populis saevi contagio morbi
Gignere quem belli semina foéda solent.
Temporis hoc vitium est, aut haec natura locorum
Ut veniat membris tam miseranda lues.
Tum ruit in mortem, qui fert medicamen ad aegros
Et curare alios qui cupit, ipse perit.
Tunc aegros ope solari manus horret amica,
Mors longis inopes liberat una malis.

Si tamen est aliquis, quem tangit cura medendi,
Mox captus morbo languida membra trahit.
Quae nova lux oritur terris, nova funera spectat,
Ante oculos adstat mortis imago recens.
Moestae tum resonant per tecta viasque querelae
Communisque dolor nocte dieque gemit.
Denique torpet hebes sensus, patiensque malorum,
Cor saevae quicquam mox feritatis habet.
Jam non funeribus lacrymae libantur amicae
Jam nemo querulos fundit ab ore sonos.
Non flevisse, parum; nemo sua funera curat
Nullaque jam pietas corpora reddit humo.
Corpora strata jacent, similis praenuntia mortis,
Hinc odor aegrotos conficit, inde pavor.

Thema 191.

Quorum solertes acuit sapientia mentes,
Hos solos vitae munere crede frui.
Illi sacrati veri rectique parentes
Ad vitam hanc animi dona tulére sui.
Nos ad opes pulchras aliena industria ducit
Quas luci ex tenebris reddidit ille labor.
Omnia secla patent fontes sitientibus illos,
Nulli sunt clausi; cui libet, inde bibit.
Socratis ausculta, si vis contendere, mori;
Carneades auctor, si dubitare voles.
Si tibi grata quies, *Epicuro* hanc disce magistro,
Si vis naturam vincere, nosce Stoam.
Pars hominum melior quae dat communia nobis
His immergamus pectora nostra bonis.
Qui bene curarunt artis penetralia doctae
Horum jungamus foedere quemque sacro.
Quisquis ad hos venit, mihi crede, beatus abibit,
Ex usu longo denique crescet amor.
Itur ad hos tuto per amica silentia noctis,
Illa patet toto janua pulchra die.
Est ibi cunctarum pulcerrima copia rerum;
Et plenis manibus, quod libet, inde feres.

Thema 192.

Sit procul asperitas domino vultusque superbus,
Neve in rugoso contrahat ore minas.

Nec timeat frontes, mox insultare paratas;
 Contemtus forti non venit inde viro.
Quis spernet, sua quos fecit persona verendos,
 Ni maculent nomen deteriore nota.
Imperii vires male tentat saeva potestas,
 Si pro re vili civis ubique jacet.
Mercedemque metus tibi si fore credis honorem,
 Falleris; hac nunqnam quaeritur ille via.
Optatam dominus si vult contingere metam,
 Majus quam terror pondus habebit amor.
Cede oculis hominum; tecum timor omnis abibit;
 Plebis amor meritus post tua terga manet.
Ille metus poenae tacitas effervet in iras;
 Pectoris ad cultum denique surgit amor.

Thema 195.

Adspiciens Romam, turbae loca plena videbis,
 Vix capere immensas corpora multa domos.
Major pars turbae patriis longe exsulat oris,
 Urbs toto missos haurit ab orbe viros.
Ut rivi tenues miscent torrentibus undas,
 Talem colluviem splendida Roma videt.
Hunc levis ambitio claram deduxit in urbem,
 Illum mandati publica cura sui.
Prodiga luxuries hunc Romam jussit adire
 Lascivis animis dantem alimenta locum.
Illius gressum tulit huc legatio gentis,
 Hunc ire ingenuae compulit artis amor;
Illum traxerunt scenae spectacula gratae,
 Huic iter immensum suasit amica domus.
Est quoque, qui dixit: Romae patet area lata
 Virtuti; haec urbs est forti adeunda viro.
Adtulit ille suae formae venalia dona,
 Adtulit hic oris suavia mella sui.
Virtuti et vitio quae ponit praemia magna
 Urbs, in eam turbae confluit omne genus,

Thema 196.

O fortunatam, quae centum impleverit annos!
 Sic credo pueros ingemuisse senes.
Stulte, quid hos annos votis puerilibus optas?
 Stultitiaene petis tempora longa tuae?

Annos da centum stulto; tamen ille queretur
 In terris paucos se numerasse dies.
De longa mensa ut nondum satiatus abibit
 Et citius dicet funus adesse suum.
Hanc ultra vitam sua nempe extendere vota
 Nescit et in superos mente volare choros.
Stulto si veniat tandem centesimus annus,
 Ille tamen nondum triste paravit iter.

Thema 198.

Hic annus felix cumulavit plaustra coloni
 Mergite, quam largam vix meminere senes.
Oraque tot populi, tot militis hospitis ora
 Non angunt patriam; sat tulit omnis ager.
Quo magis, o cives, meritas persolvite grates,
 Qui tanti implevit muneris arva, Deo.
Vinea, quae rigidae non sensit vulnera brumae
 Uvas ostendit spe numeroque graves.
Sol miti radio teneras si percoquet uvas
 Tum larga adducto sub pede musta fluent.
Omnes, quas tellus gignit, circumspice fruges,
 Flore suum laeto quaelibet ornat agrum.
Largo tot vacuas distendent munere cellas
 Satque datum ventri dura videbit hiems.
Adspicis, ut dulci curventur pondere rami,
 Quae species oculos vix satiare potest.

Thema 200.

Incessit pleno per agros Tua Copia cornu
 Magne Deus, cuncti muneris alme dator.
Annus abit vario telluris munere dives
 Arvaque sunt gratis omnia plena bonis.
Si nobis centum linguae sint, oraque centum,
 Laude tamen merita vox foret illa minor.
Nempe salubre pecus vocat ad praesepia gramen,
 Lacteque distendunt ubera sicca bono.
Tristis ut instet hiems, pecudes solatur et illa
 Tosto, quem varium prata dedere, cibo.
Vidimus, o pulchrum visu! flavescere campos
 Spemque graves spicas messis habere bonae.
Vidimus in campis messorum corpora nuda,
 Armatas curva falce venire manus.

Mox caesas segetes solidi vinxere manipli,
 In stipulis superest, qui modo culmus erat.
Pondere mox pressére gravi stridentia plaustra
 Messeque ruperunt horrea nostra gravi.
Cetera, quae fruges reddunt, circumspice rura
 Quosque cibos hominis fertilis hortus habet.
Nil ibi non cernes foecundo semine laetum
 Quoque oculum flectis, ridet amoenus ager.
Vitibus at laesis multi ingemuere coloni
 Et luget raptum vinea multa decus.
Aspera laesit hiems insueto frigore vites;
 Heu jacet agricolis annus ille labor!
Pone metum; superest aliis vindemia laeta
 Frigoris intacta est vinea multa malo.
Det modo sol certas in apricis collibus uvas.
 Non spernenda ori sub pede musta fluent.
Si tamen has uvas premat inclementia coeli
 Et cellis mustum vitis acerba neget;
At gravidae pomi reparabunt tristia damna,
 Hinc poterit siccam cella levare sitim.

Thema 201.

Quam variis terras habitant animalia formis!
 Innumerumque genus quis numeravit homo?
Sed cibus est proprius naturae cuique paratus,
 Aptaque corporibus pabula fundit humus.
Pars fruges carpit, pars suetis pascitur herbis,
 Mollis at innumeris provenit herba modis.
Munera dat tellus nostro jucunda palato
 Quaeque oculos pulcro grata colore trahant.
Dat tellus eadem vario discrimine dona
 Ut possit gustus sic variare modum.
Non uno fundit maturas tempore fruges,
 Ut facili capiant dona labore manus.
Multas cura memor brumae sub tecta reponit
 Et bene servatas cella referta tenet.
Cernimus ingenium coeli variare per annos
 Et nullas hiemes ire tenore pari
Sed tamen annus alit quivis hominemque pecusque;
 Nunquam, quod satis est, terra maligna negat.

Thema 209.

Cum fervent undae, coëunt in proelia venti,
 Tunc artis specimen nauta peritus habet.

Hic, ubi tela micant, ubi manant arma cruore,
Materiam laudis miles habere potest.
Non aliter virtus spectatur rebus in arctis,
Ostendunt fortem tempora dura virum.
Nescis, quid valeant humeri, quid ferre recusent,
Si nunquam vires experiare tuas.

Thema 210.

Saevit Agrigenti monstrum crudele tyrannus,
Qui lento falsum torruit igne bovem.
Hospes *Zeno* urbis sortem miseratus iniquam
Omnia, quae sapiens induit arma, parat.
Omnia, quae possent monstrum crudele domare,
Sed totum immanis bellua fallit opus.
„Tela dabunt, inquit, quod mollia verba negarunt
„Conscia de collo pelle juventa jugum."
Armat lingua viri juvenes in fata tyranni,
Proditur at saevis auribus ille globus.
Jamque ducem facti rabies comprendit et omni
Torquet eum poenis ingeniosa malo.
Nempe dolor victus juvenum jam nomina prodet?
Falleris; auxilium *Zeno* animosus habet.
Dente fero scindit linguam, ne prodere posset
Et scissam in saevi principis ora jacit.

Thema 213.

Nunquam virtutem per amoena rosaria ducit,
Urticas illam vult bene ferre Deus.
Corporis illa quidem pars est solidissima nostri,
Usu quam potuit longa agitare dies.
In mare ventosum durarunt corpora nautae,
Agricolae trivit rustica gleba manum.
Militis excutiunt validi sua tela lacerti
Cursorem promtos cernis habere pedes.
Nempe quod assiduo mora longa exercuit usu
Id firmum ad vitae munera robur habet.

Thema 214.

Roma altrix omnis virtutis et area lata
Jam scena ingenii desiit esse probi.
Huc jam confluxit morum sentina malorum
Cum sensit sceptrum, *Vespasianae*, tuum.

Virtutem traxit Romanam publica labes
 Vixque, malum quo jam progrederetur, erat.
Utque lues morbi late contagia spargit
 Et, quod erat sanum, mox trahit ulcus idem.
Sic pestis morum totam manavit in urbem,
 Rari gestabant pectora sana viri.
Recti algebat amor, probitas contemta jacebat,
 Moerebat stimulos non habuisse suos.
Unum fulgebat sidus, sed lumine vano
 Helvidius, prisca vir probitate potens.

Thema 219.

Non opus est, oculis limen servare superbum
 Dum veniat celsa missus ab arce favor;
Non opus est, ventosa maris tentare pericla,
 Non opus, ad praedam classica clara sequi.
Quod poscit natura, breve est, facileque paratur,
 Apponit mensae quaelibet illud humus.
Quem sentit nudum, latro transmittit euntem,
 Pauper in obsessa non timet ire via.
Si duce natura vives, non pauper egebis,
 Inter opes medias expetit illa parum.
Vive tuo ingenio; satiatur opinio nunquam,
 Inter opes magnas non ita dives eris.

Thema 220.

Dives Germanus Lapponem dicis egentem;
 Falleris; ignotis non caret ille bonis.
Huic, fateor, vitam mollem natura negavit;
 Sed facilem votis invenit ille viam.
Mensibus huc paucis sol non sua lumina mittit!
 Et claram involvit nox miseranda diem.
Sed lumen gelida fulgorem spargit ab Arcto
 Lunaque perpetuae noctis opaca levat.
Nix glaciesque premunt, ut tecta sepulta putares,
 Sed tamen hoc nulli causa doloris erat.
Nempe puer Lappo longoque obduruit usu
 Et docuit corpus frigora saeva pati.

Thema 221.

Paupertas aevum secura per otia ducit;
 Ingreditur nullus limina parva metus.

Cum tuba directi tota canit aeris in urbe
Hoc aliis signum gaudet ad arma dari.
Cum flagrat tectum, qua sit fuga certa pericli,
Non quae sint flammis eripienda, videt.
Ille labor facilis, paucos bene pascere ventres
Pabula qui poscunt non nisi larga satis.
Nempe fames parvo constat sed nausea magno,
Hanc satiat nullis Africa tota cibis.
Aëgrotos artus in ligno pone vel auro;
Quid refert? lectum scandit utrumque dolor.
Sic aegram mentem sequitur mala cura gemendo,
Seu auro fulget, seu petit illa stipem.

Thema 223.

O qui naturae lusus et seria nostis,
Vobis non reddi gratia digna potest.
Ingenio vestro quam magnum munus habemus,
Munus, quod norunt pectora nostra parum!
Foeda superstitio cecidit rationis ab ictu,
Radices vulsas impius error habet.
Sed tamen errores plebs stulta amplectitur illos
Et rationis amat dedecus illa suae.
Herculeus labor est, errorem evellere priscum
Quaeque superstitio pectore fixa sedet.
Plebs amat in coecis indocta errare tenebris;
Non illi lucem cernere cura bonam.
Illa parum didicit, quae mundum cura gubernet
Qua ratione adsit qua bonitate Deus.

Thema 224.

O male vicinos tibi, gens Germanica, Gallos
Moribus ac armis qui nocuere suis!
Ah, quoties multo tingebas sanguine Rhenum
Quem male trajecit barbarus ille furor!
Ah, quoties miseri fumabant tecta coloni
Dum cremat insontes hostica, flamma casas!
Saepe manus avidae in tristem venere rapinam,
Lugebant vacuas oppida nuda domos.
Hostiles Nicer sensisti saepe catervos
Pacatasque bibit barbarus hostis aquas.
Aere gravis rediit praedo *Melacus* ab arvis
Cum patrius flammas aere redemit ager.

Thema 226.

Prodere te lingua mox id tormenta jubebunt
Quod clausum suadet corde tenere metus.
Inventa est duris haec carnificina tyrannis
Ut verum linguis exprimat omne dolor.
Vincit nempe dolor tacitam quoque pectoris iram
Quodque negat pectus prodere saepe jubet.
Sed tormenta tamen ridebit fortior Indus,
Et duri genuit quos Stoa dura viri.
Magna quidem res est animos impendere vero,
Si fugias magni criminis esse reus.

Thema 228.

Militis in bellis immensa licentia regnat
Sanctaque tum duro jura sub ense jacent.
Humani juris fines pes transilit audax,
Ignorat pacti saeva libido fidem.
Insultant lacrymis voces frontesque superbae
Clauduntur timidae ferrea corda preci.
O civis, tacitum misero preme corde dolorem;
Ad celerem poenam militis ira venit.

Thema 235.

Qui venit ad doctas cathedras audire paratus,
Ille die quavis rem ferat inde bonam.
Sanior aut redeat tacita in penetralia tecti
Aut medicam admittat non rude pectus opem.
Nil desperandum est; habet has sapientia vires
Ut conversantum nescia corda juvet.
In radios solis qui prodit candidus ore,
Huic trahitur, si non hoc velit, inde color.
Qui sedet in molli nardum fragrante taberna
Huic inde in toto corpore fertur odor.
Non aliter, crebro bona quem sapientia movit,
Hic tandem formam traxerit inde novam.

Thema 236.

Tu mirare nihil, quod quaelibet advehit hora,
Hac hominem natum conditione puta.
Perde libens, quod te mortalia foedera poscunt,
Exeat ex animo nulla querela tuo.
Tristis hiems nudis foedum caput extulit arvis;
Mollia nunc duro frigore membra trement.

Aestas tecta suis ac arva caloribus ussit;
 Manabit sudor sicca per ora gravis.
Corpus in auctumno tentat mutabile coelum;
 Mox fragiles artus pallida febris habet.
Securo occurret lupus aut immanior ursus
 Aut qui plus saeva tigride saevit homo.
Hunc rapidus gurges male cautum faucibus hausit,
 Ille cinis subito prensus ab igne jacet.
Has rerum leges jam nulla potentia mutat;
 Exorant nullae tristia fata preces.

Thema 237.

Primi mortales et eorum sanguine creti
 Naturam optabant semper habere ducem.
Hujus signa viae sincera mente tenebant
 Haec pro divinae foedere legis erat.
Naturae mos est et certi norma tenoris;
 Subdere nobilibus deteriora solet.
Non praeit armentis taurorum degener ille,
 Sed vincens alios mole torisque bonis.
Cernis, ut immanes elephantos ducat in arva,
 Qui forma in reliquis nobiliore placet.
Inter mortales summa ad fastigia surgit
 Qui nullo est morum nobilitate minor.
Ergo rectorem plebis vox una creabat,
 Quem mores dignum constituere caput.
Hinc fortunatae gentes, hinc secula fausta
 Cum virtus magnas sola parabat opes.
Hinc illo seclo, quod nomen duxit ab auro,
 Accepit sapiens sceptra tenenda manus.
Haec bene frenabat promtas ad vulnera dextras
 Haec contra validos sponte ferebat opem.
Mos erat, ignarae suadere quod utile turbae,
 Hortari, ut nollet deteriora sequi.
Quaerebatque viam doctae solertia mentis,
 Qua veniat vacuae copia larga casae.
Si quos e populo vexabat curta supellex,
 Implebat tenues dextra benigna manus.

Thema 238.

Aeger cum coepit morbi sentire dolorem,
 Tum laetus certam sperat amicus opem.
Tum sibi dilectum gaudet domus anxia reddi
 Et frons auxilium laeta medentis habet.

Sic ubi mens coepit vitiorum cernere labem,
Hoc animi pignus tum melioris habe.
Me quaesisse tuos juvat, o sapientia, fontes
Quos monstrem multis ut simul inde bibant.
Ex arte insigni mihi non venit ulla voluptas
Si non ad socium pars venit ulla boni.
Si recte gaudere bono quod contigit optas,
Tu fida in partem corda venire jube.
Ambages longas monstrat vox docta magistri,
Ad metam auditor tardius ille venit.
Dux brevior superest, vitae laudabilis auctor,
Exempla ad mentem non leve pondus habent.
Si tantum hausisset *Zenonis* verba *Cleanthes*,
Non docti praesens esset imago viri.
Sed praesens aderat vitae spectator honestae
Sed poterat mentis conscius esse bonae.

Thema 239.

Mortales opus est parcis adsuescere rebus;
Hi discant victu pauperiore frui.
Utile vel puero, ventrem domitare capacem
Ut parca mensa plenus abire queat.
Saepe locus fallit certas spes aere potentum,
Quo satiet mollem nil habet ille gulam.
Nulli, quod voluit, confert fortuna benigna;
Augustus felix quod tamen optet habet.
Nolle potest animus, quod sors invidit iniqua
Et laetus, praesens quod tulit hora, frui.

Thema 240.

Ecce novi nobis orditur fabula secli
Quae jubet ad partes quemlibet ire suas.
Mitteris in scenam, patriae spes laeta, juventus;
Ludes, cum scena nunc abiere viri.
Lustra decem sperant personam cernere vestram
Et patria ex vobis sperat habere decus.
O felix seclum, si quisque fideliter instat
Ad patriae fructus munus obire datum.
Sed sola huc probitas, sola huc sapientia ducit,
Da puer, ut sapias, pectus utrique tuum.

Thema 241.

Hoc nos mortales vitium demergit in omne;
Ad vitae cursum lumina nemo refert.

Quid sint facturi, plures id pectore volvunt;
Rarior est, vitae qui videt acta suae.
Quaeque dies animum rigidum vocet ante tribunal
Hic sedeat censor quilibet ipse sui.
Sextius exemplo est; morem pius excutit omnem,
Pectoris et constans in penetrale redit.
Non prius in somnum componit languida membra
Quam toto judex censuit acta die.
O morem pulchrum! facit haec censura beatos;
Mentis enim sola est illa magistra bonae.

Thema 242.

Ebrietas animis arcessit sponte furorem;
Haec illud vitium pingit imago brevis.
Ebrius in multos errores labitur amens
Et coecis oculis in sua damna ruit.
Sed postquam nubes animo lux sobria movit,
Plurimus ex culpa tum subit ora rubor,
Impia saepe pudor conamina frenat honestus;
Immodico vino solvitur ille pudor.
Avocat à culpa plures non recta voluntas
Sed pudor est custos pectoris ille mali.

Thema 243.

Hos, quibus ingenuit mentem sapientia sanam,
Cervicem rigidam subdere nolle putas?
Et, qui sceptra tenent vel Curia quos facit amplos,
Hos illis doctis frontibus esse joco?
Falleris; hi memori celebrant in pectore reges;
Nemo potest illis gratior esse viris.
Securi dono qui principis otia carpunt
Qui pacem magni muneris instar habent.
Hos, quibus in voto est traducere leniter aevum,
Qua laude auctorem concelebrare decet!
Nonne canent laeti? bonus haec dedit otia princeps
Ejus sub clypeo noxque diesque fugit.

Thema 244.

Naturae vitium pellit sapientia nulla:
Haereat in membris hoc animove malum.
Ingenitas homini labes ars leniet olim;
Radices nullo vulserit illa die.

Ille ferox animi sudorem absterget in ore,
Impletum populo si videt esse forum.
Hic tremulis genibus suggestum cessat inire,
Dicere dumque parat, concutit ossa pavor.
Huic miserè dentes collidit frigidus horror,
Lingua metu titubat, labra micare vides.
Non doctrina illud vitium, non excutit usus;
Natura imperium vindicat usque suum.

Thema 245.

Hannibalis robur vino Campania solvit
Dum Capua molli segnis in urbe sedet.
Quem non cum Poenis Alpes domuere nivesque
Hunc enervarunt mollia strata virum.
Armis qui potuit Romanas vincere vires
Hunc circa vinclum blanda libido dedit.
Sic nos mortales in praelia nascimur omnes
Militiaeque illi non datur ulla quies.
Ne faveant blandis Sirenum vocibus aures
Mortales animos ardua pugna manet.
Illae si voces rapuerunt pectora saeva;
Quo clypeo tutum molle cor esse putas?

Thema 246.

Indicit *Xerxes* dirum tibi Graecia bellum
Teque suo sperat supposuisse pedi.
Stultus, qui nescit, quam vano milite fidat!
Sed misero fastu pectus inane tumet.
At miserum regem! si non prius ipse tumeret,
Illum magniloquis falleret aula sonis.
Haec jam blanditiis patulas circumsonat aures
Et tumido graecos jactitat ore metus.
Fama tui belli simul has impleverit oras
In trepidam cernes vertere terga fugam.
Ut terras opplent rapidis torrentibus undae,
Graecia sic lateat milite tecta tuo.
Vix illud coelum satis in tot tela patebit
Innumera mittet quae tua turba manu.

Thema 248.

Certis ingeniis gremio ut nutricis inhaere
Haesuras animo si tibi quaeris opes.

Hospes ei multus, rarus numeratur amicus,
Qui longis errat per loca multa viis.
Multos qui libros oculo properante pererrat
Cum nullo ingenio foedera certa facit.
Quem non firma cibum vix sumtum emiserit alvus,
Ex illo nullum corpora robur habent.
Cruda cicatricem non ducunt vulnera firmam
Ad quae tentantum crebra medela venit.
Natali quae rapta solo mutare jubetur
Crebro planta solum, robora nulla trahit.
Distrahit ingenium series numerosa librorum:
Utilius paucos gnava juventa leget.

Thema 249.

Ad mentem via prima bonam, si discere cura est,
Ut cor delectet ne quid inane tuum.
Fortiter ille boni tetigit fastigia summi
Qui didicit laetos carpere posse dies.
Qui non incertas navem commisit in auras,
Sed facilem propria qui regit arte ratem
Sit tibi cura prior reliquaque antiquior omni,
Ut discas vitae gaudia vera brevis.
Non foris hoc homini laetum sed nascitur intus
Continet hoc animi si penetrale tui.
Cetera non implet pectus satiatque voluptas;
Hinc tantum frontis ruga remissa venit.
An gaudere putas, qui visu seria pellit?
Falleris; in vultu gaudia falsa sedent.

Thema 250.

Omnis fert aetas Curios durosque *Catones*
Qui nihil ex bello, vel retulere cadum.
Tantae virtutis quam nos defigit imago!
Fabricii nostris quam placuere scholis!
En redit in scenam species miranda virorum,
Cointeti in Gallis nobile nomen habet.
Inter praedones auri contemtor avaros
Puras à capta qui tulit urbe manus.
Inter mille manus avidas, quis crederet illud?
Pro mercede omni cui fuit hostis amor.
Officium coluisse viri cui gloria prima
Et memores animos dicere posse sui.
O caput aeterna lauro tibi, Gallia, dignum!
Hunc memora, non quot *Massena* vicit agros.

Thema 251.

Annorum series quod multo longa labore
 Condidit, hoc subito dissipat una dies.
Regna diu steterant bellorum quassa furore,
 Mox nullo impulsu foeda ruina venit.
Tempus edax rerum misere vestigia radet
 Regnorum, quae nunc alta tulere caput.
Quam pulchre stabat quam nobilis aere Corinthus!
 At nunc quo steterit, dic mihi, pulchra loco.
Ah! quoties altum Rhodus est mirata Colossum!
 Mox veniens aetas hunc cecidisse videt.

Thema 252.

Florebant valles et laeto prata colore
 Mox invitabant ad sua dona boves.
Florebant segetes, avidi nova vota coloni,
 Sensuraeque brevi vulnera falcis erant.
Dumque arbor ramos lugebat fructibus orbos,
 Jactabat pulchri vinea veris opes.
O quoties vultus sperantum, Nicer amoene
 Vidisti ad tenues gaudia ferre casas!
O quoties belli lenibat vulnera cruda
 Spes anni, ex laetis dulce levamen agris!
At subita solem condebant nubila nocte,
 Grandine terrebat foeda ruina gravi.
Nec mora; grando gravis laetis saliebat in arvis
 Et misere stratum luna videbat agrum.
Jam Nicer lugens vultus celabat amicos,
 Ne videat lacrymas, nude colone, tuas.

Thema 253.

Longus amor fidi deplorat funus amici
 Spectatam crebro qui dedit ante fidem.
Ex animo moestas tunc fundit lingua querelas
 Imbre per exsangues usque cadente genas:
Quis mihi talem animum, quis talem reddet amorem?
 Gaudia quot tecum nunc abiere mihi!
Jam pulsabo fores, properans ad gaudia nota:
 Qui reddat vocem, nullus amicus erit.
Cum quo tot laetis horae sermonibus ibant
 Ejus sermones Orcus avarus habet.

O coelum et terrae, nunc fidum ostendite pectus,
Dicite, quae reparet tristia damna fides.
At reperire novum si non contingit amorem,
O bone, tum cineres fidus amabo tuos.

Thema 255.

Vitabis turbam, si me tibi credis amicum;
In vasto non est tuta carina mari.
Triste malum, juveni est in turba vivere magna,
In multo populo multa pericla latent.
Ut molli cerae, vitium sic imprimit omnis
Et labem teneris allinit ingeniis.
Insidiis populi teneras subducite mentes
In quibus est recti non bene fidus amor.
Unus luxuriae qui servit et unus avarus
Immensi spargit semina foeda mali.
Mollem dimittit mollis conviva sodalem,
Accendit votis divitis aula novis.
Ut nive candidior sit mens et nescia culpae,
Improbus hanc poterit commaculare comes.

Thema 258-259.

Torpentes ab inerte situ ne perdite tempus
Neve datum vanis lusibus illud eat.
Neve trahat levitas animos in devia quaeque,
Quae fixam ad metam forte morantur iter.
Discendae pueris artis patet area lata,
Sed vita angusto limite clausa datur.
Qui magnam sibi rem sumsit longique laboris
Sed quae sit spatio conficienda brevi:
Nonne moram rumpens cursu properare citato
Debet, ut ad palmam provolat acer equus.
Non ille intentis ad calcem tendere nervis?
Non haerens oculis circa aliena suis.
Carcere sed sero missus non fortiter ibit
Non horam carpet sedulus ille brevem?
Dum virides anni, dum floret mollior aetas,
Pectora discendis artibus apta patent.
Vita modo currens tum fonti proxima manat
Non ille est curis turbidus atque malis.
Tum natura jubet mentes, nova discere rerum
Corque vigens nullo tempore cessat iners.
Adde quod invitant jucundis vocibus artes
Et saepe invitos in sua sacra trahunt.

Integer in pulchram juvenis descendit arenam
 Accipit et rerum semina molle solum.
Ingenium celeri comprendit singula motu,
 Ignotas species pectora mota vident.
Mensque memor tandem, custos fidissima rerum —
 Haec te discentem gnava juventa levant.

Thema 260.

Da vitam certi sine fixa muneris hora,
 Mox horas vacuas sentiet illa datas.
Has non explebit nova vel variata voluptas,
 Te mox ingratae taedia lucis habent.
Fallor? an hoc, pueri, vos otia longa docebant?
 Utilius certe nil retulisse puto.
Si quem non ad opus certum vocat hora statuta,
 Res magnas facile differet ille piger.
O miseros homines, quos mollis inertia solvit!
 His brevis, heu, tarde dicitur ire dies.
Felices, quibus est divini muneris instar,
 Intentas vires qui jubet esse labor.
Quam pulchrum in lata vires sociare palaestra
 Inque bonis rebus ponere rite diem!
Si tibi pectus adest testis bene temporis acti
 Quam dulcem in somnum lumina clausa dabis!
An nescis, ignave, bonae tam prodigus horae,
 Quam bona rapta sibi gaudia languor habet?

Thema 261.

Quisquis amat patriam, patriae laetatur honore
 Quodque decus populi est, hoc putat esse suum.
Si quos ingenio claros emittit et arte,
 Ad gentes populi gloria missa venit.
Cui sic cor friget, quem non haec gloria tangat,
 Si civis multo vivit in ore suus?
Gratius omne decus populo sine lumine famae
 Inque umbra tristi qui latuisse dolet.
Suevia sic doluit, sic tristi sedit in umbra
 Et timidum ad populos extulit illa caput.
At nunc in terras circumspice fronte serena,
 Suevia, nunc doctis civibus alta tuis.
Ingenio suus instat honos artique tuorum
 Ad placidum Musae quos aluere Nicrum.

Si cives veniunt rari in certamen honoris
De statua *Caroli*; laudis id esse putas?
Tu tamen ut nostros mirere Vienna *Lysippos*,
Haec habeat Suevus proxima vota bonus.

Thema 263.

Foeda locus pugnae populo spectacula praebet,
Illuc, quisquis amas bella cruenta, veni.
Hic longis cumulat sua funera victor acervis,
Hic tardae mortis victima multa jacet.
Felices, uno quos lethum vulnere sternit,
Quosque animae nulla deseruere mora.
At miseris aliis plenos circumspice campos
Quaeque patet lacrymis area lata vide.
Ille trahit multo laceratum vulnere corpus,
Hic ad surgendum sentit abesse pedes.
Ille diu clamat: me, me transfigite ferro!
Qui me transfiget gratus amicus erit.
Hic videt ex vena rupta manare cruorem,
Eheu, non illum sistit amica manus.
Lugubres gemitus campos ululatibus implent
Et variis surgit clamor ad astra sonis.
Scilicet hanc horres speciem bellique pavorem
Miles, quum signum buccina clara canit.
Pone metum, miles! dabitur, qui vulnera curet
Ad gemitus veniet dextra parata tuos.
Vulneris auxilium praesens schola publica monstrat
Et doctos medica reddet in arte viros.
Principis hoc munus, patria est hoc munere laeta,
Vulneribus doctas cernet adesse manus.

Thema 265.

Quid non ambitio mortalia pectora cogit?
Infelix magnos quo rapit ille furor?
Oceanus vidit populorum caede madentes
Et stupuit belli signa cruenta feri.
Pectoris hos morbus vicit sceleratque flamma
Cederet ut victo victor ab hoste novo.
Illos tunc pavidas gentes egisse putabas,
Sed miseros egit tunc furor iste suus.
Cur dux *Emathius* terras vastare remotas
Ardet? nempe furor coecus ad arma trahit.

Pompejum species splendoris fallit inanis,
Illudit magno gloria vana viro.
Nunc arma infelix ad ripas portat Iberi
Et cum *Sertorio* proelia dira facit.;
Nunc fugit armatas praedonum audacia naves
Et pax à victis in mare tuta redit.
Quas tamen hic potuit bello praetexere causas?
Nempe potens rerum sic bene stabat honor.
Sed quid eum traxit Lybiae ad sitientis arenas
Quid Boreae gelidam jussit adire domum?
Quid contra Arminios duxit Pontique potentem?
Illum cur Asiae nidulus omnis habet?
Scilicet hunc traxit crescendi immensa cupido,
Ipse parum magnus qui sibi visus erat.
In tua te quid fata dedit, fortissime *Caesar*,
Ut jaceas Romae victima caesa tuae?
Ambitiosa tuae tormentum gloria mentis
Et nullum juxta nisus habere parem.
Cum *Marius* fortis Cimbrorum contudit arma,
Cumque arti cessit Teutonis ira ferox;
Cum pepulit fortem deserta per Afra *Jugurtham*;
An tot virtutem dura subisse putas?
Ducebat *Marius* Romani militis agmen,
Ducebat *Marium* laudis avara fames.
Illi terrifico quatiebant omnia motu;
Ipsos gloriolae concutiebat amor.
Multos exitio dedit ampli nominis ardor,
Sed fixére animis noxia tela suis.
Si cernis multos alieno crescere damno,
Hos non felices vivere posse puta.

Thema 268.

Ignibus occultis dum mollior aestuat aetas
Et juvenis calido sanguine vena tumet:
Tum vetitos mollis compescite pectoris ignes,
Tum stimulis opus est nectere vincla malis
Ne speres, ad eos tardam frigere senectam;
Saepe senes *Delilae* vincula blanda tenent.
Quod tibi non ratio, quod non sapientia vincit,
Forsitan id tandem cana senecta domat.
Falleris; an stimuli non jam dominantur in illo
Pectore, cui deest denique corpus hebes?
Corpus cum languet nec jussa libidinis audit,
An tum non coeco cor senis igne calet?

Cur Veneris servos vetulos vetulasque videmus
Et tremulos ad eam cur titubare pedes?
Canities dominam cur fert delira superbam,
Cur non dedidicit turpia vincla pati?
Nempe manet corpus vitiorum compede vinctum,
Si non mens stimulos depulit ipsa malos.

Thema 270.

Quorum virtutem tenuit custodia clausam
His bona Musa comes dulce levamen erat.
Haec medicina mali poterat lenire dolorem
Ut non sentiret vincula dura manus.
Carceris in tenebras tecum descendit amica,
Mosere, o patrii gloria rara soli!
Te Princeps durus dedit in durissima vincla
Dicere pro patria nempe quod ausus eras.
Quod tibi non potuit tunc demere principis ira
Illo nunc poteras lege vetante frui.
Hic ex foecundo promebas pectore pridem
Collectas, sapiens quas habet unus, opes.
Quaque datum spatium, reddebat littera mentem;
O paries felix his decorate notis!
Deficiente loco, mentis tibi sumta tabella,
In quo scribebas carmina, pectus erat.

Thema 271.

Jam non incedit prisco Bellona furore
Non tam funestas jam quatit illa faces.
Desiit insonti jam palla cruore madere
Exque tribus furiis est comes una Deae.
Mitior agricolis, horumque boumque labori
Intactum didicit linquere ruris opus.
Turpe est militibus, sic longa per agmina clamat,
Consita lasciva perdere rura manu.
Nominis haec meruit *Gallus* praeconia miles,
Dum per Teutonios arma movebat agros.
Ille satis laetis parcebat pectore miti,
Lenior indigena milite miles erat.

Thema 274.

Nil pollere vides divina humanaque jura
Quum jacuit sacrae relligionis honor.

Illic imperii lentae solvuntur habenae
 Non ubi sacra jubet Numinis ara metum.
Illum deme metum; sanctissima vincula demes,
 Aerumnae demtum dulce levamen erit.
Quid reprimet saevos occulti pectoris ignes,
 Si spreta his pietas frena remissa dabit?
Tolle sacros stimulos; omnis frigebit honestas,
 In vetitumque ruent nescia corda Dei.
Mulcebunt aegras mentes solatia nulla
 Si non ostendit spes meliora probo.
Denique quos fatum aeternas jubet ire sub umbras,
 His comes unus erit nocte dieque dolor.
Non veniet cupidas gratum solamen ad aures,
 Quod loca christicolas in meliora vocat.
Pestes concurrent omnes ad publica damna,
 Cunctis regna ruent dilacerata malis.

Thema 275.

Dum Bellona ibat passim crepitantibus armis
 Perque urbes pavidas dum sonuere tubae.
Tum placidae fugere procul fera proelia Musae
 Exilioque domos destituere sacras.
At fera barbaries sua plumbea sceptra resumsit
 Sublimi victrix ausa sedere throno.
Barbarus hunc miles sepsit, durusque satelles
 Stultitiae, et quisquis pectora torpor habet.
Artibus instabat tristi nox ultima velo
 Tristeque barbaries impositura jugum.
Sed jam Bellonae furias pax alma fugavit
 Jussae in Tartareas jam rediere domos.
Jamque ausae mites sua regna revisere Musae
 Illas nam comites pax habet alma sacras.
Istaque nox luci cessit certamine victa
 Ut nebulas solis fortia tela fugant.
Reddidit antiquos nunc Gallia fortis honores
 Musis, in sedes quae rediere sacras.
Nunc audit resonare scholas et plura Lycaea
 Doctis, quos spargunt ora diserta, sonis.
Hic, ubi ludebat modo telis gnava juventus,
 Nunc inter libros Pieridasque sedet.
Fervet opus sacrum, certat pulchre aemula turba,
 Ad palmam properat currere quisque puer.

Thema 277.

Quid sibi vult auri nunquam satiata cupido,
Quae nunc ut vehemens pectora morbus habet?
Nempe suum exoptat traducere molliter aevum,
Inter delicias vivere posse novas.
Et lauto splendore domos aequare potentum
Perque vias curru splendidiore vehi.
Ergo latronum surgit genus omne per urbes
Et praedam late visque dolusque facit.
Innumeras scelerum formas scelerata cupido
Induit, in furtis ingeniosa suis.
Pesque procax calcat divina humanaque jura,
Dum, quo porrigitur, tendat avara manus.
Auri quaerendi quis tot numeraverit artes
Quas avido promit pectore cura gulae?
Huic saevae dominae donat temeraria turba,
Quicquid mortali debuit esse sacrum.

Thema 280.

Infelix vitium, pigrae socordia mentis,
In terris multi est noxia causa mali.
Stagnum *Asphaltites*, famae si credere fas est,
Enecat illatas peste vaporis aves.
Non aliter pulchrae virtutis semina prima
Haurit iners tardi pectoris ille lacus.
Hunc contra morbum aeterno certamine pugnant
Qui ducunt populos ad meliora rudes.
Sive sacra exponunt divinae oracula legis,
Seu tenerae sobolis mollia corda domant.
Denique qui gentes cupiunt florere beatas,
In veterem morbum proelia vana gerunt.
Seu bene qui populos regni moderantur habenis,
Seu, quibus est civi dicere jura datum.
I, suade populo longi solatia damni,
Quam surdas aures torpor habebit iners!
At si non virtus animos vicisset inertes,
Quot deserta foret tum mea vita bonis?
Non tot narraret nobis res Graecia magnas,
Non Latium factis nomina clara suis.
Martia non dominos pepulisset Roma superbos,
Non excussissent Helveta terga jugum.
Dat dominis faciles eadem socordia frenos
Ut patiens vulgus sceptra superba regant.

Et populos vanis qui relligionibus implent,
 Horum conatis fida satelles adest.
Illa per Eoas gentes dominatur et oras
 Quae facili fundunt munera larga solo.
Sed, qui naturam populi sensere malignam,
 Molli hos paupertas dura sopore ciet.
Haec est, o juvenes, mihi credite, femina fallax
 Quae forti Alcidae dulcia verba dabat.
Factorum gradibus non altum iniisset Olympum
 His si cepisset femina blanda sonis.
Solvite jam blandum, patriae spes cara, soporem
 Solvite desidiae vincula blanda pigrae.
Imminet illa dies, quae pectora tarda notabit,
 Sed gnavi merces pulchra laboris erit.
Sentiet indoctus meritam vir Principis iram
 Et frustra meriti laude tegetur avi.

Thema 281.

Felix, qui potuit longinquas visere terras,
 Totque hominum mores noscere totque locos.
Ille domos notas, quoties vult rursus inire
 Ille sibi caros mente videre potest.
Non opus est fervente rota per rura volare
 Ad longam multo non opus aere viam.
Vis loca nota tibi dulcesque revisere amicos?
 Mox, quodcunque libet, mens tua carpit iter.
Avolat et subito limen tibi dulce salutas
 Cumque tuo veteri junctus amore sedes.
Sive legis librum, tecum volvente sodali,
 Sive in sermonem solvitis ora bonum.
Inde jubet mater bona parcae accumbere mensae;
 Mox dapibus sumtis hortus utrumque videt.
Aut notos visis lateri conjunctus amico,
 Nulla te prohibet janua clausa domo.
Haec menti facilis loca nota videre voluptas
 Quam multi est nobis larga ministra boni!

Thema 282.

Aureliam fortis cingebant arma Britanni
 Firmam quae *Carolo* praestitit una fidem.
Jam muris instat pressis victoria praesens
 Cum spes auxilii fulget amoena novi.

Advenit ad dubias jam res animosa virago
Nata in virtutem factaque digna viro.
Impetus assiduo movet hanc hortamine mentis:
„I, patriae praesens auxiliare tuae,
„Te Deus elegit rebus solamen in arctis
„Quae misera pellas hostis ab urbe minas."
Grata venit regi laetarum nuncia rerum,
Creditur à miti missa venire Deo.
„Hic felix animos accendet militis error,
„Ut praesente Deo tutus, in arma ruet."
Non fallit spes grata duces — dux illa virago
Ex pugna victrix in sua castra redit.
Altera vexillum, gladium manus altera vibrat,
Et jubet impavidos ad pia bella sequi.
Per medios agmen ducit metuenda Britannos,
In medio stantem moenia cincta vident.
Mox hostem pellit firma statione superbum
Et longa pavidos obsidione movet.
Daemonis hoc opus est, exclamat temporis error,
Pro Gallis Daemon militat ipse malus.

Thema 283.

Quos animi morbus, nulla sanabilis arte,
Totos praecipites in scelus omne rapit;
Hos ut oves scabras sincero de grege tolle
Et morte ut cessent crimina, trade neci.
Aut, si non placet hoc, in tetra ergastula mitte
Haereat in vinclis ut scelerata manus.
Forsitan ille reus, dura jam compede tritus
Et fractus poenis, ad meliora redit.
At frustra hoc sperat clementia judicis aequi;
Non sanat mores carceris umbra malos.
Redde reos luci miserens et vincula deme;
Adsuetum cernes mox revocare nefas.
Ergo aliud suadet nostri clementia secli
Quae vult humani nominis esse memor.
„Vincula nil prosunt; illos dimittite sontes
„Ut Sibero discant fonte levare sitim
„Aut orbis capiat longinquior Insula magni,
„Cultores videat barbara terra novos.
„Hic discant conferre manus ad munia vitae
„Hic justi subeant dulce laboris onus.
„Quis scit, an infelix vitiorum pectus amore
„Liberet, ac posthac sanior esse velit?

„Fac, collo illius natos haerere, sinumque
„Uxorem amplecti, dulcia membra domus.
„Da vacuis manibus partem felicis agelli
„Ut propriam duro vomere sulcet humum.
„Mox video laetum vita meliore colonum
„Redditur et legi perditus ille bonae."

Thema 284.

Ite boni juvenes in vallum nobile fama
Hamburgum multo quod pede saepe terit.
Artis et ingenii si cernere vultis honorem
Quemque ibi virtuti gratus habebat amor.
Hic posuit memorem pietas sociata columnam
Aeternis meritis, inclute *Büsche*, tuis.
Ergo antiquus honor, dulces gaudete Camoenae,
Artibus et meritis ingenioque manet.
At melius libris nomen bonus Ille sacravit,
Ex illis laudem posteritatis habet.
Vivet in his virtus et in his aeterna vigebit,
Hic longam messem semina sparsa dabunt.
Nempe libros duro non carpet dente vetustas;
Haec nullo laus est interitura die.
Certius hoc decus est fragilique perennius aere;
Sternit opus saxi denique tempus edax.
Jamque inter seros doctor sedet ille nepotes,
Quae docuit vivus, mortuus illa docet.

Thema 285.

Hic jacet *Henricus*, *Fridrici* nomine Magni
Clarus, sed pacis clarior arte bona.
Si libet ad tumulum nostrum tibi stare viator
Ut, precor, haec oculo non properante legas.
Me mea nobilitas dubium conjecit in orbem
Qui vanae nervos ambitionis agit.
Adstupet hanc vulgus, splendoris nomina jactans,
Sed vanam speciem, qui sapit, esse videt.
Humanae labis vixi contagia passus,
Communis morbi pars quoque nostra fuit.
Multis cura fuit, me coeco agitare furore,
Me meus abripuit praecipitemque dedit.
Me primum carpsit male dens livoris iniquus,
Injustae telis me petière manus.

Me mors cognati, me mors adflixit amici,
 Sed mihi fidus amor saepe levamen erat.
Felix, si poteram meditando vivere mecum,
 Si poteram in studiis molliter esse meis.
Sed potius patria per me florente beatus
 Aut si cui misero causa salutis eram.
Sol nunquam vidit virtutem labe carentem,
 Integra non virtus illa *Catonis* erat.
Non omni vitio si virtus nostra vacavit,
 Non certe numeri deterioris eram.
Non tangunt manes meritae praeconia laudis,
 Nullius cineres lingua maligna movet.
Sed spes laeta animam justam comitatur ad Orcum
 Haec etiam nostrum nunc comitatur iter.

Thema 288.

Rara meam patriam Pietas hac morte reliquit
 Et nullo fuco contaminata Fides.
Nulli culpandos Mores lux abstulit illa
 Et carum Musis egregiumque Caput.
Matura haec Virtus in coeli transiit arcem;
 Seram mercedem longa senecta tulit.
At quam dignus erat longinquam tangere metam
 Spargeret ut meritas alba senecta comas.
Muneris ad partes qui nunquam tardior ibat,
 Qui nunquam in studio deficiebat iners.
Ergo consenuit virtus Abbatis in aula,
 Hîc animam castam reddidit ille Deo.
O venerande Senex, non gentis gratia tanto
 Sed Tua Te virtus fecit honore gravem.
Haec in secessu carpebat praemia laeto
 Otia, quae lassus fert peragenda labor.
Hic adsueta Tibi pietas et debita coelis
 Transegit vitae tempora sacra Deo.
Hic Tua laeta seges toto maturuit arvo
 Falcibus hanc aptam messor ut acciperet.
Mos noster Divos si Sanctis ferret honores,
 Hic Tibi communi voce maneret honor.

Thema 289.

Si nostri secli mores tibi discere cura est,
 Inspice; quos vendit Lipsia clara, libros.
Invenies illic, cupide quos lectitat aetas,
 Et quos prae multis lector avarus emit.

Sordent, quae docti foecundo pectore promunt,
Et cedunt levibus seria quaeque jocis.
Fabula nempe placet ridendo tempora fallens,
Iflandi poscit vir mulierque jocos.
Non satis, in cavea certis risisse diebus;
Lectores etiam fabula scripta tenet.
Innumeras ergo fabellas parturit annus;
An secli mores ingeniumque vides?

Thema 290.

Sermonis, Germane, tui non ultima laus est;
Effert ille caput nobilitate nova.
Discitur ad Tamesin, pondus mirante Britanno;
Discitur ad Sequanam, cui novitate placet.
Et magnus labor est, peregrina hunc discere lingua,
Nec tamen in duros poenitet ire sonos.
Quid memorem libros, melior quos induit aetas
Galle, tua lingua, sive Britanne, tua?
Hic honor ingenio est Germano à gente superba,
Haec est Germano gloria parta solo.
Te, juvenis, patrio cui turget sanguine vena,
Te juvet, hoc patriae commemorare decus.

Thema 291.

Si tibi cura, puer, divinos discere mores,
Altarum rerum nî tibi sensus hebet:
Haereat ante oculos *Jesu* tibi suavis imago
Cum bis sex messes viderat ille puer.
Enumera pueros fulgentes lumine mentis,
Clarius Hic omni sidere Sidus erit.
Altius ingenium descendit ab aethere nullum,
Altius in nullo cor micuisse puta.
Quam cupidus templi sacras properavit ad aras
Plenus coelestis relligione Patris!
Quam bene doctus erat doctrinae dogmata sacrae,
Dicentem puerum quam stupuere senes!
Doctior Ipse virûm pendebat ab ore docentum[1],
Cui prior ex aliis discere cura foret.
Sanctus in ore pudor celabat lumina mentis,
Lumina, quae radios vix tenuere suos.
Ad surdas aures ibant praeconia laudis,
Non poterat fastus pectus inire sacrum.
An tibi stat frustra Tantae virtutis imago?
Falleris? haec pueris inspicienda datur.

Thema 293.

Cum turba, o juvenes, ad ludicra confluit ingens,
Tum multum vobis illa timoris habent.
Tum ruit in vetitum facile lascivia praesens
Et ludus subiti causa doloris erit.
Saepe luit poenas lascivia corpore laeso,
Saepe leves sequitur mors properata jocos.
At friget juvenis, tantis monitoribus asper,
Et surdis casus seria verba canit.
Flumina saepe trahunt ad gaudia laeta juventam
Sed simul intendunt insidiosa dolos.
Sive fluant leni riparum in limite cursu,
Seu concreta gelu lubrica testa premat.
Gaudia tum monitor ludentum temperet ista
Et monstret fraudem, quam tegit unda, malam.
Saepius acclamet: ne quid temerarius aude,
Ne levis in lacrymas exeat ille jocus.

Thema 294.

Ille scholae nostrae quam dignus honore magister
Debita communi reddidit ossa solo.
Fessa gravis morbi repetitis ictibus ossa,
Heu, nulla in medicis arte levante malum.
At lumen raptum luget schola pectoris Illud
Seque Illos mores deseruisse dolet.
Reddidit ossa bonae quondam reddenda parenti,
Sed praeter corpus debuit Ille nihil.
Spiritus adscendit coelestem divus ad ortum;
Heu nimium duro carcere clausus erat!
Spiritus ille Viri, memori qui pectore fixit
Pectoris egregii tot monumenta sui.
Ergo ne dicas: terris est totus ademtus!
In terris Virtus Illa reposta manet.

Thema 295–296. 297. 298.

Omine tum miti vultus aurora serenos
Extulit et nullis insidiosa malis.
Sol dedit os placidum surgens à montibus altis
Et lenis miti venit ab ore calor.
Non fuit ille minax vultu, non omine laevo
Indixit luctus quos vehat illa dies.
Ergo securi mortales ad sua pensa
Ibant, à lacrymis omnia tuta rati.

Auras mittebat tepidus sine nubibus Auster,
Omnia mansuetae grata ferebat hiems.
At subitae nubes rapuerunt lumina solis
Osque prius placidum condidit umbra repens.
In densas nebulas liquidus convolvitur aër,
Induit et luctum quicquid ubique vides.
Jam complent avium tristes nemus omne querelae
Et novus exigui pectoris angor habet.
Nescio quid moesti subigebat corda pavoris;
Quaerebat latebras tristis ubique metus.
Ecce novo motu tellus quassata tremiscit
Funeribus subitis exitioque minax.
Pectora torpor habet toto frigentia sensu,
Sanguis hebet gelidus mensque rigescit iners.
Mox animos hominum stratos novus excitat ictus
Mensque redit subito conscia facta sui.
Jamque erat una salus, animas auferre periclo
Inque fugam tardos abripuisse pedes.
At gressus dubios tardabat terra tremiscens,
Lapsae mole domus impediente fugam.
Quo fugerent miseri? ruptae telluris hiatus
Exitio praedas hauriet ore datas.
Hinc mater diro corpus lassata pavore
Sub clypeo manuum pignus amoris habet.
Illinc uxorem fortis pietate maritus
Fert humeris, fugiens haec loca plena metu,
Debilis inde senex depressus pondere frugum
Vix trahit infirmos in loca lata pedes.
Quid facitis, stulti? nil illa viatica prosunt;
Omnia, quae fertis, faux vorat illa simul.
Inde metu pavidi miseranda voce tenelli
Exposcunt fidam, quae juvet ire, manum.
Inque sinu noto quaerunt à morte latebras
Et matris tutum prendere posse latus.
Inde volat juvenis robusto corpore firmus
Cui volucres passus nunc pius addit amor.
Quaesierant oculi fugitiva per agmina sponsam;
O miserum! nullis obvia sponsa locis.
Ingemuit, non cuncta tamen spes excidit aegro;
Forsitan oppressam foeda ruina premit.
Dixit, et obstantes votis removere ruinas
Instant sollicito brachia firma metu.
Fortem fecit amor, mox saxa obstantia cedunt,
Moxque datur cupido limen inire pedi.

Eheu, quae species oculum defigit amantem!
 Ictibus exanimis sponsa petita jacet.
Cor oculique rigent, velutique immobile saxum
 Ad sponsae raptae funera cara sedet.
Mors optata veni, gemuit, juvat ire sub umbras;
 Quid moror in terris? mors mihi munus erit.
Dulcis amor jungens cum natis corda parentum,
 Quo rapit audentes impetus ille sacer!
In certam ruit ille necem praesensque periclum
 Et maris in fluctus pectora fida trahit.
Cur pius *Aeneas* tam pulcro nomine claret?
 Capta nempe humeris extulit urbe patrem.
Illa tamen pietas nostro non occidit aevo;
 Haec virtus superest, hanc alit omne solum.
Ecce pius juvenis se morti auferre minaci
 Cum quatitur subito terra tremore, potest.
Sed patrem carum pietas mox respicit illa
 Et non vult subitam quaerere sola fugam.
Nam properare vetat languentem tarda senecta
 Cui jam deficiens in pede nervus hebet.
Immemor illa sui pietas non cessat amatum
 Morti contemta demere morte patrem.
Heu mihi, cur tantum spes vana fefellit amorem?
 Cur non digna tulit praemia rara fides?
Ambos exanimes quaerentum cura videbat
 Et, quae junxit amor corpora, juncta nece.

Thema 299.

Quis furor est, cives, patriam mutare Polonis
 Ursorum lustris, velle timere lupos?
Laetior an spes est ex pingui Sarmatis arvo
 An levior messes auferet inde labor?
At quas arvorum spes vestra cupido relinquit!
 Nempe, quod hostis amet posse tenere solum.
At qua tutela legum, quo limite juris
 Securus damni vivere quisque potest?
Non bona, non corpus saevi rapit ira tyranni;
 Iram constrictam vincula legis habent.
Quid referam patriae felicia tempora vestrae
 Quae nunc sub justo Principe laeta viget?
Quis furor est, cives, fortuna cedere certa
 Et vota incerto credere vestra mari?
Ite quidem, stulti, sed vestro discite damno
 In patrio melius vos habitasse loco.

Thema 300.

Te quoque rex hominum à longa statione vocavit
 Ut palmam ferres militis usque boni.
Quem calamum nunquam ponebat gnava senectus,
 Mors potuit digitis demere sola sacris.
Ergo servabunt Tua tot praeconia libri
 Quos bene parturiit mens Tua plena Deo.
Tu sic pandebas divinae oracula mentis
 Possit ut in lucem plebs penetrare Tuam.
Tu sic suadebas verae pietatis amorem
 Ignibus ut caleant pectora multa Tuis.
Quaque patet Christi foecundum messibus arvum,
 Sacratum libris nomen in ore manet.
Impetus ille sacer commendat nempe libellos,
 Non dulcis vulgo gratia vana soni.
At quae mulcebant animum solatia mortis
 Ingenio memorem nil nocuisse suo!
Cum subiit, recti semen sparsisse per orbem,
 Tot mentes Sancto conciliasse Deo.

Thema 302.

Discite, Teutoniae generoso sanguine creti,
 Qua patrium praestat nobilitate solum.
Et vestri generis raras agnoscite laudes,
 Quot sit vestra bonis nobilitata parens.
Haec numerat prolem magnam foecunda virorum
 Tertium in Europa qua tenet illa locum:
Sed numerare parum; mores haec edidit illos
 Nulla quibus jactat gens peregrina pares.
Edidit haec prolem casta probitate pudicam
 Et vitam voto suetam agitare brevi.
Quaeque acuit corpus mentemque intenta labori
 Expromitque artes ingeniosa novas.
Ipsa sibi sapiens nulloque instructa magistro
 Imperio didicit quodque domare solum.
Hinc est continuo nunc limite campus amoenus
 Hinc mons in valles spectat ubique satus.
Illam si docuit populus sapientior artes;
 At, quae tum didicit, nunc meliora videt.
Denique laus magna est, ipsos vicisse magistros
 Ingenioque artes perpoliisse suo.

Thema 307.

Miles, ut armorum faciles exerceat usus,
Cogit in hanc artem membra labore gravi.
Saepe viros pugiles dureque palaestra fatigat
Ut bene pugnantes spectet arena manus.
Ut Citharae doctus reddat modulamina pollex
Quam multus digitos versat in arte labor!
Ad numeros certos inflectere crura manusque
Cui non difficiles ars habet illa vias?
Omnes enumera formati corporis artes;
Longum sudorem poscere quaeque solet.
Cur, juvenis, cessas mentis contendere nervos
Si vis, ut numeros impleat illa suos?
Pectora continua cura limantur et usu;
Tolle moram; semper ferveat illud opus.

Thema 308.

Roma quidem non jam domitum circumspicit orbem,
Sed priscum regnum sermo Latinus habet.
Hic Europaeis late dominatur in oris
Et populi exercet jura superba sui.
Arces Romanas evertit barbara turba;
Vandalici linguam non domuere soni.
Victrix evasit victorum vincula dura,
Victorique potens imperat ipsa suo.
Hanc ergo Dominam tot docta Lycaea verentur,
Hanc veterem matrem filia multa colit!
Reginam agnoscit linguarum Francia cultu
Huic veteri subdens Martia corda jugo.
Vivit in Europa Romanae gloria linguae
Artibus ingenuis dum remanebit honor.

Thema 311.

Illa dies nobis atro carbone notanda,
Quam primam in fastis spurce November habes.
Intuit haec damnum patriae quam flebile dulci
Quod serae prolis tempora longa luent!
Quid memoras cladem, quae frigore perdidit uvas?
Respice Tuttlingam damnaque magna vide.
Ut navem maris ira repens demergit onustam,
Sic et opes multas abstulit una dies.
Quid loquor? urbis opes rapuerunt quattuor horae,
Quam tristis flammae quam brevis ira fuit!

Frustra Danubius celerem de gurgite pleno
Misit opem, missas turbo inhibebat aquas.
Quid raperent miseri? tectum vagus ignis habebat,
Hic nudos celeri jussit abire fuga.
Ergo nunc quaerunt, quo corpora nuda tegantur
Quoque famem satient, quo lateantque loco.
Nemo potest tantos verbis aequare labores;
Sed quis non toto pectore motus erit?

Thema 314.

Praebuit hic Princeps faciles orantibus aures
Et faciles aditus aula benigna dabat.
Infimus e populo sacram fugiebat ad aram,
Nemo satelles ibi, nullus adire timor.
Nullus erat, lacrymas cui vis indigna moveret,
Qui gemeret presso pectore, nullus erat.
Quam multos luctus Clementia rara levabat,
Quot solabatur corda Regentis amor!
Nunquam frigebat, si quis sua damna referret,
Nunquam cessabat ferre paratus opem.
Ille Animus magnus nunquam piger ad pia dona
In populi nomen non dabat ora suum.
Tot donis largum non buccina jussa canebat,
Umbra qui mallet tot bene facta tegi.
Sed jam non audit Virtus narrare modesta,
In vetitam laudem solvere verba licet.
Jam resonent tardata diu praeconia linguae
Ex animo memori, turba perita, tuo.
Jam referant viduae, referantque parentibus orbi:
Ille Animus nobis grande levamen erat.

Thema 316.

Viderunt statuam fixam duo secula nullam
Luthero, nullum pignus honoris habet.
At fragili saxo duroque perennius aere
A memori nomen posteritate tulit.
Nunc — bona secla vide — nunc multi Principis una
Vox Tanti signum poscit in aere Viri.
Quae celebres vidit cunas Islebia, tandem
Illustri positum Nomini habebit opus.
Nempe viri dono Princeps in jura repostus
Servitio agnoscit libera sceptra Papae.

Thema 317.

Reddemur frater fratri, natisque parentes;
Haec grata est mortis spes medicina meae.
Membra damus somno per amica silentia noctis,
Sic tamen, ut rediens suscitet illa dies.
Non aliter tristi condemus membra sepulchro;
At somnum pellet reddita vita brevem.

Thema 319.

Communis gignit pulcherrima foedera ludus,
Hic pueros fido jungit amore bonos.
Si petis exemplum, specta *Ciceronis* amorem;
Fratri *Pomponium* praetulit ille suum.
Hic amor exilium quam solabatur amici!
Quot fidei certae pignora pulchra dabat!
Foedus amicitiae testatur epistola multa
Quae fidis animis dulce levamen erat.
Nulla dies juvenum teneros extinguit amores
Hi totam ad vitam non leve pondus habent.

Thema 320.

Quid non suadet opinati certamen honoris?
Quae multum sapiunt pectora, coeca rapit.
Vanus honor tectas in pugnam provocat iras,
Dum victum victor jam cecidisse videt.
In dubiam pugnam clarus descendit *Hamilton*,
Nempe quod adversum spernit habere virum.
At pater infelix hanc sanguine tingit arenam,
Quae nati maduit sanguine tincta sui.
Quam tristi locus ille nota nunc admonet omnes:
Heu, ne committat tristis arena viros!

Thema 321.

Quid monet hunc animum campus, quid floridus hortus?
Hic patet in monitus area lata meos.
Vidimus has plantas aestivo sidere flores
Trudere, mox foetus multiplicare suos.
At nunquam fessum natura experta laborem
Consumtas vires nunc cecidisse dolet.
En passim marcent posito jam flore juventae,
Praeter radicem mox jacet omne decus.

Mox his incumbent Boreas Eurusque sonori,
Mox tanquam cippus nix glaciesque tegent.
Quid subit hunc animum, nisi Nostri, quos habet Orcus?
Quid, nisi vox clamans: pulvis et umbra sumus!
An mirum, tristes si torquent pectora curae?
Heu, velut hi flores, sic quoque marcet homo!
Hic flos auctumni languescit frigore laesus,
Arbore decussas cerno jacere comas.
Brumalique parat dare se jam planta sopori;
Omnia sic mortis me meminisse jubent.
At nos, dum florem perimat damnosa senectus,
Ex nostro fruges accumulemus agro!

* * *

Si clades florum non est nisi mortis imago,
Ad moestam speciem nil nisi flere libet.
Quid tamen in tristi defigit imagine mentem?
Quid supra haec illam surgere busta vetat?
Plantas in gremio morientes terra reponit
In florem vegetas progenitura novum.
Vis nunquam frigens, nullo delebilis aevo,
In se fessa redit, per breve tempus iners.
Hoc facit, ut vires recreata quiete resumat
Et redeat terris laeta vigore novo.
Nonne vides plantas absumtas frigore brumae
Sumere sole novum cum redeunte decus?
Haec grata est oculis, haec me solatur imago,
Induet hoc corpus sic mihi forma recens.
Induet hic animus non tabescentia membra,
Desinet hoc corpus tum mihi posse mori.
Si nil mors delet, quod habet spectabile mundus;
Quî poterunt animi mortis inire viam?
Me non ex mundo vasto mors auferet atra,
Me Patris ex divi non rapit illa domo.
Mors magis expediet nativae stamina vitae,
Stamina in aeternos enucleanda dies.
Hanc animam reddo coelis, haec membra sepulchro,
Mortis ut in vitam desinat ira meam.

Thema 323.

„Quid nobis curae Philadelphia, Mallaga quidve
„Quae loca nunc miserè possidet atra lues?
„Haec cives avidis mors faucibus hauriat illos;
„Dummodo non simus nos quoque praeda necis."

Has voces turpi si quisquam prodidit ore,
Non hominis meritum nomen habere puta.
Quisque sibi propior vivit; nam vera fatemur,
Haec lex in quovis pectore fixa sedet.
Sed natura eadem mortales foedere jungit
Et cuivis homini nos bene velle jubet.
Ergo quid cessas gemitus audire querentum
Et tanquam damnis illacrymare tuis?
Illic foeda lues templorum limina clausit
Et quascunque domos vulgus inire solet.
Illic non solitum servat res ulla tenorem,
Nullas emittit portus, ut ante, rates.
Annonam portare urbi formido recusat,
Mox rapiet miseros ultima poena fames.
Mors properat praedam, triduum vix illa moratur;
Funera tercentum septem habuere dies.

Thema 324.

Scena patet laetis, pueri, mox amplior annis
Moribus ambiguis ingeniisque vigens.
Incidet in varios tunc aetas credula mores,
Multas personas illa videbit agi.
At tu, care puer, non omni crede colori;
Vipera sub viridi gramine saepe latet.
Multus erit, pravus mentis quem decipit error,
Nullo divinum Numen honore colens.
Impius has voces insano pectore promet
Et tibi sub dulci melle venena dabit:
„Non decet ingentes animos hic error anilis
„Qui sancta metuit relligione Deum.
„Mens mihi liberior nullique obnoxia legi
„Illi se spernit supposuisse jugo.
„Qui parvos animos angusto in pectore versant
„Excrucient illo seque suosque metu."
Haec isti clamant, ridentes omnia sancta;
O surdis dicunt auribus illa, precor.
Hos fuge, care puer, minitantem ut defugis anguem
Hos tibi dulce bonum demere velle, puta.
Horum si jactat probitatem lingua diserta,
Ad mores oculos actaque flecte tuos.
Torpebit probitas ad quemvis frigida nisum,
Si pronum pectus prava cupido rapit.
At pia relligio mentes solamine sola
Mulcet, in extremo est haec medicina metu.

Hoc frustra quaeret terrorum dulce levamen
Magni contemtrix impia turba Dei.

Thema 325.

Multi, quos fecit sapientia clara verendos,
Numinis implerant pectora sancta metu.
Ille *Baco*, mentis divino lumine clarus
Et nulla, quae tum floruit, arte, rudis,
Ille vir ingenio qui multa et magna subegit,
Ipsi naturae demere vela potens,
Hanc lucem pulchram vitae circumdabat omni
Ut fida coleret relligione Deum.
Neutonus sapiens, regni decus Ille Britanni,
Astra Poli nobis qui propiora dedit.
Tum pretium curae se credidit omne tulisse
Si genus humanum disceret esse Deum.
Hac cura mundi penetralia tecta reclusit
Naturae laetus se reperisse vias.
Et mentis vires acuebat littera sacra,
Haec erat Ingenti proxima cura viro.

Thema 326.

Ostendit vires Domini natura Potentis
Et quicquid mirum parturit illa parens.
Haec facit, ut terras ventorum proelia turbent
Quassaque praecipiti tecta aquilone ruant.
Tales immisit nuper tibi, Francia, ventos
Qui foeda tristis clade December erat.
Haec facit, ut veteres excedant flumina ripas
Et late fusis nunc dominentur aquis.
Tunc undae pontes et tecta natantia volvunt,
Corpora cum vasis tum fluitare vides.
Quaque pedes ierant, remis nunc pellitur unda;
Quaeritur effugium, sed fuga rara necis.

Thema 327.

Fortunate Senex, cui mens corpusque vigebant
In longos, pauci quos tetigere, dies!
Nempe novem deerant ad notos *Nestoris* annos,
Quam multis aetas ista petita viris!
At multi longaeva fuit Tibi vita laboris,
Utque arcus tendens pectoris Ille vigor.
Nam Tibi quamque diem finibat linea ducta,
Nec breve cni punctum temporis iret iners.

Sic pulchrum est vitae metam contingere longae
Si velut incudi mors rapit atra manum.
Fortunate Senex, mensa satiatus abisti:
Quam rarus potuit coenula abire satur!

Thema 330.

Kantius ad coelum rediit, sed mentis imago
In libris vivit pectoribusque sedet.
Ille jacet funus; sed nunc, mirabile dictu,
Exspoliare virum tectaque certat amor.
Ille secat canos docto de vertice crines,
Hic leve pileolum gaudet habere Viri.
O dulcem praedam! suspirat femina docta,
Te vellem in digito posse nitere meo!

Thema 331.

Hic varius mensis multorum funera vidit,
Non illis Majum posse videre datum.
Non vario florum pubescere prata colore
Non violas, non quas fert sua spina rosas.
Te quoque, rapte Tuis Juvenis, bona gaudia veris
Carpere cum sociis mors properata vetat.
Quam pulchrum florem, quos nervos illa peremit
Quam virides languor perdidit ille genas!
O formose puer, nimium ne crede colori!
Saepius occultae semina mortis habet.

Thema 332.

Non ars *Cromvellos*, non hos solertia munit
Ne vindex populi jus petat ira suum.
Non prodest imos mentis didicisse recessus
Non tectos animis nectere posse dolos.
Denique libertas vires oppressa resumit,
Acrius haec mordet dente, retenta diu.
Tigridis ut rabies non longo carcere victa
In dominos iris exstimulata redit.

Thema 333.

Ense reciduntur, ne serpant ulcera late
Et cunctas partes corporis illa trahant.
Non aliter princeps vitium secat omne severus
Si mala per longam convaluere moram.

Tunc opus est ferro, si nil medicamina prosunt
Et melius sanat saepe severa manus.
Nam veteri morbo sero medicina paratur;
Mores asperitas corrigit una malos.
Flavius ut quondam sanavit vulnera Romae
Mille malis suetae luxuriare modis.

Thema 337.

Flavius haud trepidat supremo mortis in ictu,
Nullos terrores ultimus hostis habet.
Praesentesque minas pavido non ore tremiscit
Vir mortem forti suetus adire manu.
Circumstat nunc turba virum, quem mors vocat atra,
His, Princeps Romae stans moriatur, ait.
Dixit, et à fidis dum se levat ipse lacertis,
Ex gelidis membris spiritus altus abit.
Sic te Christicolam potius decet ire sub umbras,
Cui major spes est in bonitate Dei.
Te fas est mortis victae contemnere tela
Et firma extremum cernere fronte metum.

Thema 339.

Ausi omnem juvenes quondam rupisse pudorem,
Fregerunt scelerum turpia vincla viri.
Nil desperandum; tempus domat omnia longum;
Invitos virtus in sua castra vocat.
Exemplo *Titus* est, qui pulchra fraude fefellit
Inter Romanos spemque metumque sui.
Ille vetus miles vitii mala castra reliquit,
Cum sensit sceptri pondera magna novi.
Qui modo saevierat, blando nunc verba dat ore;
Odit delicias, qui modo mollis erat.

Thema 340.

Semper honos nomenque *Titi* laudesque manebunt
Qui voluit speculum principis esse boni.
Hoc illi certum, non pellere vota precantum,
Sed quemvis ullo velle juvare modo.
Ergo nemo petens duras veniebat ad aures;
Nam sine spe nullas reppulit aula preces
Nemo abeat gemitum ducens à Principis ore —
Haec bona communis dicta parentis erant.

Totque dies bene se *Titus* imperitasse putabat
Quot sciret facti signa tulisse boni.
Nil hodie merui, lux est mihi perdita, dixit,
O vox prae cunctis principe digna viro!

Thema 342.

Vidisti montem *Tite* conflagrare Vesevum;
Mitibus heu oculis tristia visa tuis!
Parturit ille globos flammarum et tollit in auras
Ater ab immenso volvitur ore cinis.
Mox latet omnis ager tectus candente favilla
Et lapidum moles omnia vasta facit.
Igneus ille cinis diversas fertur in oras
Involvit coelum nube rapitque diem.
Roma stupet subito, nox collibus incubat atra,
Hos septem nemo jam numerare potest.
Mota etiam tellus immensas devorat urbes
Et subito mersas atra favilla tegit.
Illa dies mersit claram tunc *Herculis* urbem
Pompejos umbris condidit illa dies.
Immensam turbam dedit illa ruina sepulchro
Cui nusquam certae jam fuga mortis erat.

Thema 344.

Morte *Titum* celeri terris miraris ademtum,
Qui populo innumerae causa salutis erat.
Sic est in fatis: lethum rapit optima prima,
Implentur numeris deteriora suis.
Quid virtute tua, *Germanice*, majus habebat
Roma? tamen virtus quam brevis illa fuit!
Marcelli florem mortis falx dura secabat;
Ille tamen matris spes erat una suae.
Unica spes erat *Augusti*, sidusque juventae
Dignus et imperii sceptra tenere nepos.
Qui si vixisset, quo luctu Roma careret!
Non tot crudeles senserit illa manus.
At longos numerat saevitque *Tiberius* annos;
Hunc videt immitis carnificina senem.
Cur video canere malos, marcescere justos?
Hoc ratio magni perspicit una Dei.
Tu modo festina, tu cunctis utere nervis,
Ut surgat virtus altius usque tibi.
Ad metam propera, quasi nunc attingere jussus;
Nescius, an tardet mors inopina pedem.

Thema 345.

Nerva bonus manibus scribentum laxa thabenas
Neve metu linguas servitioque premit.
O sapiens Princeps, calami qui non timet ausus
Quem linguae terrent vulnera nulla malae!
Quod dare Romanis posset, nil majus habebat,
Ille est humano pectore dignus honor.
Lasciva est, fateor, persaepe licentia linguae
Luxuriatque mali littera saepe viri.
Et linguae et calami tingunt sua tela veneno
Et quo vix ultra progrediantur habent.
Sed melior calamus compescit pectoris ignem
Nec sinit effrenes luxuriare sonos.

Thema 364.

Nititur hic animus venturae ad praemia vitae;
Sed numeros nisus non habet ille suos.
Ergo post mortem bona nunc incognita spero,
Non ultra hanc vitam mens mea vasta volat?
Missus in haec animus noster mortalia non est;
Gignimur in vitam quae sine fine manet.
Scilicet unus homo nitetur tangere metam,
Sed frustra tendet cui data nulla fuit?
Unus homo flammis caecis se sentiet uri
Nec cernet fontes, unde bibantur aquae?
Hunccine das hominem, si mentis fallitur ardor,
Quem vincat brutum nobilitate pecus?
Nempe datur pecudi tandem, quam quaesiit esca,
Nec labor est, gelido fonte levare sitim.
Adspicis, ut bombyx contexat fila sepulchri
Unde nitens forma prodeat ille nova.
Omnem si vitam miserum et breve terminat aevum:
Cur animos urit non satianda sitis?
Cur arcum mentis ratio divina tetendit,
Si nunquam nervis utitur ille suis?
At non aeternis frustra mens ignibus ardet,
Non est in poenas haec data flamma meas.
Hac ego non mensa totus satiatus abibo,
Ventres, non animos sordida pascit humus.
Si nunc mortalis vitae tot munera carpo,
Aeternis spero tempora plena bonis.

Thema 366.

Ut navis, quam non regat ars totamque gubernet,
Mox ruat in scopulos mersaque sidat aquis:
Sic opus est populo rectoribus atque senatu
Per quos illius stet vigeatque salus.
Deme magistratus; qui tum servabitur ordo?
Quidve tuum salvum posse tenere putas?
Nempe magistratus communia jura tuetur,
Mandata custos in statione vigil.
Sacratas leges populo sua curia figit
Ut nullum lateat fasque nefasque virum.
Curia dat salvum corpus tibi remque domumque;
Non modo pro turba quae vigilare solet.
Illa viros statuit doctos praescribere jura
Et rixas justo consociare foro.
Si contra populum fert arma potentior hostis
Hinc veniens in agros, caedibus inde minax:
Communis pugnae dat signum civibus ipse
Praetor vel lectum mittit ad arma ducem.
Pro patrio si quisque foco pugnabit in hostem,
Solus qui vincit robore, victor erit.

Thema 382.

Te, bone vir, raptum celeberrima Lipsia luget,
Germani luget virgo puerque soli.
Hic cinis Ille jacet, per quem tot gaudia mentis
Carpsimus, ingenii tot monumenta pii.
Ah, quoties nobis fallebat tempora brumae,
Quot noctes, gratos quot dedit ire dies!
Quot tenerae stimulos virtuti subdidit, idem
Quam vero pinxit triste colore nefas!
Tam caro cineri lacrymas Germania liba
Si memori Tantum pectore nomen habes.
Ille tuae soboli vacuas sacraverat horas,
Non sibi, sed patriae fertile pectus erat.
Ergo, ut *Gellertus*, memori dicetur ab aevo
Cumque illo coeli praemia digna feret.

Thema 384.

Storrius, heu, cives, jam noster desiit esse,
Incepit penitus, quod fuit, esse Dei.
Ereptum subito decus est mirabile fato;
Urbs pullata silet, patria tota gemit.

Teutoniae doctae quaevis Academia moeret,
Et cuicunque pio biblia cara manent.
Dogmata quis vatum perspexit acutius illo
Devia de tuto tramite prava monens?
Quis disciplinae sapientior arbiter, et quem
Errorum artifices pertimuére magis?
Quid numerem gazas ex libris mille coactas?
Vastum viva Caput Bibliotheca fuit.
Non avidus clarere, sed inservire paratus,
Reddidit ex cathedra mixta vetusta novis.
Lugemus, desideriumque utcunque levare
Scripta relicta Viri, non satiare queunt.
Hos venerabundi libros versate nepotes;
Ubere sic fructu fama perennis erit.
Ast ego si mores ausim laudare modestos,
Manibus eximiis forte molestus ero.
Namque, quoad vixit, nil non laudabile fecit,
Nil leve in ore, nihil pectore turpe fuit.
Nunquam servili obsequio pro tempore cedens
Turbine non motae rupis adinstar erat.
Juste egit nunquam, justus quia vellet haberi,
Sed quia non aliter mens generosa tulit.
Coelitibus suppar, multo ex terrestribus exstans,
Vix labe humana sollicitatus homo.
Maxima quaeque, puto, virtus alacerrima migrat,
Ad superos. Quis Eo laetius egit iter?

Praelat Hiller.

* * *

Storrius, in terris dum degeret, usque supernis
Proximus, in gremio non peritura fovens;
A teneris recti custos, sine crimine vitam,
A vitii illecebris pectora munda gerens;
Ingenua veritus Numen pietate benignum;
Pro sociis cupiens optima quaeque suis;
Pronus in auxilium miseris, errantibus aequus,
Pacis amans, quantum jus probitasque sinunt;
Principis et patriae et legum studiosus amator;
Complectens animo visceribusque suos;
Oblitusque sui, sensu in virtute modesto,
Seu propriis, fratrum laetus honore, bonis.
Ingenio et candore pari, quo sanctius aetas
Nostra nihil, nil quo vidit amabilius.
Eja dignus homo, specimen probitatis haberi,
Doctrinae exemplum Christiadumque decus.

D. *Müller*, Prof. Th.

Pronus in officium, sortem miseratus iniquam
 Adflicti, ac homini pectore junctus homo;
Integer, atque tenax dicti semel ore profusi,
 Justus, qui libra ponderat omne pari;
Erga omnes facilis, quamvis diversa docerent,
 Neve novorum osor, dummodo vera petant;
Demissus, sibi qui nihil arroget, atque modestus,
 Tot sua quantumvis nosceret ipse bona;
Servator legis probus atque severus, at asper
 Nunquam, sed parcens, res ubicunque tulit;
Ipse sibi constans, in vita aequabilis omni,
 Frangi ingens animo nescius, atque gravis;
Laetior, ut sapiens, nunquam, nec tristior unquam,
 Fidens, cui totum se dedit ipse, Deo.
Principis ac patriae cultor, propensus ad omne,
 Quod cives fidos ingenuosque decet.

Prof. *Hauff.*

* * *

Oppida per Patriae, Germanas vade per urbes
 Fama, animis luctum praecipe moesta gravem.
Praecipe lugubres Musis jam sumere vestes,
 Hisque, Dei sacrum qui bene dogma colunt.
Ille jacet mortis maturo funere praeda
 Cui pignus summi Nomen honoris erat.
Magno se tellus patriae Hoc jactabat alumno,
 Nunc capiti demtum luget abisse decus.
Hic oculis animisque oracula sacra recludens
 Foecundi ardebat pectoris igne sacro.
Vestigare latens experto lumine verum,
 Hic Tanti ingenii primus ubique labor.
Quot carpsit fructus Hujus Germania Curae!
 Nunc gemit, hac doctas Luce carere Scholas.
Huic, inter Musas bene vivere, sola voluptas;
 Nunc sacro plorant Unicum abesse choro.
Ille libri vindex divino dogmate sacri
 Stabat contra hostes fortiter arma gerens.
Hunc contra librum nunc impia bella movete;
 Ponere mors jussit Militis arma Boni.
Nunc contra Christum gens impia mittite tela;
 Ille, metus vester, castra movere dedit.
Talem mors rapuit — quis non Theophraste querelam
 Nunc pleno lacrymis reddat ab ore tuam?
Sed cessate, boni, lacrymis urgere sepulchrum:
 Mors nihil in mentem juris habere potest.

Quod promsit pia cura Viri de pectore docto,
In multis vivunt haec bona sacra libris.
Illuc decurret veri reverentior aetas,
Ex illo juvenum pars bona fonte bibet.
At patriae qualis jam virtus lumen ademit,
Virtus, quae clari sideris instar erat!
Haec frons, haec facies, quam virtus sumeret ipsa
Si praesens nostram visere vellet humum.
Qui pudor in vultu! sed dicere nos vetat idem
Quas scimus laudes, quae bona rara Viri.
Dicere conanti Manes ignoscite sacri;
Vix teneo linguam, sed vetat Ille Pudor.

Errata.

P.	4.	l. 8.	orbis christiani — *anus*
—	6.	- 4. *v. unt.*	Et — *At*
—	10.	- 17.	vides — *video*
—	49.	- 5.	vermes — *vermis*
—	68.	- 11.	diem. Des. — *diem des.*
—	77.	- 13.	*nach* libris, *res à Rom.*
—	87.	- 2.	cujus — *hujus*
—	88.	- 35.	incunabilis — *incunabulis*
—	89.	- 10.	perusus — *per usus*
—	89.	- 27.	Mox — *nox*
—	113.	- 11.	Curales — *Curules*
—	126.	- 22.	amoeni talem — *amoenitatem*
—	142.	- 11.	iniquus — *iniquius.*
—	151.	- 5.	Xemocr. — *Democr.*
—	193.	- 18.	relig. — *rellig.*
—	197.	- 17.	laet. — *lat.*
—	225.	- 1. *v. u.*	vetare — *vetaret*
—	236.	- 5.	quam — *quem*
—	238.	- 7. *v. u.*	novent — *movent*
—	240.	- 9. *v. u.*	nollendis — *moliendis*
—	252.	- 26.	divictas — *devictas*
—	278.	- 14.	quod — *quid*
—	278.	- 11. *v. u.*	si — *sic*
—	290.	- 1. *v. u.*	quia — *qui*
—	291.	- 26.	relit — *velit*
—	300.	- 12.	magnis — *magni*
—	304.	- 1. *v. u.*	moestae — *moesta*
—	318.	- 7. *v. u.*	conceptus — *concentus*
—	343.	- 4. *v. u.*	catervos — *catervas*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Roth, Christoph Friedrich,

Lateinische Stilübungen zum öffentlichen und Privatgebrauche

Bd.: 2. Welcher die lateinische Uibersetzung der Materialien nebst einem Be
ysatze und Anhange von Elegen

Stuttgart 1807

L.lat. 1012 c-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10586766-2